



A-31  
71






INSTITUTIONVM  
IMPERIALIVM  
LIBRI IIII  
ARNOLDI VINNII I.C.  
NOTIS ILLVSTRATI

ACCEDEDUNT IN EOSDEM LIBROS  
Io. Gottlieb Heineccii I. C. Recitationes , et Sintagmatis antiquitatum Romanarum compendium suis locis particulatim appositum.

IN VSVM SCHOLAE VALENTINAE.

TOMVS I.



Ex Biblioteca , quam  
D. D. Vincentius Blas-  
co Academiae Valenti-  
nae Rector perpetuus,  
eidem testamento legavit.

VALENTIAE  
IN OFFICINA IOSEPHI ET THOMAE DE ORGA  
CICOCCLXXXIX.  
SVPERIORVM PERMISSV.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1.

NOBILISSIMIS  
ATQVE ORNATISSIMIS  
ADOLESCENTIBVS  
CONSTANTINO ET CHRISTIANO  
H V G E N I I S,  
FRATRIBVS GERMANIS , MAGNI ILLIVS  
Constantini, Toparchae Zulichemii, cet. Filiis,  
ARNOLDVS VINNIVS S. P. D.

**E**T si iusti multorum exstant in libros Institutionum Iuris Commentarii : pauci tamen sunt , Nobilissimi et Praestantissimi Adolescentes , qui Notis brevioribus eos illustrarunt : nemus , qui ita , ut alia luce non indigeant. Equidem non eo inficias , Iacobum Cuiacium , virum iuris scientia clarissimum , tantum in hoc genere praestitisse , ut iure meritoque primas ei deferant omnes eruditi ; adeo omnia sunt solida ac consummata. Utique tamen fatendum est , Cuiacium plerisque in locis subobscurum esse , scilicet lucem eripiente , atque oculatissimos quoque interdum fallente praeciso illo sermonis genere , quo vir summus utitur , praesertim in notis posterioribus , quamquam in Cuiacio virtutis id obtinet locum. Adhaec nihil ille , quod non ex abdita Iurisprudentiae penu~~r~~ promtum , et in quo non etiam doctiores haerere solcant : quippe cui , dum ex sua potius facultate , quam ex vero rem aestimat , cetera omnia tam plana ac facilia visa , ut inter-

*Tom. I.*

\*

pre-

H ADLOCVTIO.

pretem minime desiderent. De eo sane nemo nunc queri potest, quod legum capita adferre Cuiacius supersederit, postquam quod hic deest expositio- ni Cuiacianae, suppletum cura clarissimi viri Caroli Annibal Fabroti. In manibus omnium ver- santur notae Ioannis Crispini, a Iulio Pacio edi- tae et auctae, sane quidem non inelegantes : sed in quibus hoc culpatur, quod plurima alieno lo- co temere posita sint, quaedam etiam ad rem, de qua agitur, minus accommodata, ut in notis istis colligendis, atque ex variis auctoribus de- scribendis, vix vanno aut cribro usi videantur: quod vitium est plerisque notarum scriptoribus familiare. Cui et hoc accedit, quod exemplaria omnia (quotquot quidem mihi videre contigit) scateant innumeris iisque gravissimis librariorum mendis, raroque in his auctor aut locus recte ci- tatus reperiatur. Qua quidem de re saepe audivi doctissimorum hominum querimonias optantium, ut huic incommodo aliquando occurreretur : et profecto non sine causa. Recte enim illi meo iudicio sentiunt, qui nihil aeque ad promovenda inventutis studia necessarium esse ducunt, quam ut libellus Institutionum, qui numquam de ma- nu deponendus est futuro Iurisconsulto, notis cum accuratis et claris, tum paulo quoque ube- rioribus, quam sunt illae vulgares, illuminetur, ac tale quid conficiatur, quod et vicem commen- tarii exhibere possit, et ea forma excudi edi- que, ut quo cuique commodum sit, facile cir- cumferri, atque in sinu gestari queat. Sed et magni viri auctores mihi atque hortatores fuere, ut ipse hanc operam susciperem. Deterrebat me primo rei difficultas: quippe qui sciebam, facilius

es-

esse commentaria scribere , quam notas. In notis, quae omnibus placeant, utendum docta brevitate , et verbis minime trivialibus. Postremo difficile esse , brevem esse simul et planum. Ceterum pro ingenii mei facilitate tandem persuaderi me passus sum, et quid in hoc genere prästare possem, tentavi. Quid prästiterim, alii iudicent. Poëtas imitatus sum, qui et prodesse volunt, et delectare. Affirmare autem possum, Nobilissimi Adolescentes, me vestra in primis contemplatione accessisse ad hasce curas , easque in lucem emisisse , ut quos Patris solicitude tam arcte mihi commendaverat, eorum commodo non voce modo , verum etiam scripto aliquo iuvarem. Idque eo feci lubentius , quoniam omnia magna et präclara a vobis expectare iubemur. Etenim si ex studiis huius aetatis vestrae , tamquam ex herbis , quantae fruges industriae futurae sint, recte coniicimus , nemini , quum ad iustum aetatem perveneritis , ingenio aut eruditione concessuri estis. Vobis itaque , Praestantissimi Iuvenes, hoc lucubrationum nostrarum opusculum mittimus, ut extet apud vos argumentum singularis nostrae erga vos voluntatis et studii. Leve quidem munus est, quod offero : sed tamen literarium ; penne scripseram literatum : sed non ante id dicam, quam incomparabili Viro Parenti vestro placere intellexero. Quale vero aut quantulumcumque est, si ab animo offerentis aestimabitur , audeo mihi de mutua vestra benevolentia omnia prolixe polliceri. Bene valete. Deus Opt. Max. studia vestra prosperet , vosque incolumes diu servet Patriaeque Patrique. Lugd. Batav. Postridie Idus Decembris. CICDCXLV.

## CICERO I. DE ORATORE CAP. XLIII.

**S**ive quem ista praepotens et gloria philosophia delectat (dicam audacius) hosce habet fontes omnium disputationum suarum, qui Iure civili et legibus continentur. Ex his enim et dignitatem maxime expetendam videmus, quum verus, iustus, atque honestus labor, honoribus, praemiis, atque splendore decoratur: vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exsiliis, morte multantur: et docemur non infinitis, concertationumque plenis disputationibus, sed auctoritate nutuque legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere.

AMPLISSIMO  
SPECTATISSIMO VIRO  
D. ARNOLDO VINNIO  
IVRISCONSVLTO, AMICO SVMMO.

**R**Ogatu tuo legi et relegi attentius praecipuam Notarum, quas in Institutiones Iuris concinnasti, partem. Meum nunc flagitas iudicium? Evidem ut te amicum integerrimum, sic et lucrations tuas luculentissimas animitus exoscular, istud tuum cum primis admiratus artificium, quod tanto verborum compendio, tantam rerum opulentiam, tanta perspicuitate pariter atque dexteritate dedit expositam, ut vel unica saepe perio-

riodus et innumeris occurrat dubiis, et abstrusa  
prisci et antiquati abdita reseret, et infinitas  
aequi depromat rationes. Sic profecto omne tu-  
listi punctum, ut, quod olim de Papiniano de-  
cantatum, non minus tibi merito tribuerim, quan-  
do nec addi scriptis nec demi verbum citra sen-  
sus luxationem atque dispendium posse censem.  
Superioris saeculi ingeniosissimus pariter ac fa-  
cundissimus Sacrae Institutionis Scriptor stupen-  
do equidem artificio neminem non a scribendo  
deterruisse dicebatur. Dissimulent sane, quid vo-  
lent, indignabundi; mihi equidem (ingenue fa-  
teor) in id argumenti genus nonnihil intento,  
quin et iam meditabundo ac pene scripturienti  
calatum excussisti, ne qua post Homerum Ilia-  
da, pro applausu cachinnum. Tantum vero nunc  
abest, ut tibi dicam scripserim, quod immensus  
ille coruscantis Solis tui fulgor meam obfuscet  
et absorbeat faculam, ut tanto impensius in Re-  
publica Academica tibi mihi gratuler, nec non  
acrius ultro currenti calcar addam. Sic te Deus  
bono publico longum sospitet. Dabam e Museo,  
pridie Idus Decemb. CICICXLV.

A. T. observantissimus

B. Schotanus.

## IVSTINIANISTIS S. P. D.

E D I T O R.\*

**V**Os iam compello, IVSTINIANISTAE, *cupidi legum iuvenes*: vobis enim merito, ac vestro quodam iure dico addico, quas iam publici iuris facio, praelectiones in IO. GOTTL. HEINECII Elementa iuris civilis secundum ordinem Institutionum, ab ipso eorumdem auctore vestro unice usui ac bono conscriptas olim ac recitatas. Natae autem illae sunt tum, quum in celebri Frisorum academia, quae Franequerae floret, Antecessor ius civile publice profiteretur, scholasque in Elementa sua non sine summo auditorum plausu fructuque uberrimo institueret. Mos enim ei erat, statim ex quo publicus doctor constitutus esset, adsumtus, constanter postea servatus, ac sero demum, tum scilicet, quum exercitatum satis se dicendo docendoque sentiret, desuetus, ea, de quibus in cathedra expondere vellet, literis ante mandandi. Qua via et ratione id se consequeturum putabat, quod consequutus quoque est, ut rite ordinata dispositaque omnia essent, quae docere vellet, ut filum dicendorum haberet ac normam, a qua non facile deflectere, atque uti a multis magistris vel incruose ac immeditate differentibus, vel luxuriandi pruritu perque eruditionis ostentationem fieri animad-

\* Haec editoris epistola vulgatis Recitationum editionibus praefigitur, quare huc transcribere placuit.

madvertisus , extra oleas vagari posset. Sic ordinis serviebat , unaque memoriae consulebat.

Sic enim semper habuit , officium boni doctoris esse , numquam nisi bene praeparato animo cathedram ascendere. Vaga , incerta , confusa esse , quae sine meditatione ac velut indigesta et prout verba fluerent , dicerentur. Memoriae quoque utut tenacissimae ac fidelissimae non tuto fidi , facillimeque ex animo fugere , quae dicenda sunt , omittique non debent , nisi prius , quae docere velis , iterum quasi discas , ac velut in numerato habeas. Quem finem quo certius tutiusque adloqueretur , tantum non omnia , quae tradere vellet , literis consignare consuevit. Huic itaque solertiae ac severae legi debemus praeter has , quas iam vobis in manus trado , enarrationes , paelectio-nes in GROTIUM , PVFFENDORFIVM et histrio-riam philosophicam iam pridem luce publica donatas.

Verum nugas forte , vel actum modo agere plerisque videbor edendo has Elementorum Heineccianorum interpretationes. Quidquamne enim deesse poterit ad meliorem intelligentiam libelli , postquam doctissimi aliquot celeberrimique iure-consulti illum certatim observationibus adnotatio-nibusque , ipseque auctor *dictatis* suis post fata eius editis , illustrare haud dubitarunt. Ex quo sane classico huic compendio hoc decus atque orna-mentum accessit , ut illum viri illustres ac doctissimi IO. GE. ESTOR , CAR. GOTTL. KNOR-RIVS , IO. LVD. VHLIVS notis scholiisque lo-cupletarent ; omnis deinceps opera , qua illustrari posset , inutilis ac supervacua , ac tantum non Ilias post Homerum videtur. Quin maius adhuc quiddam restat , quod me a consilio edendi Reci-ta-

tationes istas deterrere potuisset. Meminisse certe debebam, non solum istorum scholiorum, sed cogitare etiam omnem porro illustrandi Elementa Heinecciana laborem praecipuisse otiumque fecisse virum aliquem iuris peritissimum, cuius exstat amplissimus commentarius sub nomine ipsius Elementorum auctoris germanico idiomate editus. Operosam sane diligentiam explicandis interpretandisque Elementis adhibuit vir ille, quisquis est, doctus et laboriosus, sic ut non inutilem operam praestiterit discendi cupidis. Tametsi enim liquido iuraverim, vix vicesimam commentarii partem ex ore Heineccii exceptam esse, sed tantum non omnia doctum illum interpretem ac compilatorem ex ceteris tam Heineccianis, quam aliorum scriptis concessisse, tantum tamen abest, ut contemnam utcumque laborem illum, ut potius maximopere commendandum non Iustinianistis tantum, sed Edictalibus ac Papinianistis existimem.

Nihilo secius tamen, si me auditis, non levies adferam causas, cur non solum me non poeniteat consilii mei, edendi Recitationes istas Heineccianas, sed et gratiam vestram magnopere initurum ac de vobis bene meriturum esse confidam. Evidet si quemlibet optimum ducimus verborum suorum nuncium ac interpretem, quis melior ipso Elementorum auctore. Inspectio sane ac degustatio ipsius libelli unumquemque facile convincet, nihil eum in his Recitationibus omisisse aut praeteriectum esse, quod ad plenius intelligenda Elementa utcumque facere posse animadvertisit. Quemadmodum enim in ipsis Elementis id egit, ut, quod CICERO in Servio Sulpicio admiratus est, dialecticis praeceptis adhibitis ar-

tem

tem iuris constitueret, omneque adeo ius civile  
in genera sua digereret, eorumque generum qua-  
si membra dispartiret, tum propriam cuiusque  
vim definitione declararet, ex ea regulas et axio-  
mata eliceret, tum quae ex his prona conclusio-  
ne consequerentur, colligeret, ita in his Recita-  
tionibus haec omnia tam dilucide et plane decla-  
ravit, commodisque exemplis et speciebus illu-  
stravit, ut in plena luce versemīni, nec usquam  
haerere possitis. Obscuris sane lucem adfudit cla-  
riorem, rationes praceptorum ac regularum pa-  
riterque exceptionum luculentius explanavit, scrū-  
pulos, si qui forte nasci possent, exemit, ac quo-  
modo quaeque cohaereant, atque ex suis princi-  
piis deduci queant, mira facilitate ac concinni-  
tate declaravit. Deinde stilo usus est, non orna-  
to aut politiore, qui morari lectorem linguae La-  
tinae usum non habentem posset, sed puro tamen,  
populari et tali, qui illius linguae non prorsus  
ignaro facillimus esset intellectu. Accedit denique  
his omnibus concinna brevitas. Semper enim au-  
tor prudentissimus cum maximis viris artisque  
suae peritis sensit, nihil esse uti in omni disci-  
plinarum genere, sic et in Legum studio magis  
praeposterum, quam iis, qui prima legum incu-  
nabula appetunt, non mitius lac propinare, sed  
debiles ac delicatores stomachos uberioribus ac  
nimis solidis carnis obtruere. Quo fieri necessum  
est, quod stomachis gravatis accidere animadver-  
timus, ut non solum cibos, quibus sese ingurgi-  
tarunt, haud concoquere valeant, sed etiam so-  
lidioribus capiendis digerendisque plane inepti red-  
dantur. Audiatis modo CVIACIVM, emunctae  
naris iudicem: *Nam quae scientia haec est, inquit,*

Tom.I.

\*

quae

quae modum non habet ullum? quae fines suos egreditur? quae tota aberrat a praeceptis suis, et summo illo praesertim, nec a Iustiniano praetermisso, ut incipientibus iura tradantur levi et simplici via: ne difficultate institutionis tam numerosae ac perplexae ab hoc studio deterreantur. Quod si caperent etiam carentque recentiores philosophi iuris, paucis non omnino philosopharentur, nec theoris suis naturalibus iurium positivorum fines turbarent, nec mentes dissentium infinitis generibus ac tot otiosis distinctionibus ac partitionibus obruerent, non considerantes, quam nimis intelligendo faciunt, ut intelligamus nihil. Si, iudice SENECA, confusum est, quidquid in pulverem sectum est, methodum illam hypereuclideanam, nisi confundi velint, in primis caveant Iustinianistae.

Auctor itaque suasorque sum omnibus, qui cumque plana et simplici via ad solidiorem iusti iniustique scientiam tendere cogitant, ut artifices imitentur, atque a levioribus ac facilibus atque adeo ab ipsis elementis incipient, sibique illa cognita ac familiaria reddant. Finem vero hunc certissime assequentur, qui Elementis Heineccianis probe imbuti, Recitationes quae iam prodeunt, nihilque sunt aliud, quam paulo pleniores Elementorum explicaciones, diligentes legant, memoriaeque mandent. Ita vero auctor illas instruxit adornavitque, ut repetitioni eorum, qui quemlibet doctorem Elementa Heinecciana explicantem audiant, perutiliter inserviant, sic ut legens illas ipsum quasi auctorem docentem ac semet interpretantem audire videatur.

Valete et his fruimini. Scrib. Calendis Sept. CCCCCCLXIV.

LE-

## LECTORI

**Q**uod bonum fortunatumque sit, Bene-vole Lector, sisto tibi quae iam publi-ci iuris fiunt Divi Iustiniani Institu-tiones, notis Arnoldi Vinnii ICTi. illus-tras; quibus accedunt Heineccii Recitationes una cum Antiquitatum Romanarum compen-dio suis locis particulatim apposito secundum novam Scholae methodum. Quumque muneri mihi iniuncto facturus satis, nonnihil studii ac laboris impenderim, quo limatior nostra haec prodiret editio, operae pretium factu-rum putavi, totius instituti mei rationem pau-cis exponere. Operi itaque me accingens, tex-tum Institutionum a Vinnio evulgatum cum castigatissima editione conferens, purum ni-tidumque exhibere adlaboravi; notas omnes unicuique paragrapho respondentes ad cal-cem ipsius textus accommodavi; ipsas notas, quanta fieri potuit diligentia, a labeculis quae fugerant editorem, purgavi; textus denique legum et paragraphos, atque doctorum viro-rum auctoritates improbo sane labore consu-lui; quaeque turbata animadverti, ad exem-

\*2

pla-

plarium fidem restitui; quae minus accurate  
citata offendit, clarius pleniusque descripsi at-  
que notavi. Deinde, Heineccii Recitationi-  
bus iustum decentemque correctionem neces-  
sitate ita exigente adhibui, titulis praesertim  
*de nuptiis*, *de rerum divisione*, et *de usuca-  
pionibus*. Qua enim parte doctissimus cetero-  
quin Heineccius plus nimio genio suo indul-  
gens in Romanam Ecclesiam evagatur iniu-  
rius, nonnulla comminiscens solidae pietati  
ac religioni contraria, ea omnia longe ab  
editione nostra exsulare decrevi; quin potius  
eorum loco doctrinam subrogans communis  
Catholicorum suffragio probatam, ita lacu-  
nas explore curavi, ut non aliena manu ad-  
sutum appareret, sed quasi eumdem Heinec-  
ciuum auctorem habuissent, omnia uno vel-  
uti filo cohaererent. Praeterea, paragraphos  
omnes ius peculiare Germaniae continentis  
penitus expungere religioni mihi non fuit;  
propterea quod isthaec editio Hispanae praes-  
ertim iuventuti instituendae destinatur, cu-  
ius certe parum interest Germanos mores iu-  
raque nosse.

In Romanarum Antiquitatum compendio  
elucubrando nihil antiquius habui, quam ut  
omnia, quae in Recitationibus vel in Ele-  
men-

mentis secundum Pandectarum ordinem fuerant iam ab Heineccio occupata, silentio praetermitterem, ne crambe recoeta tyronum mentes incassum fatigarem. Quinimo eorum utilitati consulens, ea tantum seligere decrevi, quae vel in Recitationibus leviter indicata, latius ex Antiquitatibus illustrari oportebat; vel quamvis silentio praetermissa, lucem iis quae tractabantur, mutuari abunde poterant. Quumque nihil in disciplinis omnibus sit magis expetendum, quam ut eo ordine proponantur singula, quasi uno filo cohaereant, neque extra oleas, ut aiunt, quidquam evagetur, quo facilius percipere et inter se comparare omnia, ac semel percepta memoriae perpetuo fixa tenere possimus; idcirco consultius me facturum esse putavi, si quae ex Romanis Antiquitatibus decerpseram, singulis Recitationum titulis opportuno loco particulatim subiungere, diverso literarum charactere, quasi notarum vicem exhibentia; ut facili via in unoquoque argumento notitiam Antiquitatum cum iure civili eodem tempore coniungentes Themidos alumni, commodius cuncta digererent, ac velut in succum et sanguinem converterent.

Vltimo denique loco animadvertere placuit,

cuit, Heineccium sicubi in suis Recitationibus doctrinam confirmat, paragraphum allegans appicto simul asterisco, nihil praeter Scholium eiusdem designare voluisse, Elementa iuris civilis respiciens, secundum ordinem Institutionum ab ipso adornata.

Atque en tibi, Benevole Lector, totius instituti mei ratio breviter exposita. Tuum nunc est, labores meos nigro albove notare lapillo. Illos tamen nihil moror, qui aut turpi otio marcescunt; aut ea damnant, quae penitus ignorant; aut qui <sup>τῇ αὐθαδείᾳ</sup> laborantes nihil rectum putant, nisi quod ipsi faciant. Me quod attinet, amplum satis operae premium tulisse videbor, si tyronum utilitati, quorum gratia hunc aliosque labores suscepi, pro mea virili inserviero, viamque saltim muniero, quam sapientissimi viri, quos haec alit Academia, felicius exornent. Vale et his fruere.

# INDEX TITVLORVM

## LIBRI PRIMI.


Primus numerus Iustiniani Institutiones notis  
Vinnii adornatas , secundus Heineccii  
Recitationes designat.

TIT.I. <i>D e iustitia et iure.</i>	Pag. 30 35
II. <i>De iure naturali , gentium , et ci- vili.</i>	48 61
III. <i>De iure personarum.</i>	93 97
IV. <i>De ingenuis.</i>	104 107
V. <i>De libertinis.</i>	109 115
VI. <i>Qui et ex quibus causis manumitte- re non possunt.</i>	127 134
VII. <i>De lege Fusia Caninia tollenda.</i>	140 142
VIII. <i>De his , qui sui vel alieni iu- ris sunt.</i>	144 148
IX. <i>De patria potestate.</i>	151 154
X. <i>De nuptiis.</i>	162 176
XI. <i>De adoptionibus.</i>	205 216
XII. <i>Quibus modis ius patriae potesta- tis solvitur.</i>	232 243
XIII. <i>De tutelis.</i>	252 256
XIV. <i>Qui testamento tutores dari pos- sunt.</i>	267 271
XV. <i>De legitima agnatorum tutela.</i>	277 280
XVI. <i>De capitis deminutione.</i>	285 290
XVII. <i>De legitima patronorum tutela.</i>	295 297
XVIII. <i>De legitima parentum tutela.</i>	298 298
XIX. <i>De fiduciaria tutela.</i>	299 301
XX. <i>De Atiliano tute, et eo qui ex</i>	

<i>lege Iulia et Titia dabatur.</i>	302	308
<b>XXI. De auctoritate tutorum.</b>	312	316
<b>XXII. Quibus modis tutela finitur.</b>	323	327
<b>XXIII. De curatoribus.</b>	333	338
<b>XXIV. De satisfactione tutorum vel cu-</b>		
<b>ratorum.</b>	349	353
<b>XXV. De excusationibus tutorum vel cu-</b>		
<b>ratorum.</b>	360	372
<b>XXVI. De suspectis tutoribus vel cu-</b>		
<b>ratoribus.</b>	391	399

### MENDA TYPOGRAPHICA.

Pag.	Lin.
235	13 in fine superest et uxor.
344	29 pro parentibus lege potentibus
364	10 pro non affectate lege non affectatae



# PROOEMIVM

DE CONFIRMATIONE INSTITVTIONVM.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI

IESV CHRISTI.

**I**MPERATOR <sup>2</sup> CAESAR <sup>3</sup> FLAVIUS <sup>4</sup> IVSTINIANVS,  
<sup>5</sup> ALEMANICVS, GOTTHICVS, <sup>6</sup> FRANCICVS, GER-  
MANICVS, ANTICVS, ALANICVS, VANDALICVS, AFRI-  
CANVS, <sup>7</sup> PIUS, <sup>8</sup> FELIX, INCLYTUS, VICTOR AC  
<sup>9</sup> TRIVMPHATOR, SEMPER <sup>10</sup> AVGVSTVS, cupidae le-  
gum iuventuti S.

**1** *Imperator*) Hoc nomine etsi appellantur omnes exercitus ductores, οἱ σεανηγοὶ ἡ τὰς πολέμων ἵγειρες, proprie tamen id tribui solebat iis, qui re bene gesta hoc honoris titulo, acclamatione militum, vel decreto Senatus decorati essent. Post occupatam Remp̄ub. perpetuum Principis praenomen esse coepit ex SC. *Hotomannus* ex *Cic.* *Tacit.* *Suet.* *Dion.* *Appian.*

**2** *Caesar*) Cognomen familiae in Gente Iulia, quod post C. Iulium factum est hereditarium Imperatorum. Procedente tempore, eodem nomine appellati, et qui vivo Imperatore designati augustae maiestatis heredes: *L.* 7. *C. de malef. et mathem.* *Spartian.* in *AElio Vero.* cap. 2. ubi et hunc ipsum primum Caesarem ea ratione appellatum, testatur. Hodie *Reges Romanorum* vocantur.

**3** *Flavius*) A Vespasiano Imperatore hoc nomen manavit, quem e Flavia gente nova et ignobili fluxisse, *Suetonius* auctor est in eius vita cap. 1.

**4** *Iustinianus*) Nomen hoc Imperatoris nostri pro-  
Tom. I. A prium

prium fuit; idque etiam habuit ante adoptionem: ex quo apparet, non esse productum a nomine Iustini avunculi et patris adoptivi, ut quidam putant.

5 *Alemanicus, Gotthicus, cet.*) Agnomena a devictis aut bello lassitis gentibus ducta. Seneca 1. *de Clement.* cap. 14. scribit, assentantem populum ambitionis maiestati tribuisse, quidquid potuit congerere titulorum.

6 *Francicus*) Theodibertum Francorum Regem gravissime tulisse refert *Agathias*, quod Iustinianus, velut devicta gente Francorum, Francici titulum sibi sumisset. Postea etiam Gepidicum et Longobardicum se dixit, quod eas quoque gentes irritavit. *Cuiac.* et *Grot.* ex *Agathia*.

7 *Pius*) Primus hoc cognomen obtinuit Antoninus Hadriani successor: *Capitolin.* in *Antonin.* cap. 2. inde ad alios descendit. Iustinian Nov. 78. cap. 5. Ἀρτοῦρος τὸν εὐσεβεῖας ἐπώνυμος, οὗ ὅμηρος εἰς ἡμᾶς τὰ τὸν ἀγορανοπιας ταύτας καθέτει.

8 *Felix*) Usurpavit hoc cognomen Commodus, ut historiae testantur, quem plerique successores imitati, appellationem hanc Iustiniano tradiderunt.

9 *Triumphator*) Triumphasse legitur de Persis et Vandalis. Varro lib. 7. *de ling.* scribit, triumphare sic appellatum esse, quod cum Imperatore milites redeuntes clamitant per Vrbem in Capitolium eunti, Io triumphe, io triumphe.

10 *Augustus*) Nomen hoc primum Octavio a Senatu tributum: dictum ab eo, quod loca, in quibus augurato quid consecratur, augusta nominantur. Suet. in *Aug.* cap. 7. Alii ab augendo Imperio dictum putant.

Vt *Plato* Legislationis tres vult esse partes, Prooemium, Legem, et Sanctionem, ita huius Constitutionis eadem deprehenduntur membra. I. Prooemium, quo suum legislationis studium commendat, usque ad §. 3. II. Legislatio, usque ad §. pen. III. Sanctio. *Wesemb. hic.*

De

*De Vsu Armorum et Legum.*

**I**mperioriam maiestatem non solum <sup>1</sup> armis decoratam, sed etiam <sup>2</sup> legibus oportet esse armatam: ut utrumque tempus, et bellorum, et pacis, recte possit gubernari; et Princeps Romanus non solum in hostilibus praeliis <sup>3</sup> victor existat, sed etiam per <sup>4</sup> legitimos tramites <sup>5</sup> calumniantium iniquitates expellat; et fiat tam <sup>6</sup> iuris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator (<sup>7</sup> magnificus.)

**1 Armis decoratam**) Imperator utrumque Reip. tempus sine armorum ac legum praesidio recte administrare non potest: in quam sententiam preclara quae-dam hic adpersa ab *Hotom.* et *Grot.* ex *Arist. Plat. Liban.*

**2 Legibus armatam**) Munitam et instructam. M. Tullius lib. 1. de Offic. cap. 22. scribit, Lacedaemoniorum imperium multo plus Lycurgi legibus et disciplinae debere, quam aut *Pausaniae*, aut *Lysandri* rebus gestis. *Parvi enim*, inquit, *sunt foris arma, nisi sit consilium domi, cet.* Est autem hic *χιλούρις οὐτα τὸ τε τῷ Χειροτείνῳ*. tribuit armis decorari; legibus armari. *Theoph.* verbum pro verbo reddidit: *ὅπλοις ποσμεῖσθαι, νόμοις δηλιγεῖσθαι.*

**3 Victor existat**) Sensus est apertus: Imperatorem non ex armis tantum, sed etiam ex legibus gloriosam sibi victoriam comparare.

**4 Legitos tramites**) Ea ratione, quam leges praescribunt. *Theophilus* convertit, *νομούσις επινοίας*, legitimis inventis. Imperator non tantum hostibus debellandis, verum etiam calumniatoribus coercendis, victoris nomen adipiscitur.

**5 Calumniantium**) Pars pro toto; improbitas, quae  
A 2 in

4 PRO O E M I V M

in iudiciis versatur , de qua proprie verbum calumnian-  
di intelligitur , pro omni , quae in pacata civitate admit-  
titur. Cicero 2. de Repub. fragm. *Vt Carneadi respon-*  
*deatis , qui saepe optimas causas ingenii calumnia lu-*  
*dificari solebat.*

6 *Iuris religiosissimus* ) Iuris ad summam religio-  
nem observantissimus. Dionys. Halicarn. lib. 5. Κράπτος  
ἢ βασιλεὺς ὁ δικαιότατος περὶ τομημάτων.

7 *Magnificus* ) Abest haec vox a veteribus libris,  
testib. *Cuiac.* et *Hotom.* nec *Theoph.* agnoscit.

*De Bellis et Legibus Iustiniani.*

§. I.

Quorum utramque viam cum summis vigi-  
liis , summaque providentia , annuente Deo , per-  
fecimus. Et bellicos quidem sudores nostros <sup>2</sup> bar-  
baricae gentes sub iuga nostra <sup>3</sup> redactae cognos-  
scunt : et tam Africa , quam aliae <sup>4</sup> innumerae pro-  
vinciae , <sup>5</sup> post tanta temporum spatia , nostris vi-  
ctoriis a coelesti numine praestitis , iterum <sup>6</sup> di-  
tioni Romanae , nostroque additae Imperio , pro-  
testantur. Omnes vero populi , legibus tam a no-  
bis <sup>7</sup> promulgatis , quam compositis , reguntur.

1 *Vtramque viam* ) Iustinianus et gloriam sibi pe-  
perit victis hostibus , et juris aequabilitatem inter cives  
suos retinuit.

2 *Barbaricae gentes* ) Significat Persas in Syria , Van-  
dalos in Africa et Italia , Gotthos in Italia et Sicilia.

3 *Redactae* ) Vet. *deductae* , et ita *Cuiac.* et *Hotom.*

4 *Innumerae* ) Vet. *numerose* , id est multae , sic  
enim loquuti sunt *Cassiod.* *Oros.* *Eutrop.* et alii scri-  
ptores ἀνθεγονοι , *Theophilus* tamen ἀναγιθμοί.

Post

5 Post tanta temporum spatia ) Post annos 95. quibus Vandali Africam tenuerunt , L. i. Cod. de offic. Praef. Afric. Adstipulatur Procop.

6 Ditioni Romanae ) Postquam sedes imperii Constantinopolim ( quae antea Byzantium , postea etiam nova Roma ) translata fuit , Imperium Romanum a Constantino et Gallieno in duas partes divisum , Orientalem et Occidentalem , et utriusque parti suea provinciae attributae.

7 Promulgatis ) Promulgatas suas , compositas alienas intelligit , id est , ex veteri iure in unum collectas et dispositas.

### *De Compositione Codicis et Pandectarum.*

#### §. II.

Et cum sacratissimas Constitutiones , antea confusas , <sup>1</sup> in luculentam ereximus consonantiam , tunc nostram extendimus curam <sup>2</sup> ad <sup>3</sup> immensa veteris prudentiae volumina ; et opus desperatum , quasi <sup>4</sup> per medium profundum eentes , coelesti favore iam adimplevimus .

1 In luculentam ereximus consonantiam ) Intelligit Codicem priorem , quem altero imperii sui anno componi iussit 528. et anno insequenti edidit. In hunc Principum Constitutiones vage per tres Codices , Gregorianum , Hermogenianum , Theodosianum , dispersas collegit. Const. de nov. Cod. fac. et de Iust. Cod. confirm. Sed eum non habemus. Post idem Codex iterum emendatus est , et multis locis recognitus , additis 50. Decisionibus , quo hodie utimur.

2 Ad immensa veterum volumina ) Quarto imperii anno , Lampadio et Oreste Coss. 530. Pandectaras componi ius-

iussit, ediditque et confirmavit anno Imperii sexto, ipso  
111. Cos. eodemque anno compositae Institutiones, et  
promulgatae uno mense ante Pandectas; ut Pandectae  
compositione priores sint Institutionibus, confirmatione  
postiores. Codicem repetitae preelectionis promulgavit  
anno proximo, ipso IV. et Paulino Coss. 534. Haec  
perspicua sunt ex Constitutionibus ad Iuris compositio-  
nem pertinentibus. Novellar. liber diem non habet.

3 *Immensa volumina*) Innumera veterum scripta,  
quae in bis mille libros et aliquot centena millia ver-  
suum excreverant. *L. omnem §. 1. de Concept. Digest.*

4 *Per medium profundum*) Per medias difficultates.  
*Liv. lib. 31. cap. 1. Provideo animo in vastiorem me-  
alitudinem, ac velut profundum invehi.*

*De tempore, auctoribus, fine et utilitate  
compositionis institutionum.*

§. III.

Cumque hoc, Deo propitio, peractum est,  
Triboniano Viro magnifico, <sup>1</sup> Magistro, et <sup>2</sup> Ex-  
quaestore sacri palatii nostri, et Exconsule; nec-  
non Theophilo et Dorotheo, Viris illustribus, et  
<sup>3</sup> Antecessoribus ( quorum omnium solertiam, et  
legum scientiam, et circa nostras iussiones fi-  
dem, iam ex multis rerum argumentis accepimus,) con-  
vocatis, mandavimus specialiter, ut ipsi no-  
stra auctoritate, nostrisque suasionibus Institu-  
tiones componerent: ut liceat vobis <sup>4</sup> prima le-  
gum cunabula non ab <sup>5</sup> antiquis fabulis discere,  
sed ab Imperiali splendore appetere; et tam au-  
res, quam animi vestri, nihil inutile, nihilque per-  
peram positum, sed quod in ipsis <sup>6</sup> rerum obti-  
net argumentis, accipient: et quod priore tem-  
po-

pore vix 7 post quadriennium prioribus contingebat , ut tunc Constitutiones Imperatorias legerent , hoc vos a primordio ingrediamini , <sup>8</sup> digni tanto honore , tantaque reperti felicitate , ut et initium vobis , et finis legum eruditionis a voce Principalis procedat.

1 *Magistro* ) Scil. officiorum , penes quem cura est totius pene aulae et palatii. Gallis *Prevost de l' hostel. Cuiac.* in L. 3. C. de *Praepos. sacr. cubil. lib. 12.*

2 *Exquaestore* ) Quaestor aetate Iustiniani is erat , quem nostra aetas Cancellarium vocat , ut pass. in Cod. hoc est , ad quem cura Legum et Iuris pertinet : custos Legum et famae publicae appellatur in Nov. Valentiniani de *homic. cas. fact.* et a Cassiod. aliquot locis. Exquaestores et Exconsules a Iustiniano dicuntur , qui a Latinis Quaestorii et Consulares.

3 *Antecessoribus* ) Iuris interpretibus , ac Doctoribus , *τεχναῖς* , ut pass. in *praef. Pand. τῶι οὐρ θεοράσιοι* , L. 6. §. 12. ff. de *excus. tut.* Qui forum sequebantur , togati ; qui scholas , Antecessores , et Professores dicebantur.

4 *Prima legum cunabula* ) Prima legum fundamenta , *σοιχία* seu elementa , primam legum audientiam appellat in L. un. C. de *nud. iur. Quirit. toll.*

5 *Antiquis fabulis* ) Ius antiquum et obsoletum intelligit , quo referti erant veterum Iurisconsult. libri.

6 *Rerum obtinet argumentis* ) Huc pertinet illud Aristippi apud *Laërtium* , qui percontanti cuidam , quae potissimum adolescentibus essent discenda , respondit , quae viris usui futura sunt.

7 *Post quadriennium* ) *Theophil. μετὰ τριετῆ χρόνον.* Sed aut erravit ipse , aut corrupti sunt codices , ut patet ex *praefat. ad Anteces. Fäbrot. in not. ad Theoph.*

8 *Digni tanto honore , tantaque reperti felicitate* ) Digni reperti tanto honore tantaque felicitate. *Theoph.*

τοσαύτης ἀξιωθέσιες πυᾶς, καὶ τοσαύτης απολαύσασις εὐτυχίας, dignati et assequunti.

### *Divisio Institutionum.*

#### §. IV.

Igitur post libros quinquaginta Digestorum  
 1 seu Pandectarum, in quibus omne ius antiquum  
 2 collectum est, quod per eundem virum excel-  
 sum, Tribonianum, nec non 3 ceteros viros illu-  
 stres et facundissimos confecimus, 4 in quatuor li-  
 bros easdem Institutiones partiri iussimus, ut sint  
 totius legitimae scientiae prima elementa.

1 *Pandectarum*) Pandectae σαρά τὸ τῶν δίκαιων, quod  
 omnis generis Leges complectantur. Hamenop. lib. 1.  
 tit. 1. §. 6.

2 *Collectum est*) Libri veteres teste Hotom. collat-  
 tum est. Et ita Theoph. οἱ οἰς ἡθοῖς ταῖς πᾶσαι ἐν τῷ ἀρχαιο-  
 τομοθεσίᾳ.

3 *Ceteros*) Praeter Tribonianum, Theophilum, Do-  
 rotheum, tredecim aliis usus est Iustinianus, quos enu-  
 merat et nominat in *praefat. 2. Digest. §. 9.*

4 *In quatuor libros*) Apud Theoph. abundant ver-  
 ba, τῶν εἰγμάτων Διγέτων. Fabrot.

### *Quid in Institutionibus contineatur.*

#### §. V.

In quibus breviter expositum est, et quod an-  
 tea obtinebat, et quod postea 1 desuetudine inum-  
 bratum, Imperiali remedio 2 illuminatum est.

De-

1 *Desuetudine*) *Theoph.* *ἀσυνθίτης*, quasi dicas *insuetudine*. Significat autem iura antiqua et antiquata, qualia multa in argumentis usucaptionum, exhereditationis liberorum, legatorum, successionum ab intestato, bonorum possessionum, satisdationum, cet.

2 *Illuminatum est*) *Theoph.* *ἐφαντάσις*. Intelligit autem et desuetorum quorundam in usum revocationem, et aliorum vel interpolationem, vel abolitionem.

*Ex quibus libris compositae sunt Institutiones,  
atque earum recognitio et confirmatio.*

### §. VI.

Quas ex omnibus antiquorum Institutionibus, et praecipue ex commentariis Caii <sup>2</sup> nostri, tam Institutionum, quam Rerum quotidianarum, aliisque multis commentariis compositas, cum tres viri prudentes praedicti nobis obtulerunt, et legimus, <sup>3</sup> et recognovimus, et plenissimum nostrarum <sup>4</sup> Constitutionum robur eis accommodavimus.

1 *Praecipue ex commentariis Caii*) Hoc ita esse vel ex reliquiis scriptorum Caii, quae in Pandectis supersunt, cuivis animadvertere licet, saepius enim huius unius, quam ceterorum omnium verba in his libris proferuntur.

2 *Nostri*) Benevolentiae significatio, ac sic plerunque praedecessores, qui nostra fuerunt professionis, appellamus. *Scaevola noster* apud *Paulum* et *Triphoninum* saepe, apud Pomponium *Caius noster* *L. pen. ff. de stip. serv.* Floruit sub Hadriano et Marco. *L. 7. de reb. dub. L. pen. ff. ad SC. Tertyll.*

3 *Recognovimus*) Id est, corrigendi causa diligenter  
*Tom. I.* B

ter et attente legimus. Cic. pro Balb. cap. 5. *Nos Cn. Pompeii decretum, iudicium, de consilii sententia pronunciatum recognoscemus.*

4 *Constitutionum robur eis accommodavimus*) His verbis indicatur Institutionum confirmatio. Vnde haec praefatio Theophilo, θεοφίλου τὰ ἵνατα.

### *Abortatio ad studium Iuris.*

#### §. VII.

1 *Summa itaque ope, et alacri studio has leges nostras accipite: et vosmetipsos sic eruditos ostendite, ut spes vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam nostram Rempublicam in partibus eius vobis credendis gubernari.* 2 D. CP. XI. Kalend. Decemb. D. Iustiniano PP. A. III. Cos.

1 *Summa ope, et alacri studio*) Epilogus exhortatorius, ut in suasoriis usitatum, a spe et exspectatione praemiorum. Cic. 1. de Orat. cap. 8. *Pergite, ut facitis, adolescentes, atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis honori, et amicis utilitati, et Reipub. emolumento esse possitis.*

2 D. CP. XI. Kal. Decemb.) Id est, *Data Constantinopoli XI. Kalendas Decembris, Domino Iustiniiano perpetuo Augusto, tertium Consule. In quibusdam libris, P. P. quasi Patre Patriae, quod eius temporis consuetudo repudiat. Hotom.*



## HEINECCII RECITATIONES PROOEMIVM.

**C**onsilium est , quod Deus O. M. felix faustumque esse iubeat , huius quoque anni initio interpretrari Elementa Iuris a nobis secundum Institutionum ordinem adornata. In quo labore ita versabimur , ut , si discentes eamdem diligentiam , quam nos pollicemur , ad has acroases attulerint , in spem illam pulcherrimam ingrediamur , fore , ut fructum inde uberrimum capiant. Antequam vero ad rem ipsam accingamur , tria potissimum , monenda duximus. Primum , ut auditores sint assidui , neque ex ulla temere präelectione absint. Totum enim hoc opusculum uno veluti filo cohaeret , ita ut si priora non intelligantur , posteriora , quae inde fluunt , intelligi nequeant. Sane , ne quis hoc sibi praedictum neget , qui desultoria opera in scholis his frequentandis intentur , ii non doctiores inde discedent , quam si illis plane numquam interfuerint. Alterum , quod monere visum , hoc est , ut auditores non nisi Corpore Iuris instructi adveniant. Saepe enim evolvendae erunt leges notatu digniores : et est hoc in primis utile ac frugiferum , iuris studiosum mature adsuefieri evolvendis legibus , et familiare sibi reddere illud opus Iustinianeum , quod non minoris auctoritatis est in Iurisprudentia , quam in Theologia , Scriptura Sacra. Non facilius vero tractationi Corporis Iuris adsuefient discentes , quam si , duce präceptor , textus in collegiis diligenter evolvant , eosdemque domi repeatant , et in succum et sanguinem vertere studeant. Postremo et id moneo , eos , qui ad solidiorem

doctrinam adspirant, egregie consulturos rationibus suis, si cum praelectionibus in domestica repetitione iunxerint primo *Antiquitates nostras Romanas*, quibus ea, quae ex statu reipublicae Romanae scitu necessaria sunt, breviter explicavimus, ac deinde vel B. Huberi *praelectiones*, bonae frugis plenissimas, vel Arnoldi Vinnii *comment.* plurium enim librorum lectione ingenia tironum obrui nolle. His praemissis ad *Prooemium* progredimur. Quia enim interpretationem promittentibus inconveniens semper visum est, omissis initiis, atque origine non repetita, atque illotis, ut ita dicam, manibus, protinus materiam interpretationis tractare, L. I. ff. *de Origine Iuris*, praemiso hoc prooemio, exemplo Iustiniani, egimus *de Corpore Iuris Iustinianeo*, exposuimus quoque

- 1) causas, cur illud compilatum sit, §. I. II.
- 2) auctorem, cuius auspicio collectum, §. III. IV.
- 3) partes eius vel libros, ex quibus illud Corpus conflatum est, §. V. ... XIV.
- 4) auctoritatem tum singulorum librorum, tum totius operis, §. XV. ... XVII.

### §. I.

Causarum, quae ad compilandum hoc opus Iustinianum impulerunt, duae potissimum proditae sunt: *Iuris Romani immensa moles*, de qua §. I.; et *infelix aliorum*, qui ante Iustinianum hunc laborem tentarunt, *conatus*; de quo §. II. De utraque ratione dicendum erit paulo accuratius. Moles iuris Romani paulo ante Iustinianum tam immensa fuit, ut pene nemo ingenuus vellit studio tam diffuso atque infinito operam dare. Qui iuri se consecrarunt, scire debebant Constitutiones principum, quae in tres collatae codices vetustissimos in immensum numerum excreverant. Deinde, quae hodie non ita magno Pandectarum libro continentur, ea ante Iustiniani tempora per duo millia librorum erant dispersa, qui-

quibus legendis vix hominum aetas sufficiebat , *Const.*  
*Tanta §. I. de confirmat. Digest.* Iacob Gothofredus in  
*Prolegg. ad Cod. Theodos. cap. I.* Et hinc est , quod  
Eunapius , loco in ipso compendio citato , Iurispruden-  
tiam vocat *multorum camelorum onus*. Hinc est , quod  
Mamertinus in *paneg. ad Iulian.* scribit , *iuris civilis*  
*scientiam* , *quae olim Manlios , Scaevolas , Servios , in*  
*amplissimum gradum dignitatis extulerat* , *libertorum*  
*iam artificium esse*. Hinc denique est , quod apud Phot.  
*in biblioth. saec. 5. col. 1499.* memoratur , *servus Scytha* ,  
*qui Iurisprudentiam professus sit*. Nemo enim ingenuus  
audebat isti oceano se committere , cuius finem vix p-  
videbat.

Quae cum animadverteret Iustinianus , prudenter sta-  
tuit , e re fore non modo Iurisprudentiae , sed et impe-  
rii sui , si tantam legum et iuriuum sylvam coerceret , et  
in modicum redigeret compendium ; qua in re divinam  
opem celebrat pie *in pr. Const. Tanta de confirm. Digest.*

## §. II.

Habemus primam causam confecti Corporis Iuris ; se-  
quitur altera , nempe quia ante Iustinianum plures id  
opus infelici conatu aggressi fuerant.

Primus eum laborem suscepit Cicero , quem Corpus  
Iuris confidere voluisse testatur Gell. *lib. I. cap. 22.* ubi  
memorat eius librum *de iure civili in artem redigendo*.  
Sed rem tantus vir non perfecit. Idem deinde consilium  
agitavit Pompeius ; de quo Isidor. *etym. lib. 5. cap. I.*  
*leges in libros redigere illum* , *primum consulem , insti-*  
*tuere voluisse , sed non perseverasse obtredatorum me-*  
*tu* ; quamvis , quum Isidorus sit scriptor saec. VII. , ve-  
teres autem auctores ea de re veluti de compacto taceant,  
res non adeo certa ac liquida videatur. Certius est , Iu-  
lium Caesarem , iam dictatorem perpetuum , de Corpore  
Iuris cogitasse ; de quo Sueton. *in Iul. cap. 44.* refert ,  
de-

destinavisse eum , ius civile ad certum modum redigere , atque ex immensa diffusaque legum copia , optima quaeque et necessaria in paucissimos conferre libros . Sed talia agentem mors cruenta preecepit , adeoque et id consilium pulcherrimum successu caruit .

Quod itaque tam multis male successerat , id felicissimis auspiciis aggressus est Iustinianus , qui ideo *in pr. Const. Tanta de Confirm. Dig.* vere gloriatur , se perfecisse , iuvante Deo , quod nemo ante suum imperium umquam speraverit , neque humano ingenio possibile esse penitus existimaverit . Sunt , qui dolent , a Iustiniano hoc opus perfectum esse et non potius a Iulio Cæsare , qui , quum fuerit vir omni doctrina perpolitus , elegantius dare potuisset Corpus Iuris , quam Iustinianus , saeculi sexti princeps , cuius aetate iam barbaries incumbere orbi Romano coepérunt . Vnde quaestio nascitur , an melius de Iurisprudentia nostra mereri potuisset Caesar , quam Iustinianus ? Et facile quidem fatemur , si Caesar istud opus compilasset , illud et elegantius , et concinnius , et doctius fuisse futurum , sed non sane fuisset utilius , et foris nostris accommodatius . Nam 1) illud corpus non nisi Ius Vetus complecti potuisset , quum Novum , et quod hodie in ipsis rerum obtinet argumentis , demum post Iul. Caesarem accesserit . 2) Tunc caruissemus maximum ICtorum scriptis , puta Papiniani , Iuliani , Pauli , Vlpiani , &c. qui omnes demum post Iul. Caesarem viixerunt , et Iurisprudentiam ad summum perfectionis gradum evexerunt . Hinc potius divino numini acceptum ferimus , quod demum saec. VI. et senescente iam imperio Romano , compilando huic operi animum adpulit Iustinianus : sic enim et novissimi iuris thesaurum acceperimus , et consummatissimorum ICtorum fragmenta habemus , adeoque ius tractamus in scholis , cuius usum in foro frequentissimum experimur .

(Opposita haec sunt Hotomanni *Antitriboniano* , et celeb. Thomasii *Naevis Iurisprudentiae Ante-Iusti-*

*stinianeae*; ubi hi auctores toti sunt in exagitando  
Iustiniano, eiusque opere.)

## §. III.

Hactenus prima pars prooemii, qua causae, cur **Corpus Iustinianum** confectum sit, exponebantur: iam de altera, qua de auctore istius aeterni operis agimus. Confectum illud est auspiciis Iustiniani, de cuius ingenio  
§. III. et rebus gestis §. IV. quaedam disserimus.

Fuit Iustinianus obscurae originis, gente Illyricus, sed a fortuna ad summum inter homines fastigium evectus. Quum enim eius avunculus, Iustinus, antea subulcus, militiae nomen dedisset, ac per omnes militiae gradus de-  
mum ad imperatoriam dignitatem pervenisset, in soro-  
ris filium adoptavit imperiique consortem, vel ut tunc vocabantur, Nobilissimum Caesarem dixit. Mortuo ergo Iustino solus rerum potitus 40. annos imperavit, omnes-  
que ante se principes felicitate et rerum gestarum glo-  
ria superavit. De huius itaque principis moribus diver-  
sa admodum sunt veterum ac recentiorum scriptorum iudicia. Omnes veteres eum laudant, recentiores in cae-  
lum extollunt, praeterquam Pontifici Romano addicti.  
Sed unus est ex veteribus, *Procopius*, qui, cum in omni-  
bus operibus suis ingenium, prudentiam, probitatem, et  
virtutes Iustiniani celebret, postea scripsit librum, quem  
*Anecdota* vocavit, qui cum eruditis Nic. Alemanni no-  
tis prodit *Lugd.* 1623. fol. In hoc Iustinianum depin-  
xit tamquam principem stolidum, uxori meretrici obno-  
xiuum, avarum, impium, et omnibus vitiis contamina-  
tum. Inde novae lites. Edito enim hoc opere, alii haec  
Procopii tamquam ex tripode dicta suscepérunt, alii ea ha-  
buere tamquam calumnias. Et hinc exstant Gabr. Trivorii  
*Observatio apologetica*, nuper in *Ottōn. thes. iur. tom. I.*  
recusa, et Io. Eichelii, ICti eximii, *Apologia et anim-  
adversiones in Procop. Helmst.* 1654. 4. editae, qui-  
bus

bus Iustiniani famam adversus Procopium vindicare nituntur. Quid ergo? Nervus atque artus sapientiae est, non temere credere. Non fuit Iustinianus a naevis et vitiis immunis. Adhaeserunt ipsi vitia quaedam sane non levia, veluti obsequium erga Theodoram uxorem, mulierem scenicam et improbam, luxus et magnificentia nimia, in mutandis legibus inconstantia. Sed vitia haec magnis permixta virtutibus fuerunt. Fuit enim acri ingenio, magnanimus, fortis, splendidus, et, ut paucis dicamus, maximus saeculi sui princeps, cui facile naevos condonabis, quos tot eximiis virtutibus pensavit.

## §. IV.

Abunde id docent res a Iustiniano pace belloque gestae, de quibus hoc §. IV. quaedam disserimus. Inciderat eius aetas in illa tempora, quibus barbari imperium Romanum pene ad incitas redegerant. Italiam, Hispaniam, et Galliae partem non minimam Gotthi tenebant; Africam Vandali occupabant; Orienti imminebant Persae; Iustinianus tamen his omnibus restitit. Persas enim profligavit et compescuit, Africam iterum perdomuit, qua de victoria gratias egit Deo *L. 1. pr. et L. 2. C. de offic. praef. praet. Afric.* ac denique ipsam Italiam, exciso Gotthorum regno, recepit. Accurate horum bellorum historiam condunt Procopius, libris singularibus *de bello Gotthico*, *Persico*, *Vandalico*, et Agathias in eorum temporum historia. Et iam demum concipimus titulos, quos sibi initio Institutionum tribuit Iustinianus. Non enim, more hodierno, provincias, quas possederat, indicant, sed populos, quibuscum dextro Marte bella gessit. Hinc se vocat *Alamannicum*, *Gotthicum*, *Francicum*, *Germanicum*; quod Gotthos, quibus Alamanni, Franci, et Germani stipendia fecisse videntur, devicerat: *Alanicum*, *Vandalicum* et *Africanum*; quia Vandals et Alanos in Africa profligaverat, provinciamque illam receperat. De

An-

*Antico* disputatur. Ez. Spanh. *de usu et praest. numism. diss. 12. pag. 504. tom. 2.* legendum putat *Ponticus*, quod gentes quasdam ad Pontum Euxinum devicerat; quam sententiam et nos adduximus in nota\*. Si tamen quis lectionem vulgatam retinere malit, ei non magnopere refragabor, quia et *Antes* fuere populus barbarus, qui tempore Iustiniani magnum sui terrorem sparxit.

## §. V.

Haec in sago gesserat Iustinianus. Nec minus clarus in toga exstitit, dum ius Romanum, per tot volumina dispersum, in unum corpus compilari iussit; ut adeo non vana sit eius gloriatio, quod et armis iam imperatoriam maiestatem decorarit, et legibus eamdem armarit. *Pr. Inst. prooem.* Quare iam libros, quos confici iussit, ordine considerabimus, ut sciamus, ex quibus partibus compositum sit Corpus Iuris. Primus itaque liber, quem adornari iussit, est Codex Iustinianus editus quippe ann. 529. Codices vocabantur libri quadrati, et praecipue id nomen dabatur libris, in quos imperatorum constitutiones referebantur. Vid. Schulting. *Iurisprud. Veteris Ante-Iustinian. pag. 377. et 683.* Tales collectiones constitutionum iam tres ante Iustinianum exstabant: Codex Gregorianus, Hermogenianus et Theodosianus. Illi a privatis confecti, constitutiones imperatorum gentilium ab Hadriano ad Constant. M. complectebantur. Hic auctorem habebat Theodosium iuniorem, imperatorem, et christianorum principum epistolas vel constitutiones continet. Illi iam pridem perierunt, praeter quaedam fragmenta, quae in V. C. Ant. Schultingii *Iurispr. Veteris Ante-Iustinian. pag. 683. et 709.* habentur. Codex vero Theodosianus adhuc exstat tantum non integer, et egregiis commentariis illustratus a Iacobo Gothofredo prodit *Lugd. 1665. fol. tom. 6.* Et ex his tribus codicibus unum breviores fieri iussit Iustinianus, auctore praecipue Trib.

Tom. I.

C

bo-

boniano , exquaestore S. palatii , et ICto iis temporibus maximo , religione tamen , ut plerisque videtur , gentili ; quem a se Iustinianum Codicem vocari voluit.

Iam quaeretis forte , quem locum hic Codex in Corpore Iuris occupet ? Sed probe observandum , eum iam pridem periisse , et hodie nusquam reperi , quia , ut infra §. X. videbimus , eum ipse Iustinianus abolevit . Habetur quidem in Corpore Iuris nostro Codex , sed is non est Iustinianus , verum Repetitae Praelectionis , qui aliquot annis est recentior . Interim observandum , quoties in Institut. citatur Codex , toties intelligi non hodiernum , qui exstat , sed veterem illum pridem amissum .

## §. VI.

Absoluto Codice Iustiniane sequutae sunt *Pandectae* seu *Digesta* , perfecta intra triennium , et publicata anno 533.

De his observandum : 1) Pandectas esse librum , in quo veterum ICtorum interpretationes continentur . Quemadmodum ergo Codex constat ex imperatorum constitutionibus : ita Pandectae compositae sunt ex fragmentis Iuliani , Papiniani , Vlpiani , Pauli , Modestini aliorumque ICtorum , quibus leges et iura interpretantur : habentque haec fragmenta vim legum , non quatenus a ICtis scripta , ( hi enim legislatoria potestate non gaudent ) sed quatenus a Iustiniano , principe , pro legisbus publicata et deinde in forum recepta sunt . Hinc notandus textus L. 2. §. 10. et L. 3. §. 10. C. de Vet. Iur. Encl. ; ubi Iustinianus : *Vnam ( his fragmentis omnibus ) auctoritatem indulsimus , ut , quidquid ibi scriptum est , hoc nostrum appareat , et ex nostra voluntate compositum.*

2) Notandum , Pandectas dici hunc librum a graeco  $\pi\alpha\delta\tau\alpha$  , omne , et  $\delta\epsilon\chi\omega\mu\alpha$  , capio vel recipio , quia omnes disputationes et decisiones in se habent legitimas , et ,  
quod

quod undique fuit collectum, hoc in sinus receperunt,  
*L. 2. §. 1. C. de Vet. Iur. Encl. Digesta* autem di-  
cuntur, quia in isto pandectarum libro non omnia pro-  
miscue et sine ordine convasata, sed iusto ordine dispo-  
sita, et in certos titulos digesta sunt. Vtrumque vocabu-  
lum, tum aliis auctoribus, tum ICtis, fuit familiarissi-  
mum. Nam et *Apicius*, qui *de re culinaria* scripsit,  
librum suum vocavit *πανδέκτης*, et multo ante Iustiniani  
tempora, pandectas et digesta scripserunt Iulianus, VI-  
pianus, Celsus, Paulus, et alii. Obiter monere iuvabit,  
quamvis ita receptum sit, ut Pandectas in genere fe-  
minino dicamus, revera tamen nomen esse masculini ge-  
neris, ut omnia graeca in *ns* desinentia; quod iam ab  
aliis est observatum.

3) Monendum, pandectarum leges, quamvis ex di-  
versissimis auctoribus excerptas, tamen inter se cohaere-  
re, adeoque saepe sequentis sensum ex antecedente sup-  
plendum esse; quod secus se habet in Codice. Sic e. g.  
*L. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. ff. de Procurat.* nul-  
lum habebunt sensum, nisi ultima verba legis *17.* iun-  
gantur.

4) Sciendum, Pandectas citari solere ita, ut primo  
ponatur numerus legis (veteres etiam vocabulum initiale  
addebant) deinde  $\S$ phi numerus, hinc porro duplex  
ff. vel *n* vel *D.* Pandectarum signum, ac denique titu-  
lus. E. g. *L. Pomponius 40. §. 4. de procurat.* Libri  
et tituli numerus exprimi non solet: nec receptum est,  
ut e. g. citetur *lib. 3. Digest. tit. 3. L. 40. §. 4.* Vn-  
de operam dare debet studiosus iuris, ut domi sibi ti-  
tulorum ordinem familiarem reddat; alias enim ipsi mo-  
lestia erit legum evolutio.

## §. VII.

Pandectis nondum publicatis prodierunt *L. Decisio-*  
*nes*, annis *530. 531. 532.* de quibus dispiciemus, 1) cur

scriptae sint? 2) a quo scriptae? 3) ubi reperiantur?  
 1) Causam edendi Decisiones praebuere sectae ICtorum; quarum de origine quaedam in nota \* diximus. Nimirum iam tempore Augusti Romae florebant duo ICti celeberrimi, quos Tacitus *Annal. lib. 3. cap. 75.* *duo pacis decora* appellat, Antistius Labeo et Ateius Capito. Ille libertatis erat studiosissimus, et hinc ab Augusto ne oblato quidem consulatu in partes suas pertrahi poterat, *L. 2. §. 47. ff. de Origine Iuris.* Hic autem Augusto adulabatur, *eo praeditus ingenio, ut eius obsequium non posset non dominantibus probari,* Tac. *ibid.* Hi ergo ICti σύρχεον in multis dissentiebant iuris interpretationibus. Capitonis praecipuus erat discipulus Massurius Sabinus, Labeonis Nerva, cui Proculus succedebat. Quum ergo hi acceptam a praceptoribus doctrinam ad posteros propagarent, illi dicti sunt *Sabiniani*, hi *Proculiani*. Sabino successit C. Cassius Longinus, Proculo Pegasus, a quibus hae sectae nova nomina sortitae sunt; sectatores enim Cassii, dicti *Cassiani*, sectatores Pegasi, *Pegasiani*. Hi in multis iuris capitibus graviter dissentiebant, ceu praeclare docuerunt Emundus Merilius *Observ. lib. 1. cap. 1. seqq.* et V. C. Corn. van Eck. *in orat. de sectis ICtorum.* Quum itaque tam ambigua et incerta essent iura quam plurima, Iustinianus edidit *L. Decisiones*, quibus illum dissensum sustulit, et modo Proculianorum, modo Sabinianorum, modo neutram sententiam probavit.

2) Vocantur et hae Decisiones, Iustinianeae, quia eius auspiciis conscriptae sunt. Praecipue tamen et hic opera usus est Triboniani, qui sibi hanc laudem ipse tribuit *§. 3. Instit. de libertin.*

3) Sed ubi habentur illae *L. Decisiones?* Resp. Eae tunc temporis seorsim prodierunt, sed hodie exstant in Codice nostro repetitae praelectionis, sub diversis eius titulis. Facile tamen cognosci possunt duobus signis vel characteribus:

1. quod omnes datae sunt , vel Lampadio et Oreste Coss. , vel post consulatum Lampadii et Orestis Coss. vel post hunc consulatum anno secundo.

2. quod in iis ius controversum deciditur. Exempla sunt *in L. 12. C. de usufr. in L. 24. C. de legat. et L. ult. C. de condit. indeb.* Ceterum L. illas Decisiones separatim edidit et luculento commentario illustravit Em. Merillius , *Lut. Par. 1618.* eaeque cum aliis eius operibus nuper Neapoli recusae sunt. Exstat etiam Ioannis Strauchii , ICti eruditissimi , comment. in has Decisiones , sed imperfectus.

### §. VIII. IX.

Eodem tempore scriptae sunt Institutiones , quae primum locum in Corpore Iuris occupant. Earum auctores fuerunt tres ICti huius aetatis , *Tribonianus , Theophilus et Dorotheus* , qui tamen non de novo hunc librum concinnarunt , sed ex veterum ICtorum , e. g. Vlpiani , Florentini , Caii , institutionibus maximam partem sumserunt ; id quod satis appetet ex superstitionibus Caii institutionum fragmentis , quae edidit notisque variorum illustravit V. C. Antonius Schultingius , *in Iurisprud. Vet. Ante-Justin. pag. 1. seqq.* Editae fuerunt Institutiones ann. 533. et simul cum Pandectis auctoritatem suam acceperunt. Et quamvis eo praecipue fine prodierint , ut iuvenes in tribus academiis , Romana , Constantinopolitana et Beryensi , ex iis elementa iuris haurirent : simul tamen auctoritatem legalem acceperunt eandem , quam habent Constitutiones principum , §. 6. *prooem. Inst.* unde in foro aequi possunt allegari ac Pandectae et Codex , et ibi eiusdem cum his auctoritatis habentur. Idem Theophilus , qui Institutiones cum Triboniano et Dorotheo conficit , postea easdem graeca paraphrasi illustravit , quae etiamnum exstant ; et studioso iuris utilissima est ad sensum Institutionum eo accu-

ra-

ratius perspiciendum. Optima editio est Caroli Hannibal Fabrotti, 4.

Istud adhuc moneo, quemadmodum Pandectae et Codex allegantur per leges: ita Institutiones allegari per §phos, ita ut, praemisso numero §phi, addatur I. vel Inst. signum Institutionum, et sequatur deinde titulus; e. g. pr. Inst. de Nupt. §. 3. Inst. de Actionib.

### §. X.

Subsistere hic potuisset Iustiniani industria, cum et Codex et Pandectae et Institutiones prodiissent, modo paulo diligentius labore hoc defuncti fuissent Tribonianus et socii. Sed perfectis his operibus statim apparuit, Codicem Iustinianum, et mancum esse, et in multis capitibus Pandectis adversari. Hinc nihil remedii supererat, quam ut Iustinianus iuberet novum Codicem fieri, et priorem illum aboleri; id quod etiam factum ann. 534. Hinc intelligimus, cur §. V. monuerimus, Codicem Iustinianum hodie non amplius extare: intelligimus etiam, cur Codex noster, qui in Corpore Iuris exstat, vocetur *Codex repetitae praelationis*; revisus enim et severiore cura emendatus est Codex ille prior, multis additis et expunctis. Vnde factum, ut in Institutionibus nostris Codex citetur, et in nostro tamen Codice locus ille nusquam reperiatur. Prodiit enim hic Codex noster post Institutiones, adeoque in iis non nisi Iustinianus prior potuit allegari. Citari solet Codex ita, ut, praemisso numero legis, et aliquando §., subiiciatur C. signum Codicis, et deinde rubrica tituli subiungatur; e. g. L. 42. §. 9. C. de Episc. et Cleric. lib. 1. tit. 3. Materiarum ordo idem fere est in Codice, qui in Digestis, nisi quod in Codice praemittantur Constitutiones de S. S. Trinitate, de Ecclesiis, Haereticis, Episcopis, et subiiciatur Ius Publicum lib. 11. et 12. qui id quoque singulare habent, ut, si ex iis lex citetur, et libri et titu-

tuli numerus subiici soleat ; e. g. *L. i. C. de fundis et saltibus rei dominicae. Lib. ii. tit. 66.*

### §. XI. et XII.

Perfecto iam Corpore Iuris multa nova suo more sancxit Iustinianus , adeoque sensim prodierunt quam pluri-  
mae constitutiones , quae ideo *Novellae* dicebantur. Eae  
maximam partem graece scriptae erant , quia iam lingua  
latina in orientali imperio paulatim evanescere cooperat.  
Nonnullas tamen etiam latine prodiisse in nota \* ob-  
servavimus. Ceterum triplex exstat Novellarum editio:  
1) graecus textus , quem e variis codicibus eruit Scrim-  
gerus Scottus ; 2) versio latina stilo cultiore adornata a  
Juliano , patricio et antecessore , qui paulo post Iusti-  
nianum vixit. Ea prodiit *Par. 1589.* ; et 3) vulgata,  
barbaro stilo et obscurioribus verbis confecta a nescio quo,  
quae in Corpore Iuris habetur. Sed probe observandum  
est , quamvis illae editiones accuratiores et elegantiores  
sint , solam tamen tertiam in foro esse receptam , adeo,  
ut quamvis non ubique mentem Iustiniani recte expri-  
mat , tamen auctoritate legali polleat. Insignem tamen  
utilitatem afferunt reliquae editiones ad Novellas rectius  
intelligendas. Ceterum Novellae allegari solent ita , ut tan-  
tum numerus et capita exprimantur , e. g. *Nov. CXVII.*  
*cap. i.*

### §. XIII.

Quae hactenus recensuimus opera , ea omnia Iusti-  
niani , imperatoris , auspiciis in lucem prodierunt. Sed  
sunt et alia quaedam in Corpore Iuris , quae principi-  
isti originem non debent , nempe *Authenticae* , de qui-  
bus 13. §. ; et libri feudorum , de quibus §. 14. *Au-  
thenticae* alias ipsae Novellae vocantur , quippe quibus  
in omnibus editionibus haec praefigitur inscriptio : *Au-  
thenticae seu Novellae Constitutiones Iustiniani , Sa-*

*eratissimi Principis*: sed has quidem hic non intelligimus. Potius sciendum, multis legibus Codicis scholia quaedam esse subiecta, in quibus ostenditur, quid Novellis mutatum sit, vel quae nova iura sensim invaluerint, e. g. L. 13. C. de S. S. (L. 1. T. 2.) *Ecclesiis* subiuncta est Authentica duplex. Quum enim in lege permittatur iis, qui monasteria ingrediuntur, ut testamenta condere possint, in Authenticis istis notatur, id per Novellas 5. et 123. esse mutatum; et haec scholia proprie vocantur *Authenticae*.

Quis eas adiecerit, nondum adeo certum est; vero simile tamen est, auctorem esse Irnerium, ICtum Bononiensem, qui saec. XII. primus Iurisprudentiam in usum revocavit. Allegari solent *Authenticae* ita, ut praemittatur vocabulum *Auth.*, deinde subiiciantur verba initialia, hinc p̄rro sequatur litera C. ac denique subiungatur rubrica tituli, sub quo occurrit; e. g. *Auth. Ingressi monasteria C. de S. S. Ecclesiis. Auth. Habita C. ne filius pro patre. Lib. 4. tit. 13.*

#### §. XIV.

Habentur etiam in Corpore Iuris Libri Feudorum, quum tamen ad ius Romanum non pertineant. Romani enim feuda non habuerunt, sed inventum hoc vere est Germanicum, quamvis postea fere ubique gentium feuda invaluerint, praeterquam in Frisia nostra, ubi unicum tantum feudum est.

Auctores horum librorum saec. XII. fuerint Gerardus Niger et Obertus ab Orto, Coss. Mediolanenses, qui consuetudines feudales privata auctoritate literis mandarunt. Postea cum Bononiae iuris studium refloresceret, Hugolinus, ICtus, etiam hos libros feudorum Corpori Iuris addidit, tamquam appendicem Novellarum. Eo factum est, ut cum Corpore Iustinianeo et hic liber ubique reciperetur in forum, tamquam *Ius Feudale Communum*.

mune , ex quo controversiae feudales deciderentur , si consuetudines , leges ac statuta singularia deessent. Allegari solent libri feudorum ita , ut praemisso numero libri subiiciatur litera F. et subiungatur denique numerus capitum et aliquando §phus , e. g. 2. F. 24. §. 2.

Haec sunt partes Corporis Iuris. Quamvis enim et alia ibi reperiantur , e. g. Novellae Leonis et aliorum imperatorum , item Canones Apostolorum , cet. ea tamen omnia in foro nullius usus sunt , adeoque nec ad Corpus Iuris proprie pertinent.

### §. XV.

Reliqua est ultima pars prooemii , qua quaeritur: *Quaenam sit tam horum librorum , quam ipsius Corporis Iuris auctoritas?* Haec quaestio optime solvetur tribus observatis axiomatibus , quae indubitate veritatis esse unusquisque intelliget. (I.) *Lex posterior semper derogat priori , L. ult. ff. de Const. Princ.* Lex enim est summi imperantis voluntas : posterior autem voluntas non potest non priorem mutare et tollere. (II.) *Privati non condunt leges.* Potest privatus leges interpretari , potest et consilium dare , secundum leges iudicare , sed non ferre leges , quia lex est decretum summi imperatoris et quidem solius. (III.) *Leges ab imperante latae solos obligant subditos , non exterros.* Est enim lex decretum summi imperantis : non autem quisquam est summus imperans nisi ratione subditorum. Ex his itaque axiomatibus luce meridiana clarioribus iam conclusiones de auctoritate iuris fluunt complures , quas videbimus. *Primo* , quum lex posterior semper deroget priori , sequitur , i) ut Codicum Hermogeniani et Gregoriani , quorum hodie fragmenta exstant , nec non Codicis Theodosiani , quem pene integrum habemus , hodie nulla sit auctoritas. Sunt enim hi libri iuris Ante-Iustinianei , ergo iis derogat Ius Iustinianum ; et hinc possunt quidem

dem hi Codices cum fructu adhiberi in legibus interpretandis, non autem in foro, etiamsi leges in illis integiores et incorruptiores existent, quam in nostro Codice. Imo criminis falsi reus est, qui hos libros antiquiores ad decidendas causas allegat, *L. 2. §. 19. C. de Vet. Iur. Encl.* Ex eodem axiomate sequitur, 2) ut Novellae derogent libris omnibus, Institutionibus, Pandectis et Codici. Vidimus enim §. XI. illas omnibus libris esse posteriores. E. g. in Institut. Pandectis et Cod. plane alia traditur ab intestato succedendi ratio, quam *in Nov. CXVIII.* Vtra ergo sequenda est? Ea, quae in Novella ista inculcatur, quia lex posterior derogat priori. 3) Ex hoc primo axiomate sequitur, ut Codex noster deroget Institutionibus et Pandectis, quia utrisque est posterior. Hinc si dissentiant isti libri, Codex praeferrendus erit; e. g. bona liberorum adventitia in pleno dominio patris esse docent Pandectae *L. 79. de acquir. vel omitt. her.* ast in titulis *C. de bonis maternis, et de bonis, quae liberi,* bona ista addicuntur liberis. Vtrum ius praevalet? Ius Codicis, quia lex posterior derogat priori. 4) Ex hoc axiomate fluit, Institutiones et Pandectas, ex instituto et consilio Iustiniani, sibi non derogare, nam neuter liber altero prior vel posterior. Imperator enim utrumque valere iussit ex III. Kal. Ian. ann. 533. *L. 2. C. §. 23. de Vet. Iur. Encl.* Sed dixi, ex consilio Iustiniani. Is enim provide iusserat, ut ita hi libri adornarentur, ne in ullo capite discrepant. Quum vero id non ubique praestiterint Tribonianus et socii, et in quibusdam vere discrepant Institutiones et Pandectae, quaeritur: quibus tunc prerogativa debeatur? respondemus in nota\*, observandas esse binas regulas: a) *Institutiones cedunt Pandectis tamquam auctoritatibus suis, quatenus ex his descriptae sunt.* Auctoritas dicitur archetypus, *el Original:* huic vero semper plus fidei habetur, quam ectypo, *la Copia.* Quando itaque Pandectae sunt archetypus, ex quo Insti-

stitutiones descriptae sunt , merito illae praferuntur Institutionibus. Rem illustrabimus exemplo. In §. 25. Inst. de R. D. *Specificatio esse dicitur , si quis ex alienis spicis frumentum fecerit.* Haec in L. 7. §. 7. ff. de acquir. rer. dom. negatur specificatio esse. Cui libro ergo plus fidei habendum? Pandectis , quia manifeste apparet , Institutiones eo loco ex Pandectis perperam esse descriptas. b) *Pandectae cedunt Institutionibus , quoties his novationem fieri appareat.* Lex enim posterior derogat priori. Itaque si certum sit , Iustinianum in Institutionibus quaedam in Pandectis tradita mutare atque innovare voluisse : praferenda procul dubio erit posterior illa imperatoris voluntas. E. g. in L. 1. et L. 11. ff. de manum. *vindicta legimus , minorem 20. annis manumittere non posse , nisi vindicta apud consilium causa probata.* At in §. 7. Inst. *quibus ex causis manum. non licet , permittitur adolescentibus 17. annorum , ut libere possint manumittere.* Quod ius praevalet? id , quod in Institut. inculcatur. Manifestum enim est , imperatorem ius vetus in Pandectis expositum abolere atque innovare voluisse.

## §. XVI.

Hactenus de primo axiomate. *Alterum est , privatus non condit leges.* Inde facile patet , qua auctoritate polleant Authenticae , quas supra §. XIII. a privato , nempe ab Irnerio , compilatas esse diximus. Omnem scilicet auctoritatem non inde habent , quia ab Irnerio factae ; quia privatus non condit leges : sed quia excerptae sunt ex Novellis aliquaque quorundam principum constitutionibus , quas auctoritate legali pollere nemo dubitat. Hinc omnes hanc sequuntur regulam : *Authenticae non pollent auctoritate legum , nisi quatenus cum Novellis , ex quibus decrptae sunt , convenientiunt.*

Hic vero non levis nascitur controversia : an Authen-

D 2 ti-

ticae semper convéniant cum Novellis? negant id multi, in primis ICti summi, Ge. Rittershus. *in Promulside errorum Irner.* Io. Iac. Wissenbach *in sylloge errorum Irner.* *in Authent.* Ast alia omnia magno molimine ac non sine convicio defendere conatus est Vir Doctiss. Alex. Arn. Pagenstecher *in Irnerio iniuria vapulante.* Quid vero dicamus? Superstitioni similis videtur ista veneratio in Irnerium, qua eum in omnibus rem acu tetigisse statuunt; quasi ICtus ille semibarbarus, et qui primus ius tractavit, fuerit ~~αιρεμτος~~ et infallibilis. Recensui in nota \* quaedam exempla, quae si quis cum Novellis contulerit, statim deprehendet, Irnerium iis sensum plane alium adfixisse; quod quoties factum, (factum autem saepius) toties Authenticarum nulla plane est auctoritas.

### §. XVII.

*Tertium et ultimum axioma est: Leges ab imperante latae solos obligant subiectos, non exterros.* Ex eo solvi possunt binae quaestiones: (1) an et quatenus Corpus Iuris Iustinianeum nos obliget? sane non tamquam leges a Iustiniano latae. Nam a) hic princeps in oriente dominatus est, nec unquam vel Germanis, vel Belgis, vel Gallis imperavit, adeoque non magis his gentibus leges ferre potuit, quam Magnus Turcarum Sultanus. b) Ex historia notum est, et Germanos et Belgas et Gallos aliasque gentes multis post Iustinianum saeculis adhuc suas leges a Romanis diversissimas habuisse, quae adhuc exstant in Lindenbrogii *Codice iuris Alamanni*, et in Stephani Baluzii *Capitularibus regum Francorum.* Sed valet tamen Ius Iustinianeum ex recepto, quia ob aequitatem ei nos sponte submisimus, idque ultro in scholas, academias et fora recepimus; id quod factum est saec. XIII. et seqq. docuit Struvius *in historia iuris*, C. 6. §. 39. pag. 529. seq. Ex eo vero por-

porro sequitur, ut Ius Romanum non totum nos obliget, sed quatenus receptum. Hinc omnes gentes habent sua statuta, sua iura propria, municipalia, provincialia, suos mores et consuetudines. Ex his primo omnium controversiae decidenda sunt in foro: si vero quaestio in his statutis non sit decisa; tunc in subsidium iudices ad Ius Romanum recurrere debent. Praeclare hoc demonstravit Ictus summus, quem praceptorum veneror, Sam. Stryckius in *prooem. Vsus Moderni Digest.* (2) Altera quaestio, quae ex tertio hoc axiome solvi potest, pertinet ad Novellas Leonis. Quaeritur enim, an et hae legum auctoritate polleant? negat id Dom. Pagenstecherus in *Admonitt. ad ff. part. I. pag. 21.* negant et alii, et recte. Sed dum hanc rationem afferunt, quod Leo vixerit post Carol. M., post quem imperatorum orientalium leges occidentem non amplius obligarint, in eo egregie falluntur. Iustinianus enim, qui ante Carol. M. vixit, non magis nobis leges praescribere potuit, quam Leo Sapiens. Vera itaque ratio haec est, quia Ius Romanum valet ex recepto: recepimus autem Corpus Iuris Iustinianeum, ad quod Novellae Leonis non pertinent; et quidem a saeculo XIII. sensim recepimus, quo tempore plane nondum innotuerant nobis Novellae Leonis, quippe quas primus in lucem protraxit saec. XV. insigne Frisiae nostrae decus, *Vigilius Zuichemus.* Quamvis itaque illae Leonis Novellae in plerisque Corporis Iuris editionibus recentioribus occurrant, non tamen quidquam valent contra Ius Romanum.

**INSTITUTIONVM**  
**SEV ELEMENTORVM**  
**D. IVSTINIANI,**  
**SACRATISSIMI PRINCIPIS,**  
**LIBER PRIMVS.**

---



---

**TITVLVS I.**  
**DE IVSTITIA ET IVRE.**  
**CONCORDAT DIG. LIB. I. TIT. I.**

*Definitio Iustitiae.*

**I**IVstitia est <sup>1</sup> constans et perpetua <sup>2</sup> voluntas <sup>3</sup> ius suum cuique <sup>4</sup> tribuendi.

<sup>1</sup> *Constans et perpetua voluntas*) Haec verba iustitiae habitum ibi demum esse indicant, ubi perpetuo et constanter quis iuste agit, atque ut Aristoteles <sup>2</sup>. Eth. 3. βεατίας καὶ ἀμετάκοντας ἵχοι. Auctor huius definitionis est Vlp. L. 10. ff. hoc tit.

<sup>2</sup> *Voluntas*) Metonym. pro habitu voluntatis sive ἕξη, ἀφ' ἣς βελόμεθα τὰ δίκαια, ut Paraphrast. ad 5. Nicom. cap. I.

<sup>3</sup> *Ius suum cuique*) Obiectum iustitiae est ius cuiusque suum; finis, ut id quisque obtineat, id est ut cuique, quod ei debetur, tribuatur. Delictis etiam de-  
be-

betur poena. Athanas. *in synop. Scrip. Sac. lib. 14.*  
 $\alpha\pi\omega\delta\sigma\alpha\mu\ i\kappa\alpha\tau\mu\ \tau\delta\ i\delta\iota\iota\iota$ . Plat. 1. *de Rep.* hunc finem ex-  
 primit his verbis,  $\tau\zeta\ i\varphi\epsilon\iota\omega\mu\epsilon\alpha\ i\kappa\alpha\tau\mu\ \alpha\pi\omega\delta\sigma\alpha\mu\$ .

4 *Tribuendi*) Alias *tribuens*. Theophil.  $\nu\mu\omega\sigma\alpha$ , Ci-  
 cer. 5. *de fin. cap. 23.* *Affectio animi suum cuique*  
*tribuens*, quae *iustitia dicitur*, et ita etiam alibi, *lib. 1.*  
*de Off. cap. 7. et 3. ad Heren. cap. 2.*

### Definitio Iurisprudentiae.

#### §. I.

1 *Iurisprudentia* est 2 *divinarum atque huma-*  
*narum rerum notitia*, *iusti atque iniusti* 3 *scientia*.

1 *Iurisprudentia*) Quae et scientia et ars iuris et  
 intelligentia et civilis sapientia. His enim nominibus pro-  
 miscue uti solent, qui populariter loquuntur.

2 *Divinarum atque humanarum rerum*) Subiectum.  
 Modus autem considerandi, quatenus de iure earum quaer-  
 ritur: quem modum indicant verba sequentia, *iusti at-*  
*que iniusti*. M. W.

3 *Scientia*) *Iurisprudentia* est habitus intellectus:  
*iustitia*, ut *virtus moralis*, est habitus voluntatis. Haec  
 etiam definitio Vlpiani est. *Diit. L. 10. §. 2. hoc tit.*

### De Iuris methodo.

#### §. II.

His igitur 1 generaliter cognitis, et incipien-  
 tibus nobis exponere iura populi Romani, ita vi-  
 dentur posse tradi commodissime, si primo 2 le-  
 vi ac simplici via, post deinde 3 diligentissima  
 at-

atque exactissima interpretatione singula tradantur : alioqui , si statim ab initio rudem adhuc et infirmum animum studiosi multitudine ac varietate rerum oneraverimus , & duorum alterum , aut desertorem studiorum efficiemus , aut cum magno labore , saepe etiam cum diffidentia ( quae plerumque iuvenes avertit , ) serius ad id perducemus , ad quod leviore via ductus , sine magno labore , et sine ulla diffidentia , maturius perduci potuisset .

1 Generaliter ) Cursim , obiter , summatim , &c. &c.

2 Levi ac simplici via ) Τυπωδες , crassa ac pinguis Minerva. Praeclare Aristot. Δει γας , inquit , οπιντωσας περιτοι , ειθ' ιηγοι , αραχαφει . Prius lineamenta prima ducenda sunt et opus informandum , post utendum veris coloribus. Nec minus scite Quintil. I. Inst. orat. 2. Ut vascula , inquit , oris angusti superfusam humoris copiam respuant ; sensim autem influentibus , vel etiam instillatis complentur , sic animi puerorum , cet.

3 Diligentissima atque exactissima ) Hoc ad summam scientiae est necessarium , uti prius illud incipientibus magis convenit.

4 Duorum alterum ) Δυοι διατεροι . Quintil. Prooem. lib. 8. Incipientibus brevius et simplicius tradi convenient : aut enim difficultate institutionis tam numerosae atque perplexae deterreri solent ; aut eo tempore , quo praecipue alenda ingenia , atque indulgentia quadam enuntienda sunt , asperiorum tractatu rerum attteruntur.

5 Cum diffidentia ) Cic. in Orat. cap. I. Vereor , ne tardem studia multorum , qui desperatione debilitati , experiri id nolent , quod assequi se posse diffidant.

*Iuris praecepta.*

## §. III.

<sup>1</sup> *Iuris praecepta* sunt haec : <sup>2</sup> honeste vivere,  
<sup>3</sup> alterum non laedere , suum cuique tribuere.

<sup>1</sup> *Iuris praecepta* ) Non regulae artis Iuris , ut  
Hopper. et Cont. sed dictata iuris naturae , <sup>ai nouai regi</sup>  
quoniam <sup>emotu</sup>, insitae et quasi consignatae in animis nostris  
notiones. Ex L. 10. §. 1. ff. eod.

<sup>2</sup> *Honeste vivere* ) Hoc praecepto vetantur omnia,  
quae pugnant cum bonis moribus et publica honestate,  
etiam si non expresse prohibita. *Est aliquid* , inquit Ci-  
cer. pro Balbo cap. 3. *quod non oporteat* , etiam si licet,  
fac. L. 144. de reg. iur.

<sup>3</sup> *Alterum non laedere , suum cuique tribuere* ) Ho-  
rum alterum ad personam alterius referri videtur , alte-  
rum ad res externas. Cic. 1. de Offic. cap. 7. *Iustitiae*  
*primum munus est* , ut ne cui quis noceat : *deinde ut com-*  
*munibus utatur pro communibus , privatis , ut suis*. Sen.  
3. de Benef. cap. 14. *AEquissima vox est , et ius gen-*  
*tium prae se ferens , Redde quod debes.*

*De Iure publico et privato.*

## §. IV.

Huius studii <sup>1</sup> duae sunt positiones , publicum  
et privatum. Publicum ius est , <sup>2</sup> quod ad sta-  
tum rei Romanae spectat. Privatum , quod <sup>3</sup> ad  
singulorum utilitatem. Dicendum est igitur de iu-  
re privato , quod tripartitum est : <sup>4</sup> collectum est  
enim ex naturalibus praeceptis , aut gentium , aut  
civilibus.

1 *Duae positiones*) Id est, duo themata, partes, species, &c. ex Vlp. L. I. §. 2. eod. alii tres fer- cere species, sacrum, publicum, privatum. Auson. in Edyl. II. vers. 61. Sed Vlp. dict. loc. sub publico etiam sacrum comprehendit. Bud.

2 *Quod ad statum rei Romanae*) Quod utilitate publicum est, non quod sola auctoritate: est enim haec divisio a fine sumta, non a causa efficiente.

3 *Ad singulorum utilitatem*) Quod privatim ad cuiusque civis rem pertinet familiarem. Quamquam et hoc per consequentiam publice, et illud privatim utile.

4 *Collectum ex naturalibus praexceptis, cet.*) Ius, quo privati in civitate utuntur, tribus quasi ex fontibus in Remp. defluxit: natura, gentium institutis, et inventis cuiusque civitatis.

# LIBER PRIMVS.

## TITVLVS I.

### DE IVSTITIA ET IVRE.

#### §. XVIII.

**I**psa rubrica docet , duabus partibus constare hunc titulum. Prior enim de iustitia agit §. 18. ... 23. posterior de iure vel Iurisprudentia , §. 24. ... 32. De iustitia quaeritur : 1) cur de ea agatur ? §. 18. 2) quid sit ? §. 19. 3) quotuplex ? §. 20. ... 23.

I. De *iustitia* agitur statim initio Institt. et Pandectarum , quia illa totius Iurisprudentiae finis et proximus ICti scopus est. Finem autem suum semper ob oculos habere decet studiosum. Quemadmodum itaque aeternam felicitatem tamquam finem spectat Theologia, sanitatem corporis Medicus ; ita finis ICti ultimus est tranquillitas interna reipublicae , quae non nisi iustitia obtinetur : itaque est haec iustitia finis proximus. Tolle iustitiam , et vitam piscium vivemus , ubi maior devorat minorem. Eum in finem ergo reperta Iurisprudentia , ut aequabile in republica esset ius omnium , ut virtutes praemiis , scelera suppliciis maestentur , ut suum cuique tribuatur , ut tutus bos rura perambulet , vel, ut Apostolus loquitur , ut vitam quietam et tranquillam vivamus in omni pietate et honestate , *I. Tim. II. 2.* Magnificis hunc finem Iurisprudentiae verbis inculcat VIopianus *L. I. §. 1. ff. de Iustitia et Iure* , ubi ideo ICtos , sacerdotes iustitiae appellat , quemadmodum philosophi olim se sapientiae et virtutis sacerdotes vocabant.

Sicuti enim sacerdotis finis est , Deum suum colere et meliores reddere homines ; ita nos iustitiam colimus , boni et aequi notitiam profitemur , aequum ab iniquo separantes. Vid. L. I. §. I. dict. hoc tit. Ab hoc ergo fine toto caelo aberrant , qui ideo tantum iura discunt , ut aliquando rabulas agant in foro , et evertendis hominum fortunis quaestum faciant. Isti sane non ICti sunt , sed vultures togati , pestes reipublicae , furibus ipsis tanto deteriores , quanto impunius , sub specie iustitiae gras-santur. Maneat ergo hoc studiosis iuris alta mente re-postum , finem Iurisprudentiae esse iustitiam.

## §. XIX.

Sed haec iustitia quid est ? Definitur in Institutio-nibus et Dig. nostris , quod sit *constans et perpetua volun-tas , ius suum cuique tribuendi*. Bona definitio , modo recte intelligatur. Depromta enim est ex philoso-phia Stoica , cui plerique veteres ICti erant dediti. Stoicis omnis virtus erat *constans et perpetua voluntas* : qui enim semel malus , eum semper talem esse iudicabant. Hinc Cicero Parad. 3. cap. I. ubi ex principiis Stoico-rum disputat : *una virtus est consentiens cum ratione et perpetua constantia*. Quid hoc aliud est , quam con-stans et perpetua voluntas ? Ergo , dum in definitione nostra dicitur : *iustitia est constans et perpetua volun-tas* , perinde est , ac si dicatur , iustitia est virtus ; ut hoc adeo sit genus in hac definitione. Accedit differen-tia specifica : *suum cuique tribuendi*. In eo differt iusti-tia a reliquis virtutibus. Nam pietas Deo cultum suum tribuit , temperantia ipsi temperanti praestat , quod vir-tus et decorum postulat : iustitia autem proximo tribuit , quod ipsi debetur. Ergo est constans et perpetua volun-tas ius suum cuique tribuendi. Ut autem optima sit haec definitio , non absurde tamen quaeri potest , an iu-stitia hic definita sit finis Iurisprudentiae ? Ut quaestio-nem

nem intelligamus, sciendum est, *iustitiam* esse duplum *moralement* et *civilem*. *Moralis* est virtus in mente consistens, vel habitus mentis, quo quis omnes actiones ad legem componit. Ergo hoc sensu non est iustus, qui externa officia cuique praestat, nisi id faciat ex amore virtutis et mente emendata. E. g. *Pharisaeus*, qui glorabatur, se nec raptorem esse, nec adulterum, nec publicanum, non erat moraliter iustus, quia ex hypocrisi, non ex amore virtutis, ab his actionibus pravis abstinebat. *Civilis* contra iustitia dicitur, quando quis actiones externas ita ad legem componit, ut suum cuique tribuat, nec tamen id faciat ex amore virtutis vel emendata mente, sed ex metu poenae. Hinc si quis magistratus tributa solvit, si neminem concivem laedit, neminem occidit, non furta, non rapinas committit, civiliter erit iustus, etiam si id omne faciat animo reluctante, etiam si sit hypocrita, imo atheistus. Iam qualia sunt media, talis est finis. Media, quae *Iurisprudentia* suppeditat, sunt poena et praemia, *L. 1. §. 1. ff. de Iust. et Iure*. Ea non moraliter iustos reddunt, sed civiliter, quia cogitationis poenam nemo in foro patitur, *L. 18. ff. de Poenis*. Ergo iustitia civilis est finis *Iurisprudentiae*, cum tamen in iure nostro moralis iustitia definatur, quae sane solis praceptis *Iurisprudentiae* non obtinetur. Quomodo ergo definiri poterit iustitia illa civilis, quae finis *Iurisprudentiae* est? Iustitia est *attempratio actionum externalium ad leges, qua quis neminem laedit, suum cuique tribuit*.

## §. XX.

Vidimus, quid sit iustitia? Quaeritur iam porro, quotuplex sit? Nos cum *Hug. Grotio de Iure B. et P. lib. 1. cap. 1. §. 8.* eam dividimus in *expletricem* et *attributricem*; contra quam divisionem quidem graviter disputat *V. C. Pagenstecherus in Admonit. part. 1. §. 6. sed*

sed demum omnia eo redeunt , vocabula non satis comoda esse. Nos rem videbimus. Officia , quae aliis hominibus debemus , duorum generum sunt : alia lex praecipit tamquam *necessaria* , ita ut cogi possint et puniri , qui eiusmodi officia non praestant ; et talia sunt omnia , quae ex regula illa iusti fluunt : *quod tibi non vis fieri , alteri nec feceris*. Hinc nemo occidendum , iniuria vel damno adficiendum , aes alienum solvendum , pacta servanda. Haec si quis non facit , a magistratu vel cogi , vel poena coerceri potest , adeoque haec officia sunt *perfetta*. Alia officia lex commendat quidem tamquam *honesta* , sed neminem tamen cogit ea praestare , sed uniuscuiusque pudori relinquit ; et talia sunt , quae ex sola honestate vel ex decoro fluunt. Sic e. g. lex iubet pauperibus eleemosynas elargiri , et cuique officia humanitatis praestare , ut erranti viam commonstrem , et patiar lumen de lumine meo accendi , cet. At si quis id non faciat , inhumanus quidem est , sed non potest tamen ideo in ius vocari , vel a magistratu cogi poenis vel coerceri. Magis enim voluntatis et officii haec sunt , quam necessitatis , L. 17. §. 3. ff. *commodati*. Et haec dicuntur *officia imperfecta*. Iam ergo facile animadvertisimus , quomodo differant iustitia expletrix et attributrix.

### §. XXI.

Expletrix enim est , quae cuique tribuit , quod iure perfecto debetur. Hinc qui a furtis et rapinis abstinet , qui aes alienum debitori solvit , qui pacta et contractus servat , ei iustitia expletrix tribuitur , quia haec omnia iure tam perfecto debentur , ut coerceri possint et a magistratu in ordinem cogi , qui alteri haec officia denegant.

Attributrix contra est , quae cuique tribuit , quod voluntatis magis est et officii , quam necessitatis , id est quae tribuit , quod alteri debemus , sed ita ut cogi non

pos-

possimus. Si quis ergo pauperibus stipem elargitur, si miseros consilio iuvat, si errantes in viam reducit, is iustitiae attributici satisfacit.

Quaeri hic potest, cur expletrix iustitia coactionem admittat, attributrix non item? Multae sunt rationes, quas tirones non capiunt, nisi praecepsis Iuris Naturae imbuti. Sufficiat itaque, unam allegasse. Omnia officia perfecta debentur *ab una et certa persona*, adeo, ut si haec illa non praestet, ab alio ista exigere nequeam. E. g. si Titius mihi debet 100., a solo Titio istos exigere possum, et ludibrium deberem omnibus, si eos a Maevio petam, quia a Titio non praestentur. Contra officia imperfecta non ab una et certa persona, sed *indefinite ab omnibus* debentur. Sic e. g. Iro debes stipem vel eleemosynam, at non ego solus, sed et omnes reliqui homines. Si ego itaque illi nummum denegem, poterit illum eodem iure a Maevio, Titio et a reliquis omnibus petere. Quum ergo officia perfecta ab una et certa persona debeantur, illa cogenda utique est, quia alias iure meo plane privarer: at imperfecta, coactione stabilire non interfuit reipublicae, quia ideo iure suo non excidit mendicus, si ab uno vel altero repulsam ferat.

## §. XXII.

Eadem occasione agimus de tribus iuris praecepsis, quae §. 3. *Instit. hoc tit. et L. 10. §. 1. ff. hoc tit.* recensentur, et quidem ideo, quia ratio illorum comode ex hac prima iustitiae divisione reddi potest. Tria illa iuris pracepta sunt: *honeste vivere, neminem laedere, suum cuique tribuere.* Vnde quaeritur, cur haec tantum recenseant ICti, cum longe plura potuissent commemorari, veluti, pacta servare, cet.? Sed rectissime ratiocinati sunt ICti. Iustitia est vel attributrix vel expletrix. Attributrix versatur circa officia imperfecta, quae ex honestate fluunt: inde praeceptum iuris: *honeste*

*vivere*. Expletrix versatur circa officia perfecta. Ea vel abstinere nos iubent a vitiis lege prohibitis , vel facere ea , quae leges praecipiunt. Qui abstinet a vitiis lege prohibitis , is paret pracepto : *neminem laede* : qui facit , quae leges praecipiunt , pracepto satisfacit : *suum cuique tribue*. Vere ergo haec sunt genuina universi iuris principia , ad quae omnes Iurisprudentiae doctrinae referri possunt , et ex quibus hac unice fluunt. Sic e. g. qui a furtis , rapinis , damnis , iniuriis abstinet , iustus est ; nam *neminem laedit* : qui contractus implet et pacta servat , iustus est ; nam suum cuique tribuit. Qui in republica civem bonum agit , patriae prodesse studet , cultui divino vacat , temperanter et modeste vivit , iustus est , nam honeste vivit ; ut adeo plus veritatis insit his tribus praceptis , quam vulgo putant.

### §. XXIII.

Sequitur altera iustitiae divisio : est enim , ex doctrinam sententia , vel universalis vel particularis , et haec iterum vel commutativa vel distributiva ; sed utraque parum accurata. Videbimus definitiones , et quidem ex mente Aristotelis , ex cuius praceptis moralibus illa tota divisio desumpta est. *Universalis philosopho illi* 5. *Eth. 3.* est ἀρετὴ τελεία πρὸς ἔλεγος , exercitium omnium virtutum erga alios. Ergo si quis et iustus et liberalis et humanus et modestus est , iustus vir erit quoad iustitiam universalem. *Iustitia particularis* est , quae coercent avaritiam , adeoque in bonis externis nec sibi plus lucri , nec alteri plus oneris tribuit , quam oportet. E. g. si quis officia , honores , praemia distribuens non indulget avaritiae , sed suum cuique tribuit , particularem iustitiam colere dicitur. Haec vel commutativa est vel distributiva. *Commutativa* est , quae ad rem , non ad personae qualitates respicit , adeoque perfectam aequalitatem observat , qualis in contractibus versatur. E. g. pi-

stor

stor panem non alio pretio vendit senatori quam sutori: si aliter ageret, iniustus esset. *Distributiva* contra est, quae ad personae qualitates respicit, adeoque aequalitatem non observat, nisi geometricam, quam vocant. E. g. princeps distribuit officia: unum consiliarium facit, alterum secretarium, tertium consulem, quartum praetorem, quintum carnificem. An iniustus ideo, quod hunc non consiliarium fecit, quod aequalitatem non observavit, quum omnes sint homines, omnes cives? Imo iniustus esset princeps, si omnibus eadem munera demandasset. In honoribus enim, praemiis et poenis distribuendis non ad rem solam, sed ad personae qualitatem respiendum. Vt non ex quovis ligno fit Mercurius, ita nec ex quovis homine consiliarius, secretarius, consul vel carnifex. Ita doctores ex mente Aristotelis. Quaeritur itaque, an haec divisio probanda sit. Diximus in hoc §pho, ea nos facile carere posse, quia sufficiat prior ex Grotio sumta. Sed addimus, eam ne accuratam quidem esse. Nam (1) in divisionibus unum membrum non debet alterum comprehendere. Quam absurde enim quis hominem divideret in totum hominem et in digitum minimum? Sed aequa bella est nostra divisio: iustitia est vel universalis, quae omnes virtutes complectitur; vel particularis, quae unam, avaritiae vel πλεονεξίας oppositam, inculcat. (2) Falsum est, iustitiam distributivam locum habere in praemiis et poenis, commutativam in contractibus; uti egregie docuit Hugo Grotius *de I. B. et P. lib. I. cap. I. §. 8.* Sic e. g. furtum ex iure Romano luitur duplo. Iam fingamus unum furem tam esse callidum, ut ipsi ingenium omne in ipsos digitos quoque abiisse videatur; alterum tam stupidum, ut animam pro sale habeat, ne putrescat; an ideo hic triplo, quadruplo, quintuplo sit puniendus? Fingamus porro Stichum, servum, tres dominos habere, Titum ex semisse, Maevium et Iavolenum, ex quadrante. Fingamus Stichum dominis suis stipulari 100., an ideo aequa-

Tom. I.

F

li-

liter illa summa inter dominos distribuetur , quia haec obligatio ex contractu est ? Minime ; imo Titius 50. , reliqui duo singuli tantum 25. accipient , §. 3. *Inst. de stip. serv.* Habemus itaque exempla , ubi in distribuendo aequalitas perfecte observatur. In contractibus non nisi geometrica observatur. Ergo hac divisione parum accurata satis commode carebimus.

### §. XXIV. et XXV.

Sequitur altera pars huius tituli , puta , de Iurisprudentia. Eius duplarem damus definitionem , alteram veterem , quae in §. 1. *Inst. hoc tit. et L. 10. §. 2. ff. hoc tit.* habetur ; alteram novam et a nobis concinnatam , quia illa non adeo accurata est. Vlpianus in *dict. L. 10. §. 2.* eam ita definit : *Iurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia , iusti atque iniusti scientia.* Divinarum atque humanarum rerum notitia nihil aliud est quam philosophia , quam omnes veteres ita definiunt , et hanc loco generis adsumit Vlpianus. Quia vero philosophia etiam circa verum et falsum in logica , circa bonum et malum in philosophia moralis , circa utile in politica , circa causas rerum naturalium in physica occupata est ; de quibus omnibus non est sollicita Iurisprudentia : hinc addit differentiam specificam , *iusti atque iniusti scientia* , adeoque sensus est : Iurisprudentiam esse philosophiam , quae in iusti atque iniusti scientia consistat. Ita Vlpianus , sed parum accurate. Nam (1) falsum est , Iurisprudentiam esse philosophiam , vel eius partem. Philosophia enim doctrinas suas ex sola recta ratione tamquam unico cognoscendi principio petit : Iurisprudentia etiam ex lege scripta , quamvis ex ratione recta illa non innotescat. Si e. g. furem suspendio puniendum esse , Iurisprudentia docet , sed id supplicium non dictat recta ratio ; est tamen iustum , quia lex illud irrogat. (2) Tota haec definitio est orta ex

ex aemulatione, quae inter ICtos et philosophos olim gliscebat. ICti contemnebant homines barba et pera philosophos, ignava opera, philosopha sententia. Exempla sunt in L. 1. §. 1. ff. de *Iust. et Iure*; L. 8. §. 4. ff. de *vacat. mun.*; L. 1. §. 5. ff. de *Ext. Cogn.* Potius ergo se veram, non simulatam, philosophiam affectare existimabant, quia homines et praemiis et poenis meliores efficere studebant. Diſt. L. 1. §. 1. ff. de *Iust. et Iure*. Cui sententiae et Euphrates, philosophus, suffragatur, apud Plin. lib. 1. ep. 10. affirmans, esse hanc *philosophiae et quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere et exercere iustitiam, quaeque ipsi doceant, in usu habere;* quod ipsum est ICti officium. Haec itaque aemulatio inter ICtos et philosophos vera ratio est, cur Vlpianus ita definiverit Iurisprudentiam, ut illi tribuat, quae philosophiae tribuenda existimant philosophi. Sed definitio ex mera aemulatione profecta, plerumque est *ιπερβολική* ad eoque parum accurata.

## §. XXVI.

Quae cum ita sint, accuratiorem definitionem dare maluimus. Nobis enim Iurisprudentia est *habitus praticus leges recte interpretandi, adPLICANDIQUE RITE AD QUASVIS SPECIES OBVENIENTES*. Genus in hac definitione est *habitus praticus*. Non enim nudae speculationis causa iura addiscimus, sed ut ea in usu habeamus. Physicus e. g. tantum speculatur, quid ventus sit: in hac scientia acquiescit, quamquam numquam ventum producere discat. Ast ICtus non ideo discit, quid sit contractus, quid restitutio in integrum, quid libellus, ut hac scientia se oblectet, sed ut contractum caute ineat, et, si opus sit, in foro restitutionem in integrum pro se vel aliis petat, ut si alter ipsi ius intervertere audeat, libellum confidere eumque iudici offerre possit. Omnia

ergo hic sunt practica : atque inde est , quod Iurisprudentiam definiamus *habitum practicum*.

### §. XXVII.

Differentia specifica , qua Iurisprudentia ab aliis scientiis practicis seiungitur , est *interpretatio et applicatio legum*. Addimus enim , *leges recte interpretandi applicandique rite ad quasvis species obvenientes*. Primo ergo leges scit ICtus , deinde easdem recte interpretatur , ac postremo easdem applicat casibus , qui in vita civili quotidie obveniunt. Haec tria ita coniuncta sunt , ut si quis illa seiungat et separat , non amplius ICti nomen tueatur. Qui enim scit leges , sed eas non recte interpretatur , is non ICtus est , sed *Leguleius*. Qui et scit et interpretatur , sed non applicat , is *Iuris peritus* est , sed non ICtus. Qui applicat quidem , id est , praxi se mancipat , et cruda studia in forum propellit , sed scientia et interpretandi subsidiis destitutus , is *Rabula* vocandus. Denique qui et scit leges , et easdem recte interpretatur , et rite in foro applicat , is vere Iurisconsulti vel Iurisprudentis nomen tuetur. Dicemus ergo de Interpretatione iuris §. 28. et de eiusdem Adpolatione §. 29.

### §. XXVIII.

Interpretari est non verba legum tenere , sed vim et potestatem. L. 17. ff. *de legibus*. Interpretatio autem vel legislatori incumbit ; et tunc vocatur *authentica* : vel judici , et tunc vocatur *usualis* : vel Iurisconsultis , quae dicitur *doctrinalis*. *Authentica* est , quando lex tam obscura est , ut ipse legislator consulendus sit , quem sensum legi dare velit. De hac interpretatione agit L. 11. ff. *de leg. e. g.* Lex est , ut rem furtivam tantum dominus persequatur , L. 1. ff. *de conditione furtiva* , sed iam perierat aliquid , quod eruptum sibi fuerat , dubi-

tabat iudex , an hic quoque locum habeat legis rigor, consulebatur Alexander imperator , qui *L. 1. C. de his, quae vi metusque causa* , legem hanc de persecutione rerum furtivarum locum habere dicit , etiamsi perierit res furtiva.

*Vsualis* est , quando iudex ex rebus antea iudicatis leges interpretatur ; de qua interpretatione agitur *L. 12. ff. de legibus.* Sic saepe , si in curia dubitatio suboritur , quomodo haec vel illa lex interpretanda sit, decisiones veteres consuluntur , et ex iis interpretatio petitur ; quae ideo dicitur usualis , quia ex usu vel praxi praeterita sumitur. *Doctrinalis* denique est , quando doctores vel ICti legem secundum regulas rectae interpretationis explicant ; de qua *L. 13. ff. de LL.* Eo pertinent omnes commentarii in Leges a ICtis scripti , qui tum demum auctoritatem aliquam sortiuntur , si regulas bonae interpretationis observaverint. Tantum enim valent , quantum rationes ab eo allegatae. *Doctrinalis* illa iterum triplex est , vel extensiva , vel restrictiva , vel declarativa. *Extensiva* est , quando ratio legis latius patet , quam verba , adeoque ad casum porrigitur interpretatione , quem lex non expisserat. E. g. vetuerat princeps lege poenali , ne quis frumentum exportaret e provincia sub poena confiscationis. Mercator , lucro inhians , non quidem frumentum sed farinam exportaverat : quae-rebatur , an in legem inciderit ? idque affirmandum videbatur , quamvis lex farinae non meminerat. Ratio enim legis erat , ne annonae caritas affligeret rempublicam , ea vero aequa affligere poterat rempublicam exportata farina , quam frumento.

*Restrictiva* contra est , quando verba latius patent , quam ratio legis , adeoque interpretatione casus excipiuntur , quem verba legis comprehendere videntur. E. g. Lex erat Bononiae , ut refert Everard. *Topic. Legal. topic. ab absurdo* , ut , quicumque sanguinem in platea publica fuderit , capitis damnetur ; barbi tonsor in platea

venam secuerat hemiplexia correpto ; quaerebatur , an in legem inciderit ? negabatur , quamvis legis verba admodum essent generalia. Legis enim ratio erat securitas publica , ea autem venae sectione non turbatur. *Declarativa* denique est , si ratio legis cum eiusdem verbis pari passu ambulat , adeoque verba tantum explicanda sunt. E. g. paterfamilias uti legasset de pecunia tutelave suae rei , ita ius esto. Hic si explicavi , quis dicatur paterfamilias , quid sit legare , quid pecunia , quid tutela suae rei , alter statim intelliget totam legem.

## §. XXIX.

Haec de interpretatione legum. Sequitur earum *Aplicatio* ; quae in quo consistat , elegantissimis verbis Cicero. lib. I. de Orat. cap. 48. docemur. Is ergo dicitur iura adipicare , vel uti hodie loquuntur , in praxi versari , qui iuris peritus est (1) ad *respondendum* , quod est officium ICTorum , maxime in academiis Germaniae , ubi quotidie ad species propositas responsa dant consulentibus : (2) ad *agendum* ; quod est advocatorum et procuratorum , qui aliorum desideria in foro proponunt : (3) ad *cavendum* ; quod est advocatorum et notariorum , qui , ubi contractus ineundi , testamenta facienda , vel alia negotia civilia explicanda sunt , instruere debent alios , quid cavere debeant , ne vel decipientur , vel actus nullus sit : (4) addimus ad *iudicandum* , quod est officium iudicium , ut , auditio partium iure et probatis factis , id est causa cognita , sententiam ferant secundum acta et probata. Haec qui probe scit , vere ICTus est ; et , ut Cicero alibi loquitur , totius civitatis oraculum.

## §. XXX. et XXXI.

Definitionem Iurisprudentiae sequuntur aliquot divisiones ; quarum prima est , quod ius sit vel *publicum* vel

vel *privatum*, quae divisio non a fine, sed obiecto dicitur. Ratione finis enim omnis Iurisprudentia est publica, quia ad utilitatem publicam comparata est. Inde et ius privatum haud semel publicum dicitur, veluti in L. 38. ff. de *pactis*; L. 8. ff. de *Tutel.*; L. 29. ff. de *Testam. Tut.*; L. 9. ff. de *his, qui sui vel alieni iuris sunt*; ubi tutela dicitur publici iuris ratione finis et originis, cum publica esse negetur L. 6. §. 15. ff. de *excusat.* puta, ratione obiecti. Sed ratione obiecti, ut dixi, in publicum et privatum recte dividitur. Aliud enim est ius, quod versatur circa negotia publica, e. g. circa iura imperantium, circa bellum, pacem, legationes, foedera; aliud, quod de privatis negotiis, id est de meo et tuo, agit, e. g. de contractibus, pactis, testamentis, legatis. Vnde utriusque iuris definitiones facile intelliguntur. Nimirum ius publicum est, quod de statu iuribusque rerum publicarum praecepit, id est, quod docet, quaenam sint iura imperantium, quaenam subditorum, quis inter utrosque nexus, cet.; unde totuplex est hoc ius, quot sunt respublicae. Privatum, contra est, quod ad singulorum utilitatem, id est ad meum, tuum, vel ad privatum singulorum patrimonium spectat. Hinc e. g. si ex furto ago ad duplum vel quadruplum restituendum, actio haec est iuris privati, quia hic res ad privatum patrimonium pertinet. Contra si procurator fisci furem persequitur, ut laqueo suffocetur, persequutio haec est iuris publici. Non enim hic de meo et tuo quaeritur, sed de securitate reipublicae, cuius vel maxime interest, fures e medio tolli.

### §. XXXII.

Altera divisio iuris est, quod sit vel naturale, vel gentium, vel civile. Et de hac divisione sequente titulo *ex instituto* agitur.

## TITVLVS II.

DE IVRE NATVRALI , GENTIVM,  
ET CIVILI.

DIG. LIB. I. TIT. II.

*De Iure naturali.*

**I**Vs naturale est , quod natura <sup>1</sup> omnia animalia docuit: nam ius istud non humani generis proprium est , sed omnium animalium , quae in caelo , quae in terra , quae in mari nascuntur. Hinc descendit <sup>2</sup> maris atque feminae coniunctio, quam nos matrimonium appellamus : hinc liborum procreatio , hinc <sup>3</sup> educatio : videmus etenim cetera quoque animalia istius iuris <sup>4</sup> peritia censerit.

1 *Omnia animalia docuit*) L. I. §. 3. ff. de *Iust.* et *Iur.* Dicuntur vero haec *καλλιχεντικῶς*, eo quod quae huius iuris sunt , etiam bruta faciant , solo quidem impetu naturae , ceterum cum similitudine sensus ac desiderii humani: Cic. in *Lael.* cap. 21. unde tales brutorum actus Aristot. 9. de *hist. anim.* cap. 7. appellat *μηνιάτικοι τῆς αἰθερίου ζῷα*. Proprie autem iuris capax non est , nisi natura utens praeceps generalibus , Grot. I. de *iure bell.* cap. I. §. II. *νόμος γε στρατοφόρος αἰθερίου χειροθεατού μονίμως*, Plutarch. *Cat. mai.* In bestiis tantum appetit iuris aliqua imago. Salmas. de *usur.* cap. 9.

2 *Maris atque feminae coniunctio*) Lactant. lib. 6. cap. 23. Cum excogitasset Deus duorum sexuum rationem , attribuit iis , ut se invicem appeterent , et coniunctione gauderent , eaque ratione propagari et multiplicari genera possent.

3 *Educatio*) Cicer. i. de *Offic.* cap. 4. *Comunne item animantium omnium est coniunctionis appetitus, procreandi causa, et cura quaedam eorum, quae procreata sunt.* Nam, ut idem lib. 3. de *fin.* cap. 19. *Haec inter se congruere non possent, ut natura, et procreari vellet, et diligi procreatos non curaret.* Huc vel maxime pertinet studium tuendi sui adversus vim illatam. Cicer. i. de *Offic.* cap. 4.

4 *Peritia censeri*) Id est, haberi pro peritis hu-  
ius iuris, eorum numero adscribi. Theoph. *εἰ τοῖς πνεο-τέροις τὸν ἑμεῖς ἀναγεγένεται, id est, his, qui hanc legem obseruant, adscripta: quidam malunt, perita.*

*Distinctio iuris gentium, et civilis, a definitione  
et etymologia.*

§. I.

Ius autem civile a iure gentium distinguitur: quod omnes populi, qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communī omnium hominum iure utuntur: nam quod <sup>1</sup> quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium civitatis est, <sup>2</sup> vocaturque ius civile, quasi ius proprium ipsius civitatis; quod vero <sup>3</sup> naturalis ratio inter omnes homines constituit, id <sup>4</sup> apud omnes peraeque custoditur, vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utantur. Et populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utitur. Quae singula qualia sint, suis locis proponemus.

<sup>1</sup> *Quisque populus*) Ex L. 9. de *Iust. et iur.* populus scil. alieno imperio non subiectus, alias iuris con-

dendi potestatem non habet , nisi quatenus ille , cui paret , concessit. *L. οἰκον. ff. de Leg. Rhod.*

2 *Vocaturque ius civile*) Nempe in specie , quod a se civitas constituit : qualia multa in duodecim tabulis. Nam ius civile sumtum pro universo iure civitatis, etiam ius naturale et gentium complectitur , quo sensu Arist. 5. *Ethic.* 10. dividit ius *πολ. πόλεως*, in *φύσις*, et *νόμος*.

3 *Naturalis ratio*) Ius gentium non ex institutis populorum aestimandum est , sed ex eo , quod iustum esse ipsa naturalis dictat ratio , id est , insita animis hominum notitia honesti et turpis , iusti et iniusti. V. C. incesta , adulteria , furta , natura turpia et illicita sunt; etiam si gentes repartae , in quibus haec permissa aut non punita: vid. Gell. 11. *Noct. At.* 18. Alex. ab Alex. 1. *Gen. dier.* 24. Plat. 1. *de legib.* Cic. 1. *de legib. cap.* 16.

4 *Apud omnes populos*) Aut certe moratores , nam quid naturale sit , spectandum in his , qui bene secundum naturam se habent , non in depravatis , teste Aristot. 1. *Polit.* 5. Videtur autem hic tantum definiri species iuris gentium excellentior , quae vulgo ius gentium primaevum.

### *Ab appellatione et effectibus.*

#### §. II.

Sed ius quidem civile ex unaquaque civitate appellatur , veluti Atheniensium : nam si quis velit <sup>1</sup> Solonis , vel Draconis leges appellare ius civile Atheniensium , non erraverit : sic enim et ius , quo Romanus populus utitur , ius civile Romanorum appellamus ; vel ius Quiritum , quo Quirites utuntur. Romani enim a Romulo , <sup>2</sup> Quirites a Quirino appellantur. Sed quoties non addimus nomen cuius sit civitatis , <sup>3</sup> nostrum ius si-  
gni-

gnificamus : sicuti cum Poëtam dicimus , nec ad-dimus nomen , subauditur apud Graecos egregius Homerus , apud nos Virgilius . Ius autem gentium omni humano generi commune est : nam <sup>4</sup> usu exi-gente , et <sup>5</sup> humanis necessitatibus , gentes huma-nae iura quaedam sibi constituerunt . Bella etenim orta sunt , et captivitates sequutae , et servitutes , quae sunt <sup>6</sup> naturali iuri contrariae . Iure enim na-turali omnes homines ab initio liberi nascebantur . Et ex hoc iure gentium <sup>7</sup> omnes pene contractus introducti sunt , ut emtio et venditio , locatio et conductio , societas , depositum , mutuum , et alii innumerabiles .

1 *Solonis vel Draconis* ) Prior Draco Leges Athe-niensibus dedit , in quibus nihil memorabile praeter poe-narum acerbitatem . Vnde Demadis illud laudatur , ὅτι δι<sup>ο</sup> αἴναλος , ἡ διά μέλανος , τοὺς τόμους ὁ Δράκως ἔγαψε . Draconis leges non atramento , sed sanguine scriptas fuisse . Plut. in Solone pag. 87 . Solon deinde alias scripsit , quibus Athe-nienses felicissime sunt usi . Vid. Gell. lib. 11. cap. 18.

2 *Quirites a Quirino* ) Plerique tradunt pace facta inter Sabinos et Romanos placuisse , ut Romani etiam Quirites a Curibus Tatii Sabinorum Regis patria voca-rentur . Varr. 4. *de ling.* Dion. Halic. lib. 2. pag. 111. Plut. in Romul. pag. 30. Ovid. 2. *Fastor.* vers. 475. seqq. In aliis est , Romani enim a Quirino Quirites ap-pellantur , Hotom. Cuiac. Wes.

3 *Nostrum ius* ) Κατ' ιζοχήν . De Romani iuris ex-cellentia disserit M. Tullius in persona Crassi , lib. 1. de Orat. cap. 43. seq.

4 *Vsu exigente* ) Huius igitur ex parte causa est usus et indigentia . Aristot. 1. *Polit.* cap. 9. Vnde Dio Chry-sost. orat. 76. hoc ius appellat εἰρηνικὸν καὶ χρεῖον , in-veniūt usus et temporis . Exemplo potest esse inventio-

nummi , cui causam praebuit difficultas permutationum.  
L. 1. ff. de contr. emt.

5 *Humanis necessitatibus* ) Hic locus confirmat receptam iuris gentium distinctionem in primaevum et secundarium. Illud enim de quo §. 1. non est cogitatum aut inventum usu exigente , sed nobiscum natum : qualia sunt , Deum colere , parentes revereri , neminem laedere , cet.

6 *Naturali iuri contrariae* ) Ex hypothesi tamen et haec naturalem rationem habent , puta si vim nobis illatam armis repellamus.

7 *Omnes pene contractus* ) τὰ bene additum est διαλέξεως φιλοσόφων . Sunt enim quidam iure civili introduciti , L. 5. ff. de *Iust. et iur.* veluti stipulatio , obligatio literarum , donatio propter nuptias.

*Divisio iuris in scriptum , et non scriptum ,  
et subdivisio iuris scripti.*

§. III.

Constat autem ius nostrum , 1 quo utimur , aut 2 scripto , aut sine scripto : ut 3 apud Graecos , τῶν Ῥώμων οἱ μὲν ἔγχεφοι , οἱ δὲ ἄγχεφοι . 4 Scriptum autem ius est , Lex , Plebiscitum , Senatusconsultum , Principum placita , Magistratum edicta , responsa Prudentum.

1 *Quo utimur* ) Abest a L. 6. §. 1. ff. de *Iust. et iur.* unde haec sumta ; nec Cuiac. Hotom. Wes. agnoscunt.

2 *Scripto , aut sine scripto* ) Distributio iuris civilis a forma et modo constituendi ex dict. L. 6. §. 1. : alterum enim expresse sancitur et scripto promulgatur , alterum tacito consensu utentium introducitur. L. 32. ff. de legib.

3. *Apud Graecos*) Plat. lib. 7. de legib. et apud Laërt. in eius vita, segm. 86. Aristot. 1. Rhet. cap. 10. qui et 3. Polit. cap. 16. meminit legum κετὰ τὰ γένη μακρά, et κετὰ τὰ ἀπό.

4. *Scriptum*) Subdivisio iuris scripti in sex species. Papinianus L. 7. ff. de Iust. et iur. quinque tantum enumerat: sed ille arctius ius civile accipit, eique praetorium, ut speciem diversam, opponit. Mox tamen Marciatus ius honorarium vivam appellat vocem iuris civilis L. 8. ff. eod.

### *De Lege et Plebiscito.*

Dig. lib. 1. tit. 3. C. lib. 1. tit. 14.

#### §. IV.

1. Lex est, quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante (3 veluti Consule) constituebat. 4 Plebiscitum est, quod plebs plebeio magistratu interrogante (5 veluti Tribuno) constituebat. Plebs autem a populo eo differt, 6 quo species a genere: nam appellatione populi, universi cives significantur, connumeratis etiam Patriciis et Senatoribus. Plebis autem appellatione, sine Patriciis et Senatoribus, ceteri cives significantur. Sed et Plebiscita, 7 lege Hortensia lata, non minus valere, quam leges cooperunt.

1. *Lex est*) Legis nomen hic strictissime accipitur: alias ius omne scriptum significat, opponiturque Con-suetudini, ut passim in libris nostris, et apud Cic. 1. de legib. cap. 6. saepe etiam non minus late extenditur, quam vocabulum iuris, ut et νόμος apud Graecos.

2. *Interrogante*) Mallem rogante, ut quidam. Rogabat magistratus populum his verbis: *velitis iubeatis*

*Qui-*

*Quirites*, cet. *Populus* respondebat in tabella vel A. id est, *Antiquo*, vel V. R. id est, *Vti rogas*.

3 *Veluti Consule*) Item Dictatore et Praetore, non etiam Censore. Addit Hotomannus et Interregem; sed perperam. Nam Interregibus comitia habere ferendis legibus non licuit, ut patet *ex Agrar. 3. in Rullum cap. 2.* Vid. Nic. Gruch. 1. de Comit. Rom. 3.

4 *Plebiscitum*) Ἀπὸ τῷ sciscere, ἡ φιλέσθαι, quod est decernere et constituere, non ἀπὸ τῷ scire. Fabrot.

5 *Veluti Tribuno*) Alium magistratum plebeium rotationem ad plebem tulisse nemo prodidit.

6 *Quo species a genere*) Rectius dixisset, *quo pars a toto*. *Populus* enim est σύνολός πτ̄ quod ex partibus suis plebe et patriciis constat. Interdum tamen populum pro plebe dixerunt. *Gloss. gr. lat. δῆμος*, *populus*, *vulgaris*.

7 *Lege Hortensia*) Primum lege Horatia secessione in Aventinum, deinde lege Hortensia, secessione in Ianiculum. Cuiacius ex Liv. et Plin. add. Gell. 15. cap. 27.

### *De Senatusconsulto.*

#### §. V.

Senatusconsultum est, quod Senatus iubet atque constituit. Nam cum auctus esset *populus Romanus* in eum modum, ut difficile esset in unum eum convocari, legis sanciendae causa: aequum visum est, *Senatum vice populi consuli*.

1 *Auctus esset populus*) Ita et *in L. 2. §. deinde 9. ff. de orig. iur.* An autem haec causa fuerit, an potius ambitio et astutia Caesarum, melius ex Tacit. 1. *Annal. cap. 5.* et Sueton. *in Tiber. cap. 30.* disces. Quibus modis Senatusconsultum fieret, vide Varronem *apud Gellium lib. 14. cap. 7.* In notis *S. C. D. Senatusconsultum decrevit*. Grot.

*De*

*De Constitutione.*

Dig. lib. 1. tit. 4. C. lib. 1. tit. 14. et 15.

## §. VI.

Sed et quod Principi placuit , legis habet vi-  
gorem : cum <sup>1</sup> lege Regia , quae de eius imperio  
lata est , populus <sup>2</sup> ei et in eum omne imperium  
suum et potestatem concedat. Quodcumque ergo  
Imperator <sup>3</sup> per epistolam constituit , vel cognos-  
cens <sup>4</sup> decrevit , vel <sup>5</sup> edicto preecepit , legem  
esse constat : haec sunt , quae Constitutiones ap-  
pellantur. Plane ex his quaedam sunt <sup>6</sup> personales ,  
quae nec ad exemplum trahuntur : quoniam  
non hoc Princeps vult. Nam quod alicui ob me-  
ritum indulxit , vel si quam <sup>7</sup> poenam irrogavit ,  
vel si cui sine exemplo subvenit , <sup>8</sup> personam non  
transgreditur. Aliae autem , cum generales sint ,  
omnes procul dubio tenent.

<sup>1</sup> *Lege regia* ) Ex L. 1. ff. de Constit. Princ.  
Lex imperii dicitur L. 3. C. de testam. De lege Re-  
gia cognosce ex indice *Leg. Rom.* Hotomanni.

<sup>2</sup> *Ei , et in eum* ) Haec verba *in eum* Theoph. Ho-  
tom. Wes. interpretantur *in se* , quod nimis argutum.  
Probabile est populum his verbis in formula legis usum  
ad ostendendam enixam suam voluntatem , omne impe-  
rium suum ~~κατελῶς~~ transferendi. Fabrot.

<sup>3</sup> *Per epistolam* ) Epistola est rescriptum Princi-  
pis , quo de iure consulentibus respondet , ut passim *in*  
*Cod.*

<sup>4</sup> *Decrevit* ) Decretum Principis dicitur , cum ipse  
de causa cognoscit , et partibus auditis pronunciat , ut  
*in*

*in L. 3. ff. de his quae in test. del. ἀπόφασις βασιλικὴ in Gloss. Basilic.*

5 *Editio praecepit*) Edictum est, cum Princeps motu proprio, εξ οἰκείων φύσεων κυρβεῖ, aliquid constituit ad honestatem et utilitatem subditorum: Theoph. et L. 3. C. de legib. et fere ad Praefectos Praetorio huiusmodi constitutiones diriguntur, ut *in L. 6. C. de secund. nupt. et similib.*

6 *Personales*) Hae sunt quae privilegia Latinis dicuntur, eo quod veteres *privata* dixerunt, quae nos *singula* dicimus. Gell. 10. cap. 20. Fest. in voce *privos*, et ibi Ios. Scal. *in annot.*: alias ius singulare, L. 16. ff. de legib. Huiusmodi sunt *privilegia* militum, doctorum, studiosorum, cet.

7 *Poenam irrogavit*) Nempe graviorem ordinaria propter exemplum. Obiter hic nota, privilegia non solum pro aliquo, sed etiam in aliquem ferri posse; ut *in Milonem a Pompeio, a Cladio in Ciceronem lata sunt.*

8 *Personam non transgreditur*) Non producitur hoc ius ad consequentias. L. 14. ff. de legib. non transit ad successores L. 68. L. 196. de reg. iur.

### *De iure honorario.*

#### §. VII.

<sup>1</sup> Praetorum quoque edicta <sup>2</sup> non modicam obtinent iuris auctoritatem. Hoc etiam ius honorarium solemus appellare: quod qui honores gerunt, id est, magistratus, auctoritatem huic iuri dederunt. Proponebant et <sup>3</sup> AEdiles Curules edictum <sup>4</sup> de quibusdam causis, quod et ipsum <sup>5</sup> iuris honorarii portio est.

1 *Praetorum edicta*) Ius praetorium introductum est

est adiuvandi vel supplendi et corrigendi iuris civilis gratia. *L. 7. §. 1. ff. de Iust. et iur. Exempla in pr. et §. 1. infr. de bon. poss. §. 3. infr. de exh. lib. §. 9. infr. de her. quae ab int. §. 3. infr. de leg. agn. succ.*

2 *Non modicam auctoritatem* ) Minorem tamen, quam species superiores. Nam edicta Praetorum non valabant auctoritate populi aut Principis, sed tantum ob honorem magistratus, qui non tam conditor est iuris novi, quam custos et interpres conditi, dicit. *L. 7. §. 1. et L. seq. ff. de Iust. et iur. L. 2. §. 10. ff. de orig. iur. L. 12. §. 1. de bon. poss. L. 1. in fin. ff. ex quib. caus. mai.*

3 *AEdiles Curules* ) Ad distinctionem AEdilium plebis. Curabant aedes sartas testas esse, aquas mundas, integros aquaeductus, vias expeditas. Cic. 5. in *Verr. cap. 14. add. Liv. lib. 6. in fin. et 7. in princ. Varr. 4. de ling.*

4 *De quibusdam causis* ) De rebus, maximeque mancipiis et iumentis venalibus, et de animalibus feris continendis, qua vulgo iter fit: explicatur lib. 21. *Dig. tit. 1.*

5 *Iuris honorarii portio* ) Ius honorarium genus est, cuius species praetorium et aedilitium.

### *De Responsis Prudentum.*

#### *§. VIII.*

Responsa prudentum sunt sententiae et opinione eorum, quibus permissum erat de iure respondere: nam antiquitus constitutum erat, ut essent, qui iura publice interpretarentur, quibus a Caesare ius respondendi datum est, qui Iurisconsulti appellabantur; quorum omnium sententiae et opinione eam auctoritatem tenebant,

*Tcm. I.*

H

ut

ut iudici recedere a responsis eorum non liceret,  
ut est constitutum.

1 *De iure respondere*) Cuiac. Hotom. Wes. ex libris veteribus, *iura condere*. Theoph. *μοναχοῦ*. sed ut recte idem, *κατὰ πόσιν ἢ ἀπόρειαν*, *per consultationem et responsionem*.

2 *Antiquitus constitutum*) Malo *institutum*; nulla enim lege id constitutum, sed more *maiorum institutum* fuit, dictaque haec pars in specie *ius civile*. L. 2. §. 5. ff. *de orig. iur.*

3 *A Caesare*) Primus D. Augustus constituit, ut ex auctoritate Principis responderetur, *dicitur*. L. 2. §. 47.

4 *Quorum omnium*) Aut utique plurimum L. un. C. Theod. *de Respons. prudent.*

### *De iure non scripto.*

#### §. IX.

Sine scripto ius venit, quod usus approbavit: nam 1 diurni mores consensu utentium comprobati, 2 legem imitantur.

1 *Diurni*) Propria haec sunt epitheta consuetudinis, ut dicatur, diurna, longa, inveterata: quanto autem tempore introducatur, iure nostro definitum non est.

2 *Legem imitantur*) Id est, legis vim et effectum habent, L. 32. et seq. ff. *de legib.* Quin etiam plus valere, et in rebus maioris momenti versari leges, quae moribus comprobatae sunt, quam quae scripto constant, testatur Aristot. 3. *Polit. cap. 16.*

*Ratio superioris divisionis.*

## §. X.

Et non ineleganter in duas species ius civile distributum esse videtur : nam origo eius ab institutis duarum civitatum , Athenarum scilicet et Lacedaemoniorum , fluxisse videtur. In his enim civitatibus ita agi solitum erat , ut <sup>2</sup> Lacedaemonii quidem magis ea , quae pro legibus observabant , memoriae mandarent : Athenienses vero ea , quae in legibus scripta comprehendissent , custodirent.

1 *Non ineleganter* ) Nec admodum tamen eleganter , ut apparet ex iis , quae Hotom. et Bachov.

2 *Lacedaemonii* ) Lacedaemonii scriptis legibus usi non sunt , atque una τα, κελευθέρων ποτεῖς haec erat , μὴ χεῖσθαι τόπους εἰχάφους , scriptis legibus non uti. Plutarch. in *Lycurg.* pag. 47.

*Divisio iuris in immutabile et mutabile.*

## §. XI.

Sed naturalia quidem iura , quae apud omnes gentes peraeque observantur , <sup>1</sup> divina quadam providentia constituta , semper firma atque <sup>2</sup> immutabilia permanent : ea vero , quae ipsa sibi quaeque civitas constituit , saepe mutari solent , vel <sup>3</sup> tacito consensu populi , vel <sup>4</sup> alia postea lege lata.

1 *Divina providentia* ) Quorum Deus inventor , disceptator , lator , ut loquitur Cicer. in *fragm. lib. 3.*

H. 2

de

*de Repub.* Intelligit ergo ius gentium primaevum , quod nobis ingenitum ; non secundarium , quod usu exigen- te inventum.

2 *Immutabilia*) Ius naturale semper et ubique iustum est , et fuit : unde nec quod hoc iure prohibetur , iuberi potest ; nec quod iubetur , vetari : Grot. I. *Mannuduct.* 2. addi tamen ei aliquid potest , aut detrahi *L. 6. ff. de Iust. et iur.*

3 *Tacito consensu*) Non tantum novum ius longo usu introduci potest ; sed id etiam , quod ante lege aliqua constitutum erat , contrario usu abrogari. *L. 32. §. I. ff. de leg.*

4 *Alia postea lege lata*) Nam posteriores leges semper potiores sunt , *L. ult. ff. de Const. Princ. Harm. lib. I. tit. I. Varro lib. 8. de Lingua : An non saepe veteres leges abrogatae novis cedunt?*

### *De Obiectis Iuris.*

#### §. XII.

Omne autem ius , quo utimur , vel ad personas pertinet , vel ad res , vel ad actiones. Et prius de personis videamus : nam parum est ius nosse , si personae , quarum causa constitutum est , ignorentur.

1 *Vel ad personas , cet.*) Distributio ex obiectis ad finem iuris obtainendum accommodata *ex L. I. ff. de stat. hom.* Omne ius redditur personis , de rebus , per actiones et iudicia. M. W.

## TITVLVS II.

## DE IURE NATVRAE , GENTIVM

ET CIVILI.

## §. XXXIII.

**V**El ipsa rubrica huius tituli indicat , tres esse eius partes. Agitur enim (1) de iure naturali , §. 33. ... 36. (2) de iure gentium §. 37. ... 42. (3) de iure civili §. 43. ... 74. Res redit ad varias iuris divisiones, quae paulo altius hic sunt repetendae.

Ius variis modis accipi , in L. 11. et 12. ff. de *Iust.* et *iur.* observatum. In hoc titulo per *ius* intelligimus *complexionem omnium legum unius generis*. Quales ergo sunt leges , quae in unum corpus vel sistema compinguntur , tale est ius , et tale illud nomen sortitur. E. g. si omnes leges ecclesiasticas in unum corpus compingo, habeo ius ecclesiasticum : si feudales , habeo ius feudale: si nauticas , ius naticum : si civiles , ius civile , cet.

## §. XXXIV.

Inde vero fluit prima iuris divisio , quod sit vel *divinum* vel *humanum*. Divinum est , quod omnes leges ab ipso Deo immortali latas complectitur : humanum, quod leges ab hominibus latas inculcat. Quum enim, ut paulo ante §. XXXIII. docuimus , tale sit ius , quales sunt leges : necessario sequitur , ut ex legibus divinis nascatur ius divinum ; ex legibus humanis ius humanum. Haec facilia sunt intellectu.

## §. XXXV.

Divinum subdividitur in *naturale* , vel *positivum*.  
Deus

Deus enim est legislator supremus : legislator autem non solum leges excogitat , sed et easdem promulgat , nec obligare lex potest nisi promulgata. Hinc ridiculum est, quod de C. Caligula refert Sueton. cap. 41. eum legem proposuisse minutissimis literis et in augustissimo loco , ne quis describere posset ; quasi lex obligaret, quae subditis per promulgationem non innotescit. Itaque et Deus tamquam supremus legislator leges suas promulgat , ut hominibus innotescere possint : idque vel per rationem , ut homo secum si ratiocinari vellet , quid iustum sit , statim posset cognoscere ; vel per revelationem , seu Scripturam Sacram , ut eam legentes eius voluntatem intelligent. Quod ergo ius per rationem innotescit , naturale : quod per solam revelationem , Sacram Scripturam , positivum appellatur. E. g. ipsa recta ratio docet , homicidia esse illicita : est ergo hoc Iuris Naturae. At ratio non docet , sabbathum esse observandum, christianos esse baptismo lustrandos , cet. : sunt ergo haec Iuris divini Positivi.

### §. XXXVI. et XXXVII.

Iam ergo videbimus , 1) quomodo ius naturae et gentium definiatur in iure nostro , §. 36. ... 39. 2) quomodo id ex sanioribus principiis rectius definiri possit, §. 40. 41. Ius naturale Vlpiano in L. I. §. 3. ff. de Iust. et Iur. et Iustiniano pr. Inst. hoc tit. est , quod natura omnia animalia docuit : ius gentium , quod solidis hominibus inter se commune est. Mirae definitiones, contra quas multa disputantur. Nam (1) animalia bruta destituta sunt ratione. Quae vero ratione carent , legibus obstringi nequeunt. Quis , queso , leges praescripsert arbori , ut saltet , equo , ut cantet , capro ut castus sit ? Ratione hae res carent , adeoque nec leges intelligunt , neque iis possunt obligari. Si legibus obligari non possunt , sane nec ius in eas cadit , adeoque falsum

sum est , quod ius naturale natura omnia animalia docuit , multoque verius est , quod canit Hesiod. *Op. et dies lib. I. vers. 276. seqq.*

Tότε γας αιτεωποιοι νόμοι διέλαζε Κρονίων.  
 Ἡ Ιχθύος μηδὲ καὶ Θρακίη καὶ θαύμοι πελεννοῖς,  
 Ἡ Ερέτης ἀνάλας , οὐδὲ δικαὶος εἰς τούτοις.  
 Αιτεωποιοι δὲ ἐδωκε δικαὶος , οὐ πολλὸς ἀγίστη.

*Humano generi nam lex datur , a Iove summo,  
 Quippe ferae , pisces , avium genus altivolantum  
 Mutua se vertunt in pabula , iuris egentes:  
 Iustitia at nobis , quae res est optima , cessit.*

(2) Exempla huius iuris animalibus omnibus cum homine communis dari nequeunt. *In princ. Inst. hoc tit. proferunt exempla , coniunctio nimirum maris et feminae, educatioque sobolis , quippe quam et hominibus et brutis natura inculcat. Sed quamvis fateamur , bruta coniungi et procreare foetum , pullis ubera praebere ; id tamen non faciunt ex obligatione iuris , sed ex impetu naturali , ipsaque nesciunt , quid agant.*

Quomodo ergo in has definitiones inciderunt veteres ? Sunt , qui Stoicos , quos ICti sequuti sunt , brutis rationem tribuisse contendunt. Sed id nec Stoici fecerunt , ut ex Plutarchi libro *de solertia animalium* docuimus , nec ICti , qui in L. I. §. 3. ff. si quadr. paup. fec. bruta sensu carere dicunt. Vera ergo Stoicorum ICtorumque hypothesis haec fuit : secundum ius vivere , est secundum naturam vivere ; natura est vel brutis cum homine communis , vel homini propria : secundum illam vivere , est secundum ius naturae vivere : secundum hanc , ad regulas iuris gentium : inde ergo fluit utraque definitio , quam dedimus. E. g. se defendere adversus aggressores , commune est brutorum et hominum : ergo est iuris naturae. At pacta servare , naturae humanae proprium est ; bruta enim non paciscuntur : ergo est iuris gentium. Veram hanc fuisse veterum ICtorum sententiam luculenter patet ex L. I. §. 3. et 4. ff. de Iust. et iur.

*iur.* Sed sciverunt tamen veteres , in bruta non cadere obligationem , adeoque nec ius illis tribui posse : cur ergo illis nihilominus ius naturae tribuerunt ? Audiamus Cuiacium eleganter respondentem *in not. prior. ad pr. Inst. hoc tit.* : *Ius in bruta non cadit , nam nec iniuria cadit. Denique , ut rationis , ita iuris expertia bruta sunt. At quae bruta faciunt incitatione naturali , ea si homines faciant , iure naturali faciunt.* Haec ergo Stoicorum , haec veterum ICtorum sententia : e. g. bruta se defendunt ex impetu atque incitatione naturali , sine ratione et consilio. Si idem homines faciant cum consilio et ratione , tunc eos secundum ius naturae age-re dicebant.

### §. XXXVII. XXXVIII. XXXIX.

Duplex vero veteribus est ius gentium , primarium et secundarium. Quamvis enim haec vocabula artis nusquam in iure nostro reperiantur : res ipsa tamen ibidem omnino reperitur. Primarium est , quod naturalis ratio inter omnes homines constituit et apud omnes peraeque custoditur. §. 1. *Inst. hoc tit. Secundarium , quod usu exigente et humanis necessitatibus est introductum ,* §. 2. *Inst. eod.* Differunt ergo haec iura 1) ratione originis: primarium ab ipsa ratione , vel Deo potius , eius aucto-re , est ; secundarium gentes per pactum tacitum intro-duxerunt. E. g. pacta servanda esse , ratio homines docet : at , quod bello capti servi fiant , ea gentes tacito inter se constituerunt pacto. Est ergo prius , iuris gentium primarii : posterius , secundarii. 2) Differunt mate-ria. Ius primarium est absolutum , quod in hominem absolute cadit , tamquam hominem. E. g. religio erga Deum , pactorum sanctimonia. Ius secundarium est hy-potheticum : non enim locum haberet , nisi poneremus certas necessitates vel certos status. Sic e. g. furtum non esset prohibitum , nisi dominia rerum introducta ponamus;

mus ; bellum non esset iuris , nisi statim ponamus , ubi iudiciis destituuntur homines .

## §. XL.

Exposuimus hactenus doctrinam veterum de iure naturae et gentium : iam quaeritur , an non accuratius utrumque ius possit definiri ? Id sane nemo negaverit . Recentiores enim , ex quo paulo accuratius ius naturae excoluerunt , animadverterunt , definitionem non nisi ab eius auctore et promulgatione esse petendam . Iam cum auctor huius iuris sit Deus , promulgatio vero facta sit per rectam rationem , commodissime sane definitur , quod sit *ius ab ipso Deo generi humano per rectam rationem promulgatum* . Eodem fere modo Apostolus sibi concipit ius naturae , dum dicit , ἡγον τῷ σώματι τὸν λαϊκὸν κερδίας ἐδίδω , opus legis cordibus etiam gentilium inscriptum , Rom. II. 15. Dicitur enim cordibus inscriptum hoc ius eo sensu , quod per ipsam rectam rationem statim unicuius innotescat , modo recta ratione utatur , eamque in consilium adhibere velit . Ex ea ergo definitione simul videmus , (1) falsum esse , quod cum scholasticis tradit Grotius de I. B. et P. §. II. prolegg . fore aliquod ius naturae , etiamsi dicemus , quod sine summo scelere dici nequit , non esse Deum , aut non curari ab eo negotia humana . In eo , inquam , ratio fugit virum magnum . Nam ius est complexio legum , (§. XXXIII.) ubi ergo nulla est lex , ibi nullum ius : nulla autem lex est , ubi nullus legislator ; nullus legislator , ubi nullus Deus : ergo sublato Deo tolleretur ius naturae . Posset quidem et atheus , etiam si Deum existere negaret , secundum iuris naturae praexcepta vivere ; a furto , caedibus , iniuriis abstinere ; sed id tunc non faceret obsequio iuris , sed intuitu propriae utilitatis , quia videt , se aliter in societate humana ferri non posse . Deinde ex hac definitione etiam videmus , (2) ius na-

turae esse immutabile , §. 11. *Inst. hoc tit.* Nam et Dei voluntas , ex qua proficiscitur , et ratio , per quam promulgatur , immutabilis est. Si ergo mutaretur ius naturae , vel Deus non amplius esset Deus , vel id fieret rationi adversum , quod antea erat eidem consentaneum: quod absurdum. Neque ergo ius naturae mutari potest. At dicitur tamen mutari *L. 6. pr. ff. de Iust. et iure* , et quidem per ius civile? Imo id negatur. Nam distinguit (1) inter ius naturae *permissivum* et *praeceptivum*. Illi humanum genus renunciare potest , tamquam iuri in sui favorem introducto : de hoc vero recte dicitur , quod mutari nequeat. Atqui de illo potissimum loquitur *L. 6. pr.* E. g. lex praeceptiva est , neminem laede. Hanc nulla lex civilis evertere vel mutare potest , et , si princeps quidam vel tyrannus id auderet , obtineret illud Apostolorum *Acto. V. 29.* ~~πειθαρχίαν τοῦ Θεοῦ μᾶλλον ἢ ἀνθρώπους~~ , magis Deo obediendum quam hominibus. (2) Distinguendum inter mutationem iuris , et attemperare illud ad statum reipublicae. Illud fieri non potest : hoc autem , quia salvum relinquit ius naturae , et tantum ei circumstantias quasdam addit , omnino recte fit a quocumque legislatore. E. g. pacta sunt servanda , est iuris naturae. Ius civile addidit hanc circumstantiam , ut pacta non sint nuda , sed certa cum stipulatione coniuncta. Non mutat ergo regulam , sed circumstantiam addit , quam exigere videbatur status reipublicae. Et de hac attemperatione iuris naturalis ad statum civilem loquitur *dist. L. 6. pr. de Iust. et iure*.

## §. XLI.

Definivimus ius naturae : quid vero ius gentium? Est ipsum ius naturale integrarum gentium negotiis et causis applicatum. Non ergo ius naturae et ius gentium sunt duo diversa iura , ut sibi persuaserunt veteres ICti scholastici , et ipse Grotius : sed unum idemque

que ius pro diverso subiecto, modo naturale dicitur, modo gentium. Si enim negotiis et causis privatorum applicatur, dicitur ius naturale: sin negotiis et causis gentium, dicitur ius gentium. E. g. pacta sunt servanda, est regula iuris naturalis. Si fingamus Titium Maevio promisisse 100. aureos, eosque non praestare, dicemus illum violasse ius naturae, quia privatus uterque est: at si fingamus foedus inter se pactos Hispanos atque Gallos, et alterutram gentem non satisfacere legibus istius foederis, dicemus, eam gentem foedifragam esse contra ius gentium: et tamen idem ius utrasque iussit pacta servare. Sunt, qui obiiciant, ea tamen, quae sunt iuris gentium secundarii, non posse ex iure naturali derivari, e. g. bella, servitutes, cet. adeoque dari ius gentium a iure naturali diversum: vid. Sam. Rachelius *in diss. singulari de Iure Gentium*, et B. Huberus *diss. lib. 5. cap. 9.* sed iam ostendit Puffendorfius, omnia, quae ad ius gentium secundarium referri solent, vel esse vere iur. nat. ut bellum; vel tantum ex moribus gentium fluere, adeoque iuris potius civilis esse, quam gentium, e. g. servitutem bello captorum, ius sepulturae, cet. Maneat ergo firmum et fixum, non dari ius gentium a iure naturae diversum.

### §. XLII.

Redimus ad superiorem divisionem. Ius erat vel divinum vel humanum: divinum iterum vel naturale vel positivum. De naturali haec tenus diximus: sequitur iam positivum. Est vero *ius divinum positivum*, *quod per sacras literas promulgatum ex sola recta ratione non innotescit*. Maxime ergo a naturali differt, quamvis a Deo utrumque sit. Nam (1) naturale est per rationem, hoc per sacras literas promulgatum. (2) Illud est aeternae necessitatis, et ita cum recta ratione coniunctum, ut vel ea sola innotescat ipsis etiam gentibus. At hoc

non est aeternae necessitatis , sed ex libera Dei voluntate dependet , adeoque nesciret homo , id iustum esse , nisi sacrae literae id docerent : e. g. quae Deus Israëlitis praeceperat de circumcisione , de sacrificiis , de esu animalium impurorum prohibito , erant iura divina , sed quae non erant aeternae necessitatis ; nec ratio Iudeis dictare potuisset , nefas esse , suem vel leporem comedere , nisi Scriptura id revelasset. Ius hoc positivum divinum in *universale* et *particulare* dividitur. *Vniversale* vocant , quod toti generi humano commune , e. g. leges *Genes. IX. 6. Levit. XVIII. 20.* : *particulare*, quod genti Iudaicae proprium est , e. g. leges de circumcisione , sacrificiis , esu animalium , lepra , et reliquae ceremoniales et forenses. Sunt quidem , qui iuri universalis positivo status quaestionem movent , negantque , huiusmodi ius dari : sed de ea controversia alibi erit docendi locus , cum illam tirones non capiant.

### §. XLIII.

Progredimur ad ius humanum vel civile , adeoque ad tertiam huius tituli partem. Dicitur *ius civile ius* , *quod quisque populus sibi constituit et cuiusque civitatis proprium est L. 9. ff. de Iust. et iure.* Vnde differt a iure naturali et gentium , quod non uni alicui genti vel civitati proprium , sed universo generi humano commune est. Multa nimirum singulae gentes praecipiunt , multa prohibent , quae in se nec turpia nec honesta sunt , sed , quia reipublicae utilitas id exigit , iusta fieri incipiunt. E. g. venari feras , non est iniustum , et potest tamen id iure civili gentium multarum prohiberi , quum alii id permittant. Ita et militare in se nec honestum nec turpe est , sed lex tamen Romana iubebat omnes ingenuos per certos annos stipendia facere. Quaecumque ergo singuli populi circa huiusmodi sanciunt , ea iuris civilis esse dicuntur. Patet inde , (1) ius ci-

civile non esse omnibus gentibus unum idemque , quia nec omnibus idem utile vel noxiūm. (2) Tot esse iura civilia , quot sunt civitates vel respublieae. Attamen (3) quia plerique populi moratores iuri Romano ob summam aequitatem se sua sponte submiserunt , id  $\pi\alpha\lambda' \pi\zeta\chi\alpha$  et propter summam eminentiam ius civile dici , item ius commune. Ergo ubi hodie de iure civili vel communis loquimur , plerumque Romanum intelligere solemus.

### §. XLIV.

Ius hoc civile dividitur in scriptum vel non scriptum. Sed hic ante omnia tenendum , scribere hic non accipi grammaticē , pro , redigere in literas : datur enim ius scriptum , quod numquam in literas redactum est, et datur etiam ius non scriptum , quod tamen in literas redactum ; e. g. consuetudines feudales , quae in Corpore Iuris occurruunt. Quid ergo ICtis hic est scribere, si significationem grammaticam non sequuntur ? Resp. Scribere ICtis est *promulgare* ; ius *scriptum* , *promulgatum* ; ius *non scriptum* , *non promulgatum* ; quam significationem et Graecis non ignotam fuisse in nota docui. Quodcumque ergo ius expresse promulgatum est, sive scriptura , sive voce praeconis , sive alio quocumque modo , id dicitur ius scriptum , sive in scripturam redactum sit , sive non redactum. Hinc e. g. Lacedaemonii usi sunt iure scripto , quamvis numquam in scripturam redactae sunt Lycurgi leges. Quodcumque ergo ius tacite et sine promulgatione in republica invalescit , sive postea in scripturam redigatur , sive non redigatur , non scriptum dicitur. E. g. consuetudines feudales. Exinde apparet , non accurate Iustinianum §. 10. *Inst. hoc tit.* hanc iuris partitionem arcessere a moribus Lacedaemoniorum et Atheniensium , quasi illi iure non scripto , hiscripto usi sunt ; vere enim utraque civitas iure scripto regebatur. Lycurgus enim non minus quam Solon leges suas

sueas solemniter promulgaverat, quamvis eas literis consignari noluerit. Erravit ergo Iustinianus, nisi ius scriptum accipias in sensu grammatico; hoc enim sensu vere Athenienses iure scripto, Lacedaemonii iure non scripto usi sunt. At nunc perperam dicitur haec divisio ab illis civitatibus originem sumssisse.

## §. XLV.

Iuris scripti sex species sunt: (1) lex, de qua §. 46.; (2) plebiscitum, de quo §. 47.; (3) SCtum, de quo §. 48. ... 50.; (4) principum placita vel constitutiones, de quibus §. 51. ... 63.; (5) magistratum edicta, de quibus §. 64. ... 66.; et denique (6) responsa prudentum, de quibus §. 67. ... 70. Et eo ordine species iuris scripti recensentur in §. 3. *Inst. hoc tit.* Sed posset cuidam dubium suboriri ex duobus locis obstantibus. Nam in hoc §. 3. ius ex responsis prudentum ortum, scriptum dicitur, contra *L. 2. §. 5. et 12. ff. de origine iuris, sine scripto venire dicitur, et sine scripto in sola prudentum interpretatione consistere.* Sed salva res est, si distinguis tempora. Responsa prudentum initio fuere ius non scriptum, quia numquam per modum legum promulgata sunt, sed tacite in foro auctoritatem consequuta. Ex quo autem Iustinianus ea in Digesta retulit, et tamquam leges ab omnibus observari iussit, sane ius scriptum esse coeperunt, tamquam solemniter promulgatum. Sed de hoc in ipsa nota \*. Pergimus ad singulas iuris scripti species.

## §. XLVI.

Earum prima est *Lex*. Haec hoc loco non accipitur in sensu hodierno, quo omne praeceptum summorum imperantium lex dicitur: sed in sensu Romano. Ergo ex antiquitatibus paulisper repetendum, quomodo LL.  
la-

Iatae fuerint Romae. Primo ergo (1) lex scribebatur a consule , vel praetore , dictatore , aliove magistratu , et communicabatur cum senatu. (2) Si lex senatui placebat , fiebat SCtum de lege ferenda. (3) Hinc lex promulgabatur , id est proponebatur publice per trinundinum , id est , per 27. dies , ut unusquisque civis eam legere et expendere posset. (4) Hinc indicebantur comitia , quibus singuli cives intererant. (5) Facta re divina prodibat magistratus senatorius , et legem rogabat formula : velitis iubeatis , Quirites , an haec lex recipienda sit. (6) Tum singulis civibus distribuebantur duae tabulae , una , cui inscriptum A , ( antiqua probo ) una , cui inscriptae literae V. R. ( uti rogas ). Hinc porro cives centuriatim vel tributim ibant per partes , et alterutram tabulam coniiciebant in cistulam. Quidquid ergo , placeret civibus , id licitum erat , poterantque , vel probare legem , vel antiquare. (7) Denique dinumeratis tabellis , si plures cum litera A. reperiebantur , lex pro reiecta habebatur : sin plures cum literis V. R. lex tamquam populi suffragiis probata promulgabatur. Plura diximus in *Antiq. Rom.* hoc tit. Iam ergo facile intelligimus definitionem legis. *Lex* est , quam populus Romanus ( universus ) senatorio magistratu ( veluti consule , vel praetore , vel dictatore ) constituit \*\*.

\*\* Magistratus superiores , quibus cum populo agendi ius esset , praeter Reges , Interreges , Dictatores , Consules , erant Tribuni militum cos. potestate , Censores , Praetores. Hinc non ignotae leges *Regiae* ; non ignota lex AEmilia de censura a *Dictatore* ; lex AElia Sentia , a *Coss.* ; lex Pinaria de ambitu a *Tribuno mil. cos. pot.* ; lex Caecilia de fullonibus a *censoribus* ; lex Aurelia iudicaria a *Praetore latae*.

Ab his ergo magistratibus , lex , si qua opus videretur , primo domi *scribenda* erat. Quod fiebat adhibitis viris prudenteribus et necessariis , cum quibus expendere solebant , an lex esset e republica , maiorumque moribus conveniret. Vnde plerumque additae formulae : *Si quid ius non fuit rogari , eius bac lege nihil esset rogatum* : itemque : *Si quid contra alias leges eius*

*le-*

Nimirum inde patet, libera republica duo fuisse legis

*legis ergo latum esset, ut ei, qui eam legem rogasset, impune esset.* Cicer. ad Attic. 3. epist. 23. et ibi Interpp. Scripta lex communicabatur cum senatu, sine cuius auctoritate cum populo agere nefas habebatur. Quum vero Senatus nonnumquam difficilior esset in permittendis comitiis, lege Maenia cautum est, *uti rogatore comitiorum iusto postulante, patres ante inita suffragia fierent auctores eius rei, quam populus iussurus esset.* Cic. in Brut. cap. 14. Et postea quum iste mos desuetudine obumbraretur, illum de novo in usum revocavit L. Cornelius Sulla. Vid. Appian. de Bello civil. 1. pag. 650.

Hinc porro legis sequebatur *promulgatio*. Publice enim lex proponebatur, ut quilibet e populo eam legere, expendere, et, ferendane esset, an antiquanda, secum statuere posset. Spatium promulgationis erat *trinundinum*, ut lex nova etiam a rustica plebe, quae singulis nundinis rure in urbem veniebat, legi ponderarique posset. Addebatur edictum, ut populus in proximum trinundinum in campo Martio ut plurimum conveniret. Quum tamen ipsis nundinis cum populo agere haud licaret; comitia plerumque in sequentem diem indicebantur. Et his demum omnibus observatis, magistratus quis *populum iure rogasse, populusque iure scivisse* dicebatur. Cic. Philipp. 1. 10. Lex ipsa ferebatur in *comitiis*, olim in *curiatis*, postea et *centuriatis*, et *tributis*, ad quae ubi populus in *campum Martium*, vel in *comitium* ad rostra confluxisset, praeco primum legem recitabat; dein is plerumque, qui rogaturus erat, eamdem *suadebat*, quod et alii faciebant nonnumquam. Nec deerant, qui *dissuaderent*.

Auditis orationibus, praesentibusque sacerdotibus et divina exponentibus *sitella* vel *urna* deferebatur, in quam coniciebantur centuriarum nomina. Deinde sortibus aequatis siebat *sortitio*, quaeque prima centuria, quae secunda, quae tertia de sitella exiisset, ea eundem in suffragiis locum atque ordinem obtinebat. Quae prima sorte exierat, prima ferebat suffragia, atque inde *praerogativa*, proxime sequentes *primo vocatae* vocabantur. Reliquae *iure vocatae* dicebantur. Exemplum est in legе Thoria apud Sigon. de antiq. iur. Ital. lib. 2. cap. 2. Interim licebat iis, quorum intererat, legi *intercedere*. Faciebant id *Tri-buni plebis* solemni illo *Vero*. Faciebant et *Consules*, vel *intercedendo* Dionys. Halic. pag. 557. vel *comitiales dies eximendo*, supplicationes decernendo, vel *ferias Latinas indicendo*. Cic. ad Quint. Fratr. 2. ep. 6. Faciebant idem et *augures et magi*.

requisita : (1) ut lex ferretur a toto populo , qui e patriciis et plebeiis constabat : (2) ut ferretur rogante magistratu senatorio.

## §. XLVII.

Vnde statim intelligimus , quomodo a lege differat

*gistratus* , quorum erat , de caelo servare . Qui si quidquam adversi visum auditumque obnunciarent , comitia impediabantur , reque infecta discedebatur . Si nihil sinistri obnunciabatur , ipsa iam fiebat *rogatio* , solemnī formula : *Velitis iubeatis quirites , hoc ita uti dixi ita vos quirites rogo* . Tum addebat : *Si vobis videtur , discedite quirites* . Quo facto , in suam quisque centuriam tribumve discedebat , in qua erat suffragium latus .

Facta discessione ferebantur *suffragia* , olim quidem viva vox : post tabellariam vero legem *tabellis* , quarum alteri inscriptum V. R. uti *rogas* ; alteri A. id est *antiqua probo* .

Distribuebantur hae tabulae per *diribitores* , quibus nongentiti *custodes* adstabant , daturi operam , ne qua *fraus* in distribuendis tabellis admitteretur . Et exstructi quidem in campo Martio erant *pontes* centum nongenti tres , totidem scilicet , quot numerabantur centuriae . His ergo in capite pontium ministrabantur binae tabellae , quarum alterutram deinde in extremo ponte *cintulæ* immittebant . Fiebat id ita , ut praecō singulas centurias , eo ordine , quo sorte exiissent , ad suffragia vocaret . Reversi e ponte intra *cancellos* concludebantur , quos *ovilia* vocat Lucanus , *Pharsal. 2. vers. 197.*

..... et miserae maculavit ovilia Romæ.

Latis hoc ordine suffragiis , *diremio* fiebat . Numerabantur enim tabellae utriusque generis a singulis custodibus , numerosque earumdem *punctis* notabatur . Si plures sententiae legem probassent , *scita* , vel *perlata* ; sin plures eamdem reiecissent , *antiquata* dicebatur . Perlatam legem primo *iureiurando* firmatam , deinde *aeri incisam* , *delatamque in aerarium* legimus . *Nomina* leges plerumque accipiebant ab utroque consule , e. g. *lex Aelia Sentia* , *Papia Poppaea* , *Fusia Caninia* . Nonnumquam unicum iis cognomen dabatur , si a dictatore , vel praetore , vel censore latae essent . Tales sunt *lex AEmilia* , *lex Aurelia* et aliae . Addebatur interdum alia cognomina , a materia legis desumpta , veluti *lex Cornelia sumtuaria* .

Plebiscitum. Illud enim (1) non a toto populo ferebatur , sed a solis plebeiis ; (2) non rogante magistratu senatorio , sed plebeio , id est tribuno aliquo plebis \*\*. Quum enim , electis regibus , maxima esset inter patres et plebeios discordia , illique aristocratiam , hi democratiam stabilire conarentur , demum in montem sacrum secesserunt plebeii , nec prius reversi sunt in urbem , quam singularem impetrassent magistratum , puta tribunos plebis , qui plebem adversus consulum et senatus iniurias defenderent. Liv. lib. 2. cap. 33. ; L. 2. §. 20. ff. de orig. iur. Hi tribuni cum essent sacrosancti , id est inviolabiles , nihil fecerunt reliqui , ut summam potestatem ad se traherent , et veram introducerent democratię. Et hinc et leges per plebis suae suffragia ferre incipiebant , quae plebiscita vocabantur. Hinc novae lites. Senatus enim vel patres non solum tribunis huiusmodi leges laturis acriter resistebant , verum etiam si perlatae essent , se illis teneri negabant. Hinc post multas discordias A. V. C. 304. lata lex Horatia a M. Horatio Cons. cautumque , ut , quod tributim plebs iussisset , populum ( universum ) teneret. Liv. lib. 3. cap. 55. Postea , quum novis cavillationibus legem Horatiain eluderent , successit A. V. C. 414. lex Publilia , a Q. Publilio Philone , dictatore , lata , ut Quirites omnes tenerent plebiscita. Liv. lib. 8. cap. 12. Denique cum de novo ter-

\*\* *Leges* in campo Martio ferebantur et in comitio ; *plebiscita* , non in eo tantum , sed et nonnumquam in circō Flaminio , aut in Capitolio , maxime vero in comitio , ubi ex sortitis tribuni ad plebem concionabantur. *Leges* in comitiis centuriatis et tributis , *plebiscita* in solis tributis condebantur , ubi non opus erat vel SCto , vel auspiciis. Dionys. Halic. 9. pag. 598. et 605. *Leges* plerumque tribuni plebis , *plebiscita* patricii et postea magistratus dissuadebant , quamvis eam facultatem coss. adimere conaretur Volero , tribunus plebis. Dionys. Halic. 9. pag. 598. Sortitio etiam in plebiscitis duplex fiebat , quarum altera , in qua tribu Latini suffragium ferrent , explorabatur ; altera inter ipsas tribus fiebat sortitio. Liv. 25. 3. Fie-

giversarentur patres, plebs ad seditionem consternata de-  
nuo in montem Ianiculum secessit, non prius redditura,  
quam per Q. Hortensium, dictatorem, A. V. C. 456.  
lex Hortensia esset lata, eaque leges Horatia et Publi-  
lia in usum revocatae. Gell. lib. 15. cap. 27. ; L. 2.  
§. 8. ff. *de orig. iur.* Ex eo ergo tempore ratione effe-  
ctus nihil fuit inter leges proprie dictas et plebiscita dif-  
ferentiae: utraque enim populum universum obligabant;  
unde et paulatim leges dici cooperunt plebiscita, et in  
ff. nostris fere semper ita vocantur, e. g. lex Aquilia,  
Falcidia, Atilia. Conf. Gell. lib. 10. cap. 20. et Cicer.  
*Orat. 2. de lege Agraria cap. 8.*

### §. XLVIII. XLIX. et L.

Tertia species iuris scripti sunt *Senatus consulta*, quae secundum diversa tempora consideranda. Alia enim erant SCta tempore liberae reipublicae, alia sub imperatori-  
bus. Tempore liberae reip. quidem fiebant SCta, sed ea non erant leges, quia senatus non gaudebat potestate legislatoria. Erant ergo tunc SCta decreta senatus de rebus eius curae demandatis, e. g. de ferendis legibus, de provinciis sortiendis, de deleſtu militum habendo, cet. Modum condendi SCta descripsimus in *Aut. Rom. L. 1.*  
*tit. 2. §. 48. \*\** Idem mos adhuc obtinebat sub Augu-

\*\* Fiebant SCta non nisi in sacro auspiciisque dedicato loco. Romulus in templo Vulcani extra urbem coēgit. Tullus Hostilius in curia Hostilia. Libera republica aedes Apollinis, Martis, Bellonae, Quirini, Castoris, Concordiae, Virtutis, Fidei, ut et curiae Hostilia, Pompeia, Iulia, senatui habendo inserviebant. Gell. *Noct. Attic. 14. 7.* Nam et in curiis templā erant per augures dedicata. Gell. *Noct. Attic. loc. cit.* Ordinaria tamen senacula erant aedes Concordiae, aedes Bellonae, et locus ad portam Capenam. Fest. *voce Senacula.* Conveniebat Senatus statim temporibus, hoc est, singulis Kalendis, Nonis, et Idibus, exemptis tamen diebus comititalibus, nec non diebus atris, quibus senatum non nisi in rebus trepidis habere licebat.

sto, imperatore, qui non per senatum, sed per suffra-

bat. Et hi ordinarii conventus *senatus legitimus* dicebantur. Si vero vel legatis, vel aliis ob quamcumque causam *Senatus extra ordinem* dabatur, ille vocari solebat *indictus*. Et tunc quidem convocabantur plerumque senatori*s* per edictum, quo olim frequentes adesse iubebantur; *qui patres, quique conscripti*: Liv. 2. 1. postea vero edici coepit: *qui senatori*s*, quibusque in senatu sententiam dicere licet*. Fest. *voce conscripti et Senatori*s**, ibique Dacerius.

Frequens si aderat *senatus*, tum Consul, quem penes fasces eo mense erant, aut eo absente Praetor, aut Dictator, si quis erat aut Interrex, aut Praefectus urbi, ad *senatum* referbat. Gell. 14. 7. Si quando id recusaret consul, eas in se partes suscipiebat aliquis tribunus plebis, cui etiam ius erat, addere relationi consulis, quod e re videbatur, aut novam de integro ordiri. Relationibus plerumque praefari solebant solemnii illa formula: *Quod bonum, faustum, felix, fortunatum sit*. Deinde addeabant: *Referimus ad vos, patres conscripti*. Brisson. de Form. 2. pag. 165. Finita relatione, sententiam rogabantur senatori*s*, non verbis precativis, qualibus in comitiis utebantur rogatores, sed imperativis: *Dic, Sp. Postumi, quid censer? Quid fieri placet? quid vobis videtur?* Brisson. de Form. 2. pag. 165. Sententiam singuli dicebant stantes, formula usi: *Quod C. Pan-sa verba fecit de ea re ita censeo*. Brisson. de Form. 2. pag. 169. Qui plura capita una oratione complectebatur, is iubebatur dividere sententiam. Cic. ad Famil. 1. epist. 2. Qui alterius sententiam sequebantur, adsentiri se, unico verbo aiebant. Et hoc erat verbo *adsentiri*, quod opponitur alteri muto *adsensui*, quo quis pedibus ibat in alterius sententiam. Nonnumquam non omnino adsentiebatur quis sententiis antea dictis, sed aliquid praeterea addendum censebat, et tunc utebatur formula: *Servilio ad-sentior, et hoc amplius censeo*. Cic. Philip. 13. cap. 21.

Dictis denique sententiis, consulis erat, vel pronunciare aliquam, vel eas supprimere. Licebat ei in tanta varietate sententiarum, earum auctores et principes edere, simulque iubere, ut quisque ex pronunciatis sententiis unam amplectetur. Formula, qua tunc utebatur consul, haec erat: *qui haec sentitis, in hanc partem, qui alia omnia, in illam ite, qua sentitis*. His dictis senatori*s* mutabant locum, et singuli eo discedebant, ubi recitata fuerat, quam probarent, sententia. In quamcumque vero partem frequentior concesserat *Senatus*, de ea di- ce-

gia populi leges ferebat, ne regium imperium adfectare videretur. Sed primus Tiberius callide persuasit populo, molestum ei esse in unum convenire, §. 5. *Inst. hoc tit.*; *L. 2. §. 9. ff. de O. I.* et hinc quasi populum onere levaturus, comitia e campo transtulit in curiam. *Tac. lib. 1. cap. 15.* Id vero eo consilio fecit, ut omnia posset suo arbitrio mutare; senatores enim tunc erant serva pecora Tiberio ad omnia obnoxia, quae non auderent illi ulla in re refragari. Modus vero condendi haec SCta hic erat, ut (1) frequente senatu confluente imperator praemitteret orationem, qua novam legem suadebat; unde et ipsa SCta saepe vocantur *orationes principum*, vel iura orationibus principum constituta. Vid. *Ictus eruditiss. Scipio Gentilis de orationibus principum.* (2) Ea oratio legebatur \*\* a quaestore candidato, *L.*

cebat consul: *haec pars maior videtur*, et in eam sententiam deinde conficiebatur Senatusconsultum. Brisson. *de Form.* 2. pag. 184. Denique SC. solemniter scribebatur, ita ut primo dies, deinde locus, ubi Senatus habitus, tum porro, qui scribendo adfuerint, postea, quis ad senatum retulerit, et denique, quid placuerit senatui, referretur. Verum ne sic quidem ratum erat SC. nisi Tribunis etiam placuisse, qui, eo perfecto et probe expenso, literam T, si e republica videretur, addebant. Sin minus placeret, suo illo solemnii Veto intercedebatur, morisque faciebant SCto, et tunc *auctoritates* perscribi solebant. Cic. *ad Famil.* 1. epist. 2. et ibi Manut. Haec vero auctoritas non vim legis habebat, sed efficiebat, ut eadem de re iterum referri posset ad Senatum. Coel. *apud Cic. Epist. lib. 8. epist. 8.* Postremo scriptum SC. in aedem Cereris, vel in aerarium deferebatur, et tunc Senatus dimittebatur formula solemnii: *P. C. nemo vos tenet, vel nihil vos moramur.*

\*\* In marmoribus saepe legimus *quaestor kandidatus*. Ideo vero dicti videntur candidati, quia post quaesturam statim praetores fiebant, et inde regebant provincias. Lamprid. *Vit. Alex.* 43. Vnde haec dignitas ingressus erat et quasi primordium generorum honorum, et sententiae in senatu dicendae. Imo recentiore aevo saepe cum aliis dignitatibus coniungebatur haec quaestura.

*un. §. 2. et 4. ff. de offic. quaest.* (3) Hinc relatio fiebat a consule, et senatores rogabantur sententiam. (4) Diētis sententiis pronuntiabat Cons. qui haec sentitis, in hanc, qui alia omnia, in illam partem discedite, qua sentitis. Quo facto (5) senatores surgebant et singuli in eam partem ibant, quacum sentirent. (6) Si itaque pluribus sententiis esset probata principis oratio, tunc in eam sententiam scribebatur SCtum, idque deinde aeri incisum et publice propositum aerario Saturni inferebatur.

Obiter notandum, SC. nomina accepisse plerumque a consule, qui ad senatum retulerat, e. g. SCtum Trebellianum, Velleianum, Tertullianum, Orphitanum. Vnum est, quod ab improbo et scelesto homine, qui SCto occasionem dederat, cognominatum, puta Macedonianum a Macedone, improbo feneratore dictum *L. I. pr. ff. de SCto Macedon.*

Sed quaeritur, quamdiu SCta in usu fuerint? Tamdiu, quamdiu dissimulandum videbatur imperatoribus. Hinc sub Antonino Severo, Antonino Caracalla, Elagabalo et Alexandro adhuc SCta memorantur facta: post ea tempora vix eorum nomen auditur. Nam quia (1) iam populus Romanus imperio monarchico adsueverat, et (2) \*\* per legem regiam omne ius in imperatores con-

\*\* Ea de lege dici non potest, quantae enatae sint inter eruditos controversiae. Sed res ita se habet. Quum Augustus omnia intestinis fessa dissidiis nomine principis in potestatem suam recepisset: Senatus aequa ac populus ei sensim plures honores decrevit, et modo hanc, modo illam τὴν κυρίαν partem detulit. Sic anno V. C. 724. ei concessa tribunicia potestas per omnem vitam; cautumque, ut ad Augustum provocare ius esset, utque ipse in omnibus iudicis suffragium Minervae ferret. Dio Cass. *Hist. 51. cap. 19.* Mox anno V. C. 727. consulatu septimo, solitus est Augustus legibus, idque denuo repetitum anno V. C. 730. Dio 53. cap. 18. et 28. Quod tamen non de omnibus omnino legibus, sed de lege Cincia intelligendum esse, recte monet Ger. Noodt *de iure summi Imp.*

et

tulerat : rarius SCta fieri coeperunt , et pleraque nova iura introduci coepere per constitutiones principum. Tales iam Vespasiani temporibus prodire coeperunt , \*\* et docet exemplum *L. 4. §. 6. ff. de legation.*

*et leg. reg.* Porro anno V. C. 731. eidem , undecimum consuli , permisum est a senatu , ut proconsul semper esset , licetque ei , quotiescumque vellet , ad senatum referre , denique in provinciis maior esset eius , quam proconsulum , auctoritas. Dio 53. cap. 32. Quin anno 735. facultatem ei dederunt , emendandi omnia suo arbitrio , ac leges , quas vellet , ferendi. Dio 54. cap. 10. Ut alia praetermittam huius generis , quae ab aliis ac potissimum Io. Frid. Gronovio in *Orat. de lege regia* collecta sunt diligentius.

Haec itaque , aliaque SC. in gratiam Augusti subinde facta , postea repeti consueverunt quotiescumque novi Imperatores inchoabant imperium. Sic de Vespasiano Tacit. *Hist. 4. cap. 3.* Et tum *Senatus omnia , principibus solita , Vespasiano decrevit.* Quae de lege regia recte interpretatur Pichena. Vnde apparet , quae- cumque sensim Augusto detulerat senatus , ea postea Tiberio , aliisque principibus fuisse de cunctis. Omnia ergo illa SC. , non uno eodemque tempore facta , saepiusque deinde repetita , si- mul sumta , *lex imperii* vocari consueverunt a iureconsultis , ut et *lex regia* , exemplo , ut opinor , veterum Romanorum , qui , urbe vix nata , Romulo supremam potestatem concesserant *lege regia* , cuius meminit Liv. 34. 6. Conf. Io. Frid. Gronov. *Orat. de leg. regia.* Ian. Vinc. Gravina de *Orig. iur. civ. 114.* Cave vero existimes hac ipsa *lege regia* in servitutem se addixisse Romanos , seque omni omnino abdicasse imperio. Minime genitum. Quanvis enim id vulgo colligant ex Dione 53. cap. 18. *L. 1. ff. de const. princ. et L. 31. ff. de leg.* falsissimum tamen id esse , universa docet historia. Legibus soluti erant princi- pes , quibus eos nominatim solverat S. P. Q. R. ut ex frag- mentis tabulae Capitolineae apparer. Conf. Ger. Noodt *Dissert. 3. de iure summi Imp. et lege reg. et Obs. 1. 3.* Ian. Vinc. Gra- vina de *Orig. iur. civ. loc. cit.*

\*\* Ino iam ab Augusti temporibus : Martini *Histor. iur. cap. 5. §. 5.* At hic et successores rarius id ausi videntur : mul- to frequentius vero Hadrianus. Eius deinde exemplum sequuti sunt Antonini , ceterique Imperatores omnes , quorum rescri- pta quamplurima in Codice Iustinianeo , Theodosiano , ut et Gregoriani et Hermogeniani fragmentis extant.

## §. LI.

Quarta ergo species iuris scripti sunt *Constitutiones*, de quibus quaeritur, (1) quid sint? §. 51. (2) quotuplices? §. 52. ... 55. (3) an vim legis habeant? §. 56. ... 58. (4) quid sint privilegia, quotuplia, et quid circa ea iustum sit? §. 59. ... 63.

(I.) Quid sint, brevi hac definitione explicamus: *Sunt principum placita, quae, si principes volunt, legis habent vigorem.* Tota definitio habetur in L. I. pr. ff. de const. princ. praeter verba, *si principes volunt*; quae adiecimus ex §. 6. Inst. hoc tit. Scilicet non omnes epistolae vel constitutiones principum pro lege sunt, sed quas princeps pro lege vult a subditis observari. Hinc nec eius literae privatae, (quales Traiani, imperatoris, ad Plinium lib. 10. ep. Plin. exstant) pro legibus valent; nec rescripta ad preces privatorum emanata, quippe quae semper tamquam sub et obreptitia impugnari possunt, si veritate non nitantur preces, ut infra §. LXVI. ostendimus. Constitutiones itaque principis pro legibus sunt, *si principes velint*.

## §. LII.

(II.) Sed quaeritur porro, quotuplices sint? Aliæ sunt *generales*, aliae *speciales*. Generales sunt, quibus princeps omnes vult obstringere, e. g. si edictum publicet, ut, qui duellum inierint, capitibus damnentur. *Speciales* contra, quibus extra ordinem uni personæ aliquid vel indulgetur vel imponitur, ita ut ad exemplum non trahatur, e. g. si princeps Titio indulget privilegium monopolii, si unum ex civibus extra ordinem severius punit. Exemplum habemus in L. 2. fin. ff. de his, *qui sui vel alien*. Et hae speciales constitutiones etiam privilegia dicuntur, de quibus infr. §. LIX. seq. di-

dicemus. Generales porro dividuntur in *Rescripta*, *Decreta*, *Edicta*; de quibus in seqq. §§. separatim agendum.

### §. LIII.

(a) *Rescripta* sunt, quibus princeps ad libellos vel *ægiōres* partium, vel ad consultationes magistratum respondet. Saepe enim privati literas supplices (*represen-taciones*) offerebant principi, quibus hanc vel illam iniuriam sibi fieri conquerebantur: saepe etiam magistratus, saepe integrae universitates, municipia, coloniae, principes consulebant. Quidquid ergo tunc princeps respondebat, id dicebatur *Rescriptum*. Sed tamen rescripta, pro diverso statu consulentium, modo *Annotationes* vel *Subannotationes*, modo *Epistolae*, modo *Sanctiones pragmaticae* dicuntur. (1) *Annotationes* vel *Subannotationes* sunt, quibus princeps respondet ad libellos vel *ægiōres* partium seu privatorum. Elegans exemplum est in *L. 9. ff. ad L. Rhod. de iactu*. (2) *Epistolae*, quibus princeps ad consultationem magistratum respondet. Exempla plura Traiani sunt in *lib. 10. ep. Plin. et L. 6. §. 3. ff. de offic. Procons.* (3) *Pragmaticae sanctiones*, quibus princeps rescritbit ad consultationem integrae universitatis, e. g. provinciae, urbis, municipii, collegii. Exemplum est in *L. 3. §. 5. de offic. Procons.*

### §. LIV.

(b) Iam ad *Decreta*, quae erant constitutiones, quibus principes, causa inter partes cognita, vel sententiam ferebant, vel de plano interloquebantur; quae definitio ex *L. 1. §. 1. ff. de const. princ.* desumta est. Nimirum saepe causae graviores per appellationem deferebantur ad ipsos principes, sive civiles essent, sive criminales. Exemplo esse poterit causa apostoli, Pauli, qui accusatus seditionis, quum ad Caesarēm provocasset, Ro-

mam ad Caesarem mittebatur. *Aetor. XXV. 11. 12.*  
 Eum in finem Romae erat consilium ICtorum , in pa-  
 latio principis , qui causas audiebant et principem de fe-  
 renda sententia instruebant. Vid. Spartian. *Vita Hadriani cap. 18.* Quum iudicaret , in consilio habuit non  
 solos amicos , aut comites solum , sed ICtos , et prae-  
 cipue Iulum Celsum. Quidquid ergo auditis partibus  
 pronunciabat princeps , id decretum dicebatur. Aliquando tamen distinguuntur decreta et interloquitiones. *De-*  
*creta* sunt sententiae , quas princeps adhibito solemini or-  
 dine et strepitu iudicij ferebat ; exemplum est in §. ult.  
*Inst. de vulg. substitut.* : *Interloquitiones* , quas de pla-  
 no et sine strepitu iudicij proferebat. Exemplum habes  
 in L. 7. ff. ad L. Iul. de vi privat.

## §. LV.

(c) Reliqua sunt *Edita* , quae sunt constitutiones ,  
 quibus princeps aliquod ius novum motu proprio ad uni-  
 versorum civium utilitatem constituit. Vnde differunt  
 (1) a *rescriptis* , quia in edictis motu proprio , in re-  
 scriptis ad preces aliorum princeps aliquid constituit.  
 (2) A *decretis* , quia edictis ius novum constituit , per  
 decreta ius vetus tantum applicatur. (3) A *mandatis* ,  
 quia edicta ad universos cives , mandata tantum ad cer-  
 tas personas pertinent. Sic e. g. magistratibus , legatis ,  
 ducibus bellicis saepe dantur certae formulae , quid age-  
 re debeant , ( hodie vocantur *instrunctiones* ) eae non  
 sunt edicta , sed mandata , quia non omnes cives , sed  
 illum , cui datae sunt , obligant.

## §. LVI. LVII. LVIII.

(III.) Ex his ergo definitionibus facile explicatur  
 quaestio tertia : an hae constitutiones principum ius fa-  
 ciant ? Nimirum (a) quod ad *Rescripta* attinet , illa non  
 sem-

semper faciunt ius, sed aliquando plane nihil valent:  
 (1) si preces veritate non nitantur. Neque enim princeps mandare aliquid tenetur ad simplicem unius partis narrationem, nisi ea conditione, *si preces veritate nitantur*. Evolvenda hic et notanda *L. ult. C. de divers. princ. rescr.* (2) Si princeps non subscriperit, vel dies et Consul non sit additus, vel hodie sigillum, *L. 3. L. 4. C. eod.*; ubi notandum, principes olim subscrississe colore purpureo ex murice cocto, qui vocabatur *sacrum encaustum*, quo praeter principem nemini uti fas erat. Conf. Sam. Stryck. *Diss. de sacro encausto.* (3) Si rescriptum impetratum esset in detrimentum reip. aut in praeiudicium iuris tertio quaesiti. Pertinet huc *tutus titulus C. si contra ius vel util. publ.* maxime *L. 6.* Obiter observandum, rescriptis huiusmodi vitio quodam laborantibus in foro opponi solere *exceptionem*, quae *Sub. et Obreptionis* a practicis vocari solet.

(b) De *Decretis* notanda regula: Decreta vel Sententiae principum tantum ius faciunt inter partes, non inter alios. Sunt enim sententiae; sententiae autem non sunt leges, sed applicatio legum: *L. 2. C. de LL. et const.* ergo nec ius faciunt, nisi inter partes. Excipiuntur tamen duo casus: (1) quando princeps legem obscuram simul exponit, tunc simul ea expositio pro lege est. *L. 12. C. eod.* (2) Quando princeps diserte iubet, ut eodem modo et in similibus casibus pronuncietur. *L. 3. eod.* Ex quo simul patet, quanto minus curiarum et iudiciorum sententiae et decisiones pro lege valeant, quum ne decreta quidem principis semper ea auctoritate polleant. Sic e. g. Sandius scripsit *Decisiones curiae Supremae Frisiae*; similes passim B. Huberus dedit in *Praelect. ad ff.* et Vir Ampl. Zach. Huber. in *Observatt. rerum iudicatarum*: sed eae non faciunt legem, et hinc saepe hodiernae decisiones Frisiae ab antiquis illis discedunt, fatente laud. Hubero *Obs. rer. iud. obs. 93. pag. 418.* ubi cum Sandio: variant saepe

curiarum praeiudicia , sibique sunt contraria. Imo sub uno eiusdemque curiae tecto , modo hoc , modo illud, etiam in pari causa , iudicatur.

(c) De *Edictis* denique certa est regula , ea proprie esse leges , et hinc in iure nostro vocantur leges, diserte in locis allegatis. Quum enim constitutiones legis habeant vigorem , si princeps vult , §. LI. consequens est , ut edicta habeant legis vigorem , quia dum ea proponit , diserte iubet illa ubique et ab omnibus observari.

### §. LIX. LX.

Hactenus de constitutionibus generalibus : sequuntur speciales , quae et Privilegia , quasi privae leges dicuntur. Privus enim veteribus idem erat ac singularis. Ergo privilegium est lex singularis. Accuratio tamen definitio ex §. 6. Inst. hoc tit. dari potest , quod *privilegia* sint *constitutiones* , quibus imperans vel ob meritum aliquid indulget , vel poenam irrogat extra ordinem , ut tamen ad exemplum non trahatur. Ex qua definitione facile responderi potest ad quaestiones : (1) an privilegia recte leges dicantur ? Resp. Sunt omnino leges , quia sunt praescripta a summo imperante. Sed obiicitur , ea non obligare : privilegiatum enim iuri suo renunciare et ab usu privilegii abstinere posse. Sed resp. obligant omnino , sed non tamen privilegiatos , sed reliquos cives , ne scilicet hi privilegiatos in usu privilegii sui turbent ; et horum respectu recte dicuntur leges. (2) An differant privilegia et iura singulalia ? Resp. haec sunt beneficia certo personarum ordini sexuive a lege data ; sic e. g. minores gaudent eo legis beneficio , ut possint restituiri in integrum ; uxores , ut ratione dotti gaudeant tacita hypotheca in bonis mariti , et reliquis creditoribus in concursu preeferantur , cet. iam haec iura singulalia ibidem privilegia saepe vocantur : sed differunt tamen proprie privilegia et iura singulalia.

(a)

(a) Quia haec a lege dantur etiam non potentibus , illa a principe impetranda sunt. (b) Illa in singulas personas concipiuntur , ideoque dictae privae leges : haec in plures personas eiusdem ordinis , sexus , conditionis. Primus hoc discrimen observavit <sup>o</sup> *nāv* Cuiacius Obs. lib. 15. cap. 8.

### §. LXI. LXII.

Ex definitione iam sponte fluit *privilegiorum divisionis*. Quum enim privilegia sint constitutiones , quibus imperans vel ob meritum , cet. ( §. LX. ) consequens est , ut sint vel favorabilia , vel odiosa. *Favorabilia sunt* , quibus ob merita aliquid indulgetur , e. g. ius monopolium exercendi , immunitas a tributis , cet. Exemplum habemus apud Liv. lib. 39. cap. 19. ubi Hispalae Fecenniae , ob indicium bacchanaliorum factum , datur gentis emtio , tutoris optio. *Odiosa sunt* , quibus poena extraordinaria maior , quam lege definita est , infligitur , e. g. in L. 2. fin. ff. de his , qui sui vel alieni iur. Quæstio ergo est : an licita sint privilegia odiosa ? Resp. (1) Libera republica prohibita erant per XII. tabulas , quibus cautum : privilegia ne irroganto. (2) Iis non usos esse nisi tribunos plebis turbulentos , veluti P. Clodium , qui Ciceroni aqua et igni interdicens eiusque domum consecrans privilegium irrogavit ; de quo ipse queritur in orat. pro domo cap. 17. et seq. (3) Bonos principes posse huiusmodi maiorem poenam extra ordinem infligere , si vel exemplo opus sit ob sceleris frequentiam , ut in dict. L. 2. ff. de his , qui sui , cet. vel insignis dolus severiorem animadversionem mereatur , quale exemplum est in L. ult. ff. si a parente quis manum. cet. (4) Ea libertate non gaudere magistratus , quia privilegium est constitutio principis. Vide tamen exemplum apud Suet. Galb. cap. 9.

Porro privilegia sunt vel *personae* , vel *causae*. Illa

la sunt, quae personae dantur, et hinc etiam cum persona exspirant, e. g. privilegium fori: haec, quae ipsi causae, et hinc etiam heredibus prosunt, e. g. privilegium feudis datum, ut causae feudales non nisi coram paribus curiae tractentur.

### §. LXIII.

Inde ergo fluunt quaedam *axiomata de privilegiis observanda*, quorum primum est: privilegia solus imperans concedit; ergo non magistratus, quippe legibus ipse obstrictus. Ratio est in §. LX. quia privilegia ostendimus esse leges, legislatoria autem potestas penes solum summum imperantem est. Secundum: privilegia concedendi ius non est penes magistratum. Hoc ex priore fluit. Tertium: imperantis est, statuere, quem modum esse velit beneficii sui L. 191. ff. de R. I. Hoc axioma observandum contra eos, qui, abusi L. 3. ff. de const. Princ. putant, interpretationem extensivam locum habere in privilegiis, quum tamen illa L. 3. proprie de iuribus singularibus loquatur, de quibus §. LX. diximus.

### §. LXIV. LXV. LXVI.

Quinta iuris scripti species sunt *Magistratum edita*. Nimirum observandum, (1) magistratus Romae non fuisse meros iudices, sed et ius illis fuisse edicta propnendi, quibus indicabant, quo ordine quoque modo ve- lint ius in magistratu suo dicere. Talia edicta sub anni sui auspiciu proponebant \*\* *in urbe praetores de iu-*

\*\* Totum praetoris munus tribus hisce verbis continebatur, do, dico, addico, Ovid. Fast. 1. vers. 47. seq. Varro de Ling. Lat. 5. 4. Dabat enim Praetor actionem et exceptionem, dabat bonorum possessionem: dabat iudices, arbitros, recuperatores, dabat tutores ex lege Atilia. Dicebat viam in vindiciss

re dicendo, *aediles* de rebus ad iurisdictionem suam pertinentibus, e. g. de rebus promeritalibus et venalibus, de viis publicis, cet. \*\* in *provinciis* autem *proconsules* et *propraetores*, quibus eadem erat in provincia sua potestas, quae omnium magistratum in urbe. *L. 7. §. 2. ff. de offic. procons.* (2) Magistratus quamvis non fuerint legislatores, tamen sensim ius vetus mutasse adiuvando, supplendo, corrigendo, *L. 7. §. 1. de Iust. et iur.* Id vero fiebat (a) nova vocabula inveniendo, e. g. bonorum possessionem, pro hereditate; (b) novas actiones introducendo, e. g. constitutae pecuniae; (c) exceptiones dando, ubi lex dabat actionem, e. g. exceptionem pauci; (d) restituendo in integrum minores, absentes, deceptos: (e) fictiones introducendo. (3) Haec edicta paulatim usu fori obtinuisse auctoritatem; quam in rem elegans Cic. locus *ex lib. 2. de Invent. cap. 22.* evolvendus. (4) Initio singulis annis nova proposita edicta, quin uno anno saepe edicta mutata fuisse; postea lege Cornelia A. V. C. 586. cautum esse, ut praetores ex suis perpetuis edictis ius dicerent. Dio *L. 36. cap. 23.*; Dodwell *Praelegt. Camd. in ap-*

*ciis*; *dicebat* interdicendo, quoties de possessione agebatur; *indicebat*, advocata concione, ferias, si quando terra in urbe tremuisset. Gell. *Noft. Attic. 10. 24.* Sueton. *Claud. 22. Addicebat* denique, veluti facta in iure cessione, mancipazione, ceteris.

\*\* Ceterum, de quibus edicebant aediles, de iisdem plerumque et praetores cognoscere consueverant, et illis deficienibus, causae ad hos transferebantur. De qua concurrente praetorum aediliumque iurisdictione, disserit Iac. Cuiac. *Observ. 8. 38.* Ob hanc concurrentem iurisdictionem factum videtur, ut et AEdules haud raro *praetores* dicantur. Sic Paulus *Recept. Sent. 1. tit. 15. §. 2.* aedilitum edictum diserte tribuit praetori. Quin et generale fuit hoc magistratum nomen. Nam et consules, procos. praesides, legati Caesaris, dicti nonnumquam a praeceundo *praetores*. De magistratum edictis, plura docet Martini *in Historia iuris cap. 4. §. 13.* usque ad 20.

*pend.* Demum sub Hadriano condita sunt edicta perpetua, Praetorium a Salvio Iuliano ICto. Quis provinciale et aedilitium compilavit, incertum. Ceterum haec sunt illa edicta, quae tam saepe citantur in Pandectis.

### §. LXVII. LXVIII.

Sexta et ultima species iuris scripti sunt *Responsa Prudentum*, quae definiuntur, quod sint sententiae eorum, quibus permisum erat de iure respondere, §. 8. *Inst. hoc tit.* Nimirum ICti \*\* olim promiscue poterant

\*\* Iureconsultis Romae originem dedit institutum a Romulo *ius patronatus*. Patriciorum enim erat, parentum munere fungi erga plebeios, unde et *patroni* dicebantur, quasi patres, quemadmodum matronae quasi matres sunt. Optio ergo cuivis erat e plebe, quem vellet, sibi patronum legendi e patriciis. Hunc vero oportebat clientibus respondere de iure, cuius illi rudes erant, absentium aequae ac praesentium negotia curare, lites pro iis suscipere, in ius vocatos defendere, et quietem eis pro virili parare a publicis privatisque negotiis. Vicissim *plebeiorum* erat, patronos in elocandis filiis iuvare, captivos vel ipsos, vel eorum filios, redimire, litium aestimationes et mulctas pro iis solvere, in magistratibus muneribusque eos argento sublevare, et quae sunt alia huius generis officia. Unde et *clientes* dicti, quasi *coientes*, vel ~~coentes~~ Dionys. Halic. Ant. Rom. 2. pag. 84. Nec privati tantum, sed et coloniae, urbes sociæ, gentes amicae et devictæ, suos Romae patronos eligebant ex patriciis, et postea senatoriis familiis, quibus saepenumero senatus controversias illarum decidendas commisit. Dionys. Halic. 2. pag. 85. Cicer. de Offic. 1. 11. Imo nullum temere erat negotiatorum corpus, nullum artificum collegium, quod non patronum sibi Romanam quamdam familiam adoptasset.

Horum patronorum in eo consistebat officium, ut coloniarum, urbium, collegiorum, pagorum, negotia in senatu et urbe sese curaturos reciperen. Quo officiorum genere ita plerumque aere emungebant clientes, ut legibus novis opus esset ad hanc patronorum rapacitatem coercendam. Tit. C. Theod. de patrocin. vicor. lib. 11. tit. 24. et Cod. Iust. lib. 11. tit. 53. Alias

ve-

de iure respondere , postea imperatores non nisi certis personis per modum privilegii dabant , et ita quidem , ut ab eorum responsis iudices discedere non possent. *Dit. §. 8. et L. 2. §. 47. de O. I.* Hi ergo ICti (1) interpretabantur ius , et per ratiocinationem multas conclusiones ex legibus eruebant , quae in legum verbis non erant expressae. Exemplum habemus in §. unic. *Inst. de legit. patr. tut.* (2) Idem in casibus controversis saepe inter se disputabant , tum in foro , tum , ut Scholiastes Iuvenal. *ad sat. I. vers. 128.* refert , in templo Apollinis. Exemplum est in L. 19. ff. *de lib. et post.* (3) Idem saepe consulti iudicibus sententiam aperiebant , ut paulo ante §. 8. *Inst. hoc tit.* monuimus. (4) Idem et formulas actionum praescribebant litigantibus. Cic. *pro Muraen. cap. II. 12.* unde natae actiones legis et actus legitimi , de quibus §. LXIX. LXX. Omnia ergo haec interpretamenta ICtorum sensim usu fori recepta et vim iuris consequuta sunt , imo et iuri scripto accenseri coeperunt , postquam Iustinianus ea Pandectis inserta publicavit. Vid. supra §. XLV.\*

## §. LXIX.

Diximus , multa invecta esse a ICtis \*\* eaque vocari

veteri iure gratuita erant inter patronos et clientes officia , et ut illi gratis plebeiorum curabant negotia , ita et hi pecunias sine fenore credebant. Dionys. Halic. 2. pag. 84. Quum ergo initio e patriciis suis quisque clientibus de iure responderet: postea omnibus consulentibus promiscue se dare coeperunt , et quidem mercede conducti : et inde obsolevit antiquum illud ius patronatus , natique sunt Iureconsulti , qui iam respondebant de iure , causasque egerunt , atque adeo omnia , quae olim patronorum fuerant , in se transferebant officia. Vid. praeter Fr. Brummerum V. C. *ad Legem Cinciam* , Ge. Schubart. *de Fatis Iurisp. Rom. I. 15.*

\*\* De hoc argumento consulendus Martini in *Histor. iur. praecipue cap. 4. §. 24. usque ad §. 32. et cap. 5. §. 8. et 9.*  
Tom. I. M. ius

*ius civile*, L. 2. §. 6. ff. de O. I. In his etiam sunt *Actiones legis* et *Actus legitimi*; quorum cum saepe mentio fiat in iure nostro, de iis dicemus paulo accusati.

*Legis actiones* bifariam accipiuntur, vel (1) pro actionibus earumque formulisi, e. g. actione rei vindictoria, hereditatis petitione, cet. vel (2) pro actibus voluntariae iurisdictionis coram magistratu solemniter expediendis. Nimis iurisdictione est vel voluntaria vel contentiosa. Voluntaria, quae explicatur sine contradictione adversarii, e. g. manumissio, adoptio, ubi nullus est actor vel reus: contentiosa, quae exigit causae cognitio- nem, actorem et reum; ut, si quis agit ex contractu, vel delicto. Illi actus voluntariae iurisdictionis expediri poterant coram quocumque indice, modo apud eum es- set legis actio; hi nonnisi coram iudice competente: quia utique iurisdictionis voluntariae actus solemniter erant explicandi, hinc vocabantur *actiones legis*.

### §. LXX.

*Actus legitimi* sunt negotia solemniter, sed non coram magistratu, explicanda, e. g. hereditatis aditio, mancipatio, cet. Horum sequentia sunt requisita. (1) Ut fiant solemniter, (2) ut non admittant procuratorem, (3) ut pure, non in diem, vel sub conditione fieri pos- sent, L. 77. ff. de reg. iur. e. g. (1) hereditas solemniter adibatur recitatis verbis cretionis; (2) adibatur ab ipso herede, non per procuratorem; adibatur (3) pure, non sub conditione, si solvendo sit, cet.

### §. LXXI.

Sequitur ius non scriptum, vel *Consuetudo*. Defini- tio eius habetur in ipso §. Ad quam intelligendam ob- servandum, iuris unicam in rep. causam esse, nempe

voluntatem summi imperantis , sive is princeps sit , sive optimatum consilium , sive populus . Si itaque hic imperans expresse aliquid pro lege statuit , id vocatur ius scriptum : sin tacite concedit , ut aliquid in republica pro consuetudine observetur , id vocatur *ius non scriptum* . Ex quo sequitur , definitionem in L. 32. ff. de legib. veram quidem esse in statu *democratico* vel *populari* , non in *monarchico* , ubi consuetudo auctoritatem a sola tacita legislatoris voluntate sortitur .

### §. LXXII.

Hinc facile iam intelligimus quatuor doctrinas , de consuetudine , quae hoc §. occurrunt . Nam (1) consuetudo est probanda : lex non est probanda . Haec enim iam omnibus per promulgationem innotuit : illa tacite inolevit ; quod , cum facti sit , probandum est (a) ex diuturnitate temporis , (b) ex actuum uniformium frequentia . (2) Consuetudinis eadem vis est ac legis , est enim ab eodem legislatore , et perinde est , sive tacite quid velit , sive expresse . (3) Consuetudo legem anteriorem abrogat : quia enim est instar legis , et lex posterior antiquat priorem , hinc et consuetudo legem priorem abrogat vel eidem derogat . L. ult. ff. de const. princ. (4) Consuetudo rectae rationi repugnans nullius momenti est : quia princeps hoc nec tacite vult nec expresse . E. g. inter opifices in Germania huiusmodi consuetudines inoleverunt , ut tirones , exactis tirocinii annis , baptizentur . Principes id ferre nolunt . Quaeritur an consuetudinis huius aliqua sit auctoritas ? Resp. Nulla , (a) quia rectae rationi et bonis moribus adversatur , (b) quia princeps legem abrogare potest , multo magis abrogare poterit consuetudinem absurdam , impiam et rationi adversam .

## §. LXXIII.

Quaeritur adhuc , quum apud Romanos tot fuerint iuris scripti species , veluti leges , SCta , Plebiscita , Constitutiones principum , an et hodie tot species obtineant? Negamus. Nam (1) iuris scripti species natae sunt ex frequenti reipublicae mutatione. (2) Apud nos nec plebs fert leges , nec Senatus per modum SCti aliquid statuit , nec ICtorum interpretationes auctoritatem legalem habent. Quid ergo apud nos lex? Est praeceptum commune , cet. Dicitur (1) *praeceptum* , quia lex obligat. Ergo lex permissiva proprie non est lex , quia non obligat. (2) *Commune* , ut distinguatur a *privilegio* , quod non ad omnes spectat , sed ad solos privilegiatos ; nec non a *iussu* vel *mandato* summi imperantis , quod solum mandatarium stringit. (3) *Summi imperantis* ; cuius solius est , leges ferre , sive is sit imperans monarcha , sive optimates , sive populus. (4) *Obligans omnes subditos* , L. 8. ff. de LL. (5) *Vt ad eius normam actiones suas componant* ; quod intelligendum de actionibus humanis , quae ex intellectu et voluntate proficiuntur , non de naturalibus , quibus nullae feruntur leges.

## §. LXXIV.

Reliqua est quaestio : quot sint *iuris obiecta*? Resp. Tria , *persona* , *res* et *actiones*. Primo enim sciendum; quomodo personae ratione iurium differant , veluti domini , servi , patres , liberi , tutores , pupilli. Deinde , qualia sint iura rerum , ac postremo , quibus actionibus quisque ius suum persequi possit.

## TITVLVS III.

## DE IURE PERSONARVM.

DIG. LIB. I. TIT. V.

*Prima divisio personarum.*

<sup>2</sup> **S**Vmma itaque divisio de iure personarum haec est : quod omnes homines aut <sup>3</sup> liberi sunt, aut servi.

<sup>1</sup> *De iure personarum*) *In π. de statu hominum.* Status rationem causae , ius effecti habet : status est ipsa personae conditio ; ius , quod hanc conditionem sequitur.

<sup>2</sup> *Summa divisio*) Id est , prima et principalis , vel generalissima , *περὶ τῆς ἀρχαίτης 46. Basil. tit. I.*

<sup>3</sup> *Liberi aut servi*) *Ex L. 3. ff. eod. Adscriptio-* tios , de quibus *lib. II. Cod. tit. 47.* alii in liberorum , alii in servorum numero ponunt.

*Definitio libertatis.*

## §. I.

Et libertas quidem (<sup>1</sup> ex qua etiam liberi vo- cantur) est naturalis facultas eius , quod cuique <sup>2</sup> facere libet , nisi <sup>3</sup> si quid vi aut <sup>4</sup> iure prohi- betur.

<sup>1</sup> *Ex qua liberi*) Non ex vocabulo , sed ex re ipsa , quae vocabulo subest. *Definitio* haec Florentini est *L. 4. ff. eod.*

**2** *Facere libertet*) Effectus libertatis est , facere quod libertet , est enim potestas vivendi , ut velis. Cicer. *in Paradox.* 5. cap. 1. Aristot. 5. *Pol.* 9. Zeno *apud Laërt. segm.* 121. breviter , εξυσία αὐτοκρατηρίας , potestas pro iure suo agendi.

**3** *Si quid vi*) Finge nos vinciri , usu rerum nostrarum vi prohiberi , cet. haec facultatem quidem faciendi impediunt , libertatem autem non minuant.

**4** *Iure*) Οἱ γὰς ἴτι δύλεια τὸ ξῆν τέρπειας Aristot. 5. *Pol.* 9. Legum idcirco omnes servi sumus , ut liberi esse possimus. Cicer. *pro Cluent.* cap. 53. Indicat hanc exceptionem illud Persianum : Sat. 5. v. 90. Excepto si quid Masuri rubrica vetavit.

### Definitio servitutis.

#### §. II.

Servitus autem est **1** constitutio iuris gentium , qua quis **2** dominio alieno **3** contra naturam subiicitur.

**1** *Constitutio*) Id est , res iure gentium constituta , causa pro effectu : sic thesaurus dicitur depositio pecuniae , L. 31. §. 1. ff. *de acq. rer. dom.* pro *pecunia deposita*.

**2** *Dominio alieno*) Vnde Zenoni *apud Laërt. segm.* 121. servitus definitur σέρπειας αὐτοκρατηρίας .

**3** *Contra naturam*) Contra communem illam omnium hominum conditionem , quam ab initio habuerunt a natura : L. 4. ff. *de Iust. et iur.* L. 32. *de reg. iur.* φύεται γὰς ἐδεις δύλος ἵππης μόλις Philost. Liberos et servos a natura procreari disputat Aristot. 1. *Pol.* 5. et 6. sed alio sensu : nempe , ingenio stupidos et corpore robustos a natura productos videri ad serviendum iis , qui ingenio valent , ministerio scil. oeconomico. D. Heins. *in Epist. ad Georg. Richt.*

Ser-

*Servi et mancipii etymologia.*

## §. III.

Servi autem ex eo appellati sunt, quod <sup>1</sup> imperatores captivos vendere, ac per hoc <sup>2</sup> servare, nec occidere solent: qui etiam mancipia dicti sunt, eo quod ab hostibus <sup>3</sup> manu capiuntur.

<sup>1</sup> *Imperatores*) Non intelligit Principes Romanos, sed, τεγαληνες, belli duces, των πολέμων ἵπατοι, ut rete vertit Theoph.

<sup>2</sup> *Servare*) Eadem ratio nominis redditur in L. 4. §. 2. ff. hoc tit. L. 239. §. 1. ff. de verb. sign. ab Augustin. 19. de Civ. Dei 15. Servabantur διὰ τὴν εἰπίσθια τῆς πράξεως, ut est in Basilic.

<sup>3</sup> *Manu capiuntur*) Haec notatio si vera est, dicendum erit hoc nomen ad res ceteras translatum esse.

*Quibus modis servi constituuntur.*

## §. IV.

Servi autem aut nascuntur, aut fiunt: <sup>1</sup> nascuntur ex ancillis nostris: fiunt aut iure gentium, id est, ex captivitate; aut <sup>2</sup> iure civili, cum <sup>3</sup> liber homo maior viginti annis <sup>4</sup> ad pretium participandum sese venundari passus est.

<sup>1</sup> *Nascuntur ex ancillis*) Ex Marcian. L. 5. §. 1. eod. Hi vernaे prudentibus dicuntur, de quo nomine vid. Fest. et Nonium. Eodem autem iure ex ancillis nati servi sunt, quo sata cedunt solo; mater enim solo comparatur, vis patris sato. I. Cuiac.

2 *Iure civili*) Etsi servitus ex iure gentium originem habet, sunt tamen modi quidam constituendae servitutis etiam iure civili inventi; unus hic exprimitur, alios reperies apud Accurs. et Hotom.

3 *Liber homo*) Ingenuus scilicet et sui iuris: neque enim patroni aut patris ius hoc pacto libertus aut filius intervertere possunt. Cuiac.

4 *Ad pretium participandum*) Modo et partem pretii vere acceperit, L. 1. quib. ad lib. procl. non licet et gnarus conditionis suae, L. 2. si ing. esse dic, venditus sit ignorantis conditionem venditi, L. 7. §. 2. ff. de lib. caus. Accurs.

### *De liberorum et servorum divisione.*

#### §. V.

In servorum conditione <sup>1</sup> nulla est differentia: in liberis autem <sup>2</sup> multae: aut enim sunt ingenui, aut libertini.

1 *Nulla differentia*) Servorum varia quidem ministeria, una tamen conditio est, L. 5. ff. eod. id est, omnes aequi servi sunt, πάλις τὰς ἀντὶς δυλεῖας δύλεύσαι, nihilque interest, natus quis, an factus servus sit, et si aliis alii praestat, iuxta vetus proverbium, δέλος τρόπος, δέλος τρόπος δέλος. I. Polit. 7.

2 *Multae*) Nam interest, utrum quis natus, an factus sit liber; civis Romanus sit, an Latinus Iunianus; paterfamilias, an filiusfamilias,

## TITVLVS III.

## DE IVRE PERSONARVM.

## §. LXXV.

**H**omo et persona grammaticae sunt synonyma, at iuridice differunt. Omnis quidem persona homo est, sed non omnis homo est persona. Homo est, qui cumque habet mentem ratione praeditam in corpore humano: ast persona est homo cum statu suo consideratus. Qui itaque statum non habet, is nec est persona. Sequuntur ea in re ICti comicos. Quemadmodum enim his non omnis homo, in comoedia qui operam praestat, dicitur persona, sed is, qui reprezentat alium hominem, e. g. regem, servum, senem, cet. ita et ICtis is demum est persona, qui reprezentat vel patremfamilias, vel civem, vel liberum hominem, id est ut paucis dicamus, is, qui habet statum.

## §. LXXVI.

Quaeritur itaque: quid sit Status? Resp. Esse qualitatem, cuius ratione homines diverso iure utuntur: e. g. quia alio iure utitur liber homo, alio servus, alio civis, alio peregrinus, hinc libertas et civitas dicuntur status. Vocatur alias status in iure nostro etiam caput, et hinc dicitur servus nullum caput habere, §. 4. Inst. de cap. demin. et qui statum civitatis vel libertatis vel familiae amittit, is dicitur capite minui. pr. Inst. de cap. demin.

Status ICtis duplex est, *naturalis et civilis*. *Naturalis* est, qui ab ipsa natura proficiscitur, e. g. quod alii sint masculi, alii feminae, alii nati, alii nascituri vel ventres. *Civilis* est, qui ex iure civili descendit,

uti differentia inter liberos et servos, cives et peregrinos, patres et filiosfamilias. Hinc *status civilis* triplex est: *libertatis*, secundum quam alii sunt liberi, alii sunt servi; *civitatis*, secundum quam alii cives, alii peregrini; et denique *familiae*, secundum quam alii patresfamilias, alii filiifamilias. Iam ergo facile intelligitur axioma: quicumque nullo horum trium statuum gaudet, is non est persona secundum ius Romanum, sed res, quamvis homo sit.

### §. LXXVII.

Exemplum habemus in servo. Is homo est, sed non persona. Homo est, quia habet animam rationalem in corpore humano. Est persona, quoad statum naturale, quia et ipse vel masculus vel femina est, sed non est persona, quoad statum civilem, nam nec liber est, nec civis, nec pater filiusve familias. Hinc in iure nostro dicitur *caput nullum habere*, §. 4. *Inst. de cap. dem.* dicitur, *pro nullo et mortuo habendus*, L. 32. et 209. ff. *de reg. iur.* quia non est persona. Et hinc servus poterat a domino occidi; in servum non cadebat iniuria; servus poterat vendi, donari, legari; servus nec uxorem ducebat, nec contrahebat, nec testamentum condebat, nec quidquam proprii habebat: quia non erat persona.

### §. LXXVIII.

Iam itaque ad primam personarum divisionem progredimur. Personae (non civiliter, sed naturaliter acceptae) vel sunt homines liberi vel servi. *Liberi* sunt, qui non sunt in iusta servitute. Nam si quis iniuste servit, e. g. a praedone captus, is quidem in servitute est, sed non est servus, verum liber homo. *Servi* sunt, qui alteri ex iusta causa serviunt. Dico, ex iusta causa, quas causas recensebimus §. LXXXI. Liberi homines

nes denuo sunt vel *ingenui* vel *libertini*. *Ingenui* sunt, qui numquam in iusta servitute, sed statim a nativitate liberi fuerunt, *pr. Inst. de ingen.* : *libertini*, qui ex iusta servitute manumissi, *pr. Inst. de libertin.* Vtrique sunt liberi homines, sed nobilior et praestantior est nobilitas ingenuorum quam libertinorum.

### §. LXXIX.

Quum itaque liberi a libertate, servi a servitute dicantur, hinc porro sciendum, quid libertas et servitus? *Libertas* dicitur naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi quid vi aut iure prohibeatur. §. 1. *Inst. hoc tit.* Hanc definitionem explicabimus. Dicitur (1) libertas *facultas naturalis*, quia natura omnes homines sunt liberi, *L. 4. ff. de I. et I.*; *L. 32. ff. de reg. iur.* Differentiam ergo inter liberos et servos non natura, sed LL. civiles introduxere. (2) *Quod cuique facere libet.* In eo enim consistit libertas, quod actiones nostras nullius arbitrio vel suspicere vel omittere tene-  
mur, sed pro lubitu nostro agere et non agere, hoc vel alio modo agere possimus. (3) *Nisi quid vi aut iure prohibeatur.* Obiūcere enim quis posset, nec hominem liberum ea gaudere facultate faciendi, quod libeat. Sed respondetur: tunc eum non statu servitutis prohiberi, sed aut vi, veluti, si quis a latronibus vincitus; aut iure, veluti, si leges aliquid fieri non patiuntur. *Servitus* contra est constitutio iuris gentium, quo homo dominio alieno contra naturam subiicitur. §. 2. *Inst. hoc tit.* Haec etiam definitio ut explicetur, dicitur servitus (1) *constitutio iuris gentium*, quia natura, ut diximus, omnes liberi, et gentes demum servitutem introduxerunt. *L. 4. ff. de I. et I.* (2) *Qua homo dominio alieno subiicitur.* In eo enim consistit servitus, ut homo sit in dominio tamquam res, et hinc vendi, legari, donari, occidi possit. (3) *Contra naturam.* Nam uti

uti diximus, natura omnes homines liberos procreavit; quod observandum contra Aristotelem, qui aliquos homines natura servos esse statuit, nempe stupidos, inertes, et alios, qui se gubernare nequeant. Sed id falsum, quia natura omnes homines sunt liberi. Nec sequitur, eum, qui stupidior me est, mihi servire teneri.

### §. LXXX.

Hactenus servitutem libertatemque definivimus. Iam quaeritur, cur servitus dicatur contra naturam esse? Resp. Non id intelligendum esse de iure naturae, quasi servitus iuri naturae rectaeque rationi repugnet. Id enim falsum esse (1) inde patet, quod non repugnat societati humanae, eaque et cum servitute certarum personarum potest consistere; (2) quod si rationi et iuri naturae repugnaret, eam probare non posset Scriptura Sacra, quippe quae rationi non repugnat. Ast S. S. approbat servitutem, *I. Corinth. VII. 20. seqq.* Sed ideo servitus dicitur contra naturam esse, quia ex personis fiunt res. Servus enim, ut diximus, e classe personarum redigitur in classem rerum, et non multo melioris fit conditionis, quam bos aut aliud iumentum, *L. 2. L. 27. §. 3. ff. ad L. Aquil. et L. 38. §. 1. 2. ff. de aedil. edit. Conf. Em. Merill. lib. II. Obs. cap. 35.*

### §. LXXXI.

Hactenus vidimus, quid sit libertas et servitus, iam porro quaeritur: quomodo quis servus fiat? Resp. Servi aut nascuntur aut fiunt. *Nascuntur* ex ancillis nostris. Si itaque serva vel ancilla ex quocumque pariat filium filiamve, et hi sunt servilis conditionis. Quia enim servi sunt res, uti diximus §. LXXVII. sequitur, ut et partus serviles eiusdem sint conditionis. Nam quemadmodum foetus vaccae, quae est in dominio, et ipse in

in dominio est , ita et foetus ancillae , quae servit , et ipse servire dicitur. Huiusmodi servus natus nobis dicitur *Verna*. Et eo iure iam usi sunt veteres temporis Abrahami , uti patet *ex Genes. XIV. 14.* ubi Abrahamus armavit vernas suos. Quum autem saepe contingere possit , ut verna nascatur ex Titii servo et Maevii ancilla , quaeritur , Titii ne an Maevii sit verna? et Resp. Maevii. Regula enim haec generalis est in iure nostro : *partus sequitur ventrem* , §. 19. *Inst. de rer. divis.* Quemadmodum ergo vitulus ex Titii bove et Maevii vacca procreatus , est Maevii : ita et verna ex Titii servo et Maevii ancilla natus. Aliud dicendum , si quaestio est de conditione filii. Nam tunc in matrimonio iusto filius sequitur conditionem patris , extra matrimonium conditionem matris. E. g. si pater est nobilis , mater plebeia , et iustum inter eas personas est matrimonium , liberi sunt nobiles. Sin nobilis rem habuit cum plebeia extra matrimonium , liberi spurii sunt plebei. Inter principes id singulare est , quod ex principe marito et uxore plebeia vel nobili non nascatur princeps , nisi mater ad dignitatem principalem evecta sit ab imperatore. Cuius rei nuper exemplum vidimus in duce Wurtembergico-Mompelgardensi , qui ex nobili iusta uxore sustulerat filium , quem vocabat non ducem Wurtembergicum , sed comitem de Sponeck. Mortuo patre hic non succedere poterat in principatu , sed tota provincia devolvebatur ad agnatum proximum , ducem Wurtemberg. regentem.

### §. LXXXII.

Ita servi nascuntur. *Iidem fiunt* aliquando , quamvis liberi sint nati ; id quod fit vel iure gentium vel iure civili. *Iure gentium* per captivitatem ; \*\* omnes enim

\*\* Observandum ergo initio , Romanos captos bellos hostes

ab hoste capti servi fiebant , cuiuscumque essent conditionis. Exemplum habemus Attilii Reguli , Cons. Romani , qui bello Punico I. captus a Carthaginensibus in tristissimam redigebatur servitutem , et demum misere cruciatus peribat. Flor. *Hist. Rom. lib. 2. cap. 2. §. 23.* Nimirum ita ratiocinabantur veteres : hostes possumus occidere , possumus ergo redigere in servitutem , imo id pro beneficio erit , quum eo ipso servemus , quos potuissemus interficere ; unde et *servos* vocabant quasi *servatos* , *mancipia* quasi *manucapta* , §. 3. *Inst. hoc tit.* Hodie bello capti non fiunt servi , sed tantum custodiuntur , donec redimantur vel permittentur. Soli Russi ex populis Christianis captivos etiamnum in servitutem redigebant , quo tamen iure non amplius indistincte utuntur. Romani autem neminem captivum redimebant , quamvis tristissimae servituti mancipatum , ut esset insitum militibus Romanis , aut vincere aut mori , Cicer. *de Offic. lib. 3. cap. 32.*

## §. LXXXIII.

Fiunt etiam servi *iure civili* , in poenam , et quidem duobus potissimum casibus. (1) Si maior 20. an-

stes redigisse in servitutem. Quemadmodum enim , qui , positis armis , ultro sese dedebant , sub iugum mittebantur , salvaque retinebant ingenuitatis iura ( quem ritum accuratissime , ut solet , describit Dionys. *Halic. Antiq. Rom. 3. pag. 159.* ) ; ita capti in acie , urbium expugnatione , sub corona venibant. Gell. *Noz. Attic. 7. 4.* Illi *dedititii* , hi *servi* vocabantur , quod essent in bello servati , itemque *mancipia* , quasi manu capti. §. 3. *Inst. hoc sit.* Ita agebatur cum hostibus. Excipiebantur ergo bella civilia , in quibus capti non in servitutem redigebantur , L. 21. §. 1. ff. *de capt. et post. sed proscribentur a victoribus.* Quam proscriptionem , ita dictam a tabula , qua nomina proscriptorum proponebantur , primus invenit L. Sulla. Vellei. *Paterc. Hist. 2. 28.*

nis

nis pretii participandi causa se venum dari passus fuerat. Nimirum iure Romano liber homo vendi non poterat. Si venditus esset , statim proclamabat ad libertatem. Quum vero aliquando adolescentes pecuniae cupidi se venum dari paterentur , tantum ut pecunia emungerent emtores , et participes fierent pretii pro se soluti : SCto cautum est , ut hi adolescentes , si 20. annis maiores es- sent , servi manerent. Exemplum huiusmodi fraudis est apud Plaut. in *Pers. att. 1. scen. 3. vers. 55. att. 3. scen. 1. et att. 4. scen. 3. vers. 9.* (2) Si libertus ingra- tus revocaretur in servitutem. Ast ingratitudo duplex est, alia *simplex* , alia *praegnans*. *Simplex* dicitur , si quis ei , qui sibi beneficia praestitit , beneficia non praestat: *praegnans* , si quis bene factori praeterea aegre facit, et quovis modo eum vexat. Liberti itaque revocabantur in servitutem , non ob quamcumque ingratitudinem sim- plicem , sed ob *praegnantem*. *L. un. C. de ingratis lib.*

### §. LXXXIV. LXXXV.

Haec de modis , quibus servi fiebant. Iam quaeritur, an inter servos quaedam fuerit differentia ? Resp. Di- stinguendum esse inter statum et officia. *Ratione status* nullum erat inter servos discrimen : omnes enim erant res , non personae ; omnes destituebantur iuribus com- munibus libertatis , civitatis , testamenti factionis ; omnes vendi , alienari , imo et occidi poterant , iure antiquo. Ast *ratione officii* omnino magna erat inter servos dif- ferentia. Alii erant scribae , anagnostae , procuratores , in- stitores : alii mediastini , qui in mediis aedibus stabant, ad cuiusvis nutum parati : alii vinciti catenis serviebant. Deinde paulo melior erat conditio *statu liberorum* ; ita enim dicebantur , qui vel sub conditione vel in certum diem libertatem erant consequuti. Quamdiu itaque con- ditio vel dies non exstitissent , manebant quidem in sta- tu

tu servili , sed tamen paulo benignius habebantur , quia sperabant libertatem. \*\*

\*\* Ratione dominorum *privati* alii erant , alii *publici*. Illi *privatis* serviebant , hi ad publica adhibebantur ministeria , et potissimum magistratibus apparebant. Publici vel in poenam serviebant , vel tamquam captivi redigebantur in servitutem. Prior mos non caret exemplis , quamvis minus probaretur a recti exempli viris. Vid. Plin. *Epist.* 10. 32. 35. Postiore consuetudine nihil est frequentius. Et hi captivi , redacti in servitutem , nomina plerumque accipiebant vel a provinciis , *Brutiani* , *Cyprii* , vel a victoribus , a quibus in acie capti , veluti *Gelliani* , *Clodiani*. Lips. *Elec̄t.* 1. 22. et *Adnot. ad Tacit. Annal.* 2. *cap. 30*. Eorum alii erant tabelliones , alii actores , alii notarii populi Romani. Et longe tolerabilius erat eorum , quam privatorum servorum , conditio , siquidem et ante manumissionem iure gaudebant pro parte dimidia testamentum faciendi. Vlpian. *Fragm.* 20. §. 16. P. Pithoeus *Schol. ad collat. leg. Mos. et Rom.* 5. §. 2. pag. 752. edit. Ant. Schulting. Alii denique adscriptiti , vel glebae adscripti. Quamvis enim et hi quibusdam ingenui videantur , ob L. un. C. de colon. *Thrac.* eo quod iure connubii gauderent , et aliquid posset habere proprii : Thomas. *de usu præf. distinct.* inter liber. et serv. 1. 16. seq. erant tamen in commercio , dict. L. un. C. cod. L. 21. C. de agr. et cens. Vnde saepe servi vocantur in iure nostro , nec a servis differre , hinc inde dicuntur. L. 21. fin. C. de agric. et cens. Non vel. 162. cap. 3.

## TITVLVS IV.

### DE INGENVIS.

DIG. LIB. I. TIT. V. COD. LIB. VII. TIT. XIV.

*De ingenui definitione.*

\* **I**Ngenuus est is , qui <sup>z</sup> statim ut natus est , liber est: sive ex duobus ingenuis matrimonio editus est , sive ex libertinis duobus , sive ex al-

altero libertino et altero ingenuo. Sed et si quis ex matre nascitur libera , patre vero servo , ingenuus nihilominus nascitur : quemadmodum qui ex <sup>3</sup> matre libera et incerto patre natus est , <sup>4</sup> quoniam vulgo conceptus est. Sufficit autem liberam fuisse matrem eo tempore , quo nascitur , licet ancilla conceperit. Et e contrario , si libera conceperit , deinde ancilla facta pariat , placuit eum , qui nascitur , liberum nasci , quia non debet calamitas matris ei nocere , qui in ventre est. Ex his illud quaesitum est , si ancilla praegnans manuissa sit , deinde ancilla postea facta pepererit , liberum , an servum pariat ? Et <sup>5</sup> Martianus probat liberum nasci : sufficit enim ei , qui in utero est , liberam matrem vel medio tempore habuisse , ut liber nascatur. Quod et verum est.

1 *Ingenuus*) Antiqui ingenuos spuriis opponebant , et patricios initio appellabant , eo quod patrem ciere possent. Liv. lib. 10. cap. 8. Cincius apud Fest. in voce *Patricios*. Ceterum etiam iam olim , qui liberi nati erant , ingenuos dictos fuisse , ex Plauto in *Milit.* act. 4. scen. 1. vers. 15. et *Poenul.* act. 5. scen. 6. vers. 8. constat : et alias quoque Latini ingenuum vocant , quod nativum est : quomodo Lucretius lib. 1. vers. 231. *ingenuos fontes* , Iuvenalis sat. 3. vers. 20. *ingenuum tophum* appellat.

2 *Statim ut natus*) Ingenuus proprie est , qui nativam habet libertatem : eum tamen etiam , qui ingenuus pronuntiatus est , pro ingenuo accipere debemus ; quia res iudicata pro veritate habetur. L. 25. ff. de *statu hom.*

3 *Matre libera*) Quia qui nascitur sine legitimo matrimonio , conditionem matris sequitur. L. 19. L. 24. ff. de *statu hom.*

4 Quoniam vulgo conceptus ) His verbis indicatur ratio , cur dicatur ex incerto patre natus. Hotom. pro, quoniam , legendum putat , id est , qui . Theoph. *πλεῖς ἀκό πρειας τεχθεις.*

5 Martianus probat ) Ex Martiano L. 5. §. 2. et 3. ff. de stat. hom. totus hic locus sumtus est. Is itaque liber nascitur , qui ex matre aut conceptionis , aut partus , aut medio tempore libera nascitur , quod favor libertatis extorsit. Paul. lib. 2. Sent. tit. 24. §. 1. seqq. add. L. 18. ff. de stat. hom. L. 4. C. de poen.

### *De servitute et manumissione facti.*

#### §. I.

Quum autem ingenuus aliquis natus sit , non officit ei <sup>1</sup> in servitute fuisse , et postea manumissum esse : saepissime enim <sup>2</sup> constitutum est , <sup>3</sup> natalibus <sup>4</sup> non officere manumissionem.

1 In servitute ) Aliud est in servitute esse , aliud servum esse ; illud facti , hoc iuris est. Servus est , qui iustum servitutem servit ; in servitute esse dicitur , qui quum servus non sit , pro servo habetur , ut Pamphila Terentiana *in Andria*. Sic quoque aliud est in libertate esse , aliud liberum esse ; aliud in possessione esse , aliud possidere. L. 10. §. 1. de acq. poss.

2 Constitutum est ) Plures exstant hac de re Constitutiones sub tit. Cod. de ingenuis manum. et eo pertinet L. 21. §. 1. ff. de capt. et postlim.

3 Natalibus ) Theophil. *τη εὐερεία , ingenuitati : veritati et origini ingenuitatis.* Paul. lib. 5. Sent. tit. 1. §. 2.

4 Non officere ) Non inurere notam libertinae conditionis.

## TITVLVS IV.

## DE INGENVIS.

## §. LXXXVI.

**Q**uestio in hoc titulo potissimum duplex tractatur, (1) quid sit ingenuitas, §. 86. 87. (2) quid sint ingenui? §. 88. 89. 90. Quod ad *priorem* quaestionem attinet, videbimus (a) de etymologia, §. 86. (b) de ipsa definitione, §. 87. Etymologia haec est: *Ingenui* dicuntur a *gignendo*, adeoque ingenui ideo hoc vocabulo appellantur, quia ipsis est ingenita libertas, vel, quod perinde est, quia statim a momento, quo geniti native sunt, liberi fuerunt. Eo enim ipso a libertinis differunt; qui et ipsi quidem liberi sunt, sed non a nativitate, verum a tempore manumissionis.

## §. LXXXVII.

Hinc facile intelligitur definitio. *Ingenuus* est, qui statim, ut natus est, liber est. Nam ut aliquis sit *ingenuus*, tria requiruntur: (1) ut liber sit; servus enim non est *ingenuus*: (2) ut liber sit a *nativitate*; hinc si quis ab ancilla natus ipso momento partus fuisse manussum, tamen non fuisse *ingenuus*, sed *libertinus*: (3) ut numquam in iusta servitute fuerit. Nam si vel momento in hoc statu fuisse, non fuisse *ingenuus*, sed *libertinus*, si vel maxime recuperasset libertatem.

## §. LXXXVIII.

Iam sequitur altera pars tituli, quinam sint *ingenui*? ubi primo praemittimus axioma vel regulam universalem, ex qua indicari possit *ingenuitas*, §. LXXXVIII.

Deinde ex hac regula varias derivamus conclusiones,  
 §. LXXXIX. XC. Regula vel axioma ita se habet: *In-*  
*genuuus est natus a matre, quae vel tempore conceptio-*  
*nis, vel partus, vel intermedio saltim per momentum*  
*libera fuit.* Quia enim conditio miserrima erat servilis,  
 hinc semper iura magis favent libertati quam servituti:  
 et hinc, si vel uno momento a tempore conceptionis ad  
 tempus editi partus libera fuerat mater, infantem non  
 servum, sed ingenuum esse iudicabant.

## §. LXXXIX.

Iam videbimus conclusiones inde fluentes. Ex hoc er-  
 go axiomate sequitur: (1) ut ingenuus sit, qui natus  
 est ex parentibus libertinis, quia numquam fuit in ser-  
 vitute. Sic e. g. Horatius, poëta, de se ipso scribit, se  
 esse libertino patre natum, et tamen fuit ingenuus, quia  
 non ipse sed parentes eius serviverant. (2) Ut non of-  
 ficiat ingenuitati manumissio. Hinc si quis liber homo  
 iniuste detrusus in servitutem postea libertatem recupe-  
 rasset, non erat libertinus, sed ingenuus, quia in ser-  
 vitute quidem fuerat, sed non servus. (3) Ut et libe-  
 ri a parte venundati et obaerati post manumissionem in-  
 genui essent. Debitores enim, qui non erant solvendo,  
 creditoribus suis addicebantur, ut iis servirent. Sed quia  
 tamen non erant servi, sed operas tantum praestabant,  
 quemadmodum famuli nostri mercenarii, hinc adepti li-  
 bertatem non siebant libertini sed ingenui. (4) Ut na-  
 tus ex libera et servo sit ingenuus. Quia enim inter li-  
 berum et servum non erat iustum matrimonium, hinc  
 partus sequi debebat ventrem, uti iam diximus supra  
 ad §. LXXXI. (5) Ut ingenuus quoque sit spurius ex  
 ingenua matre natus, quamvis pater incertus sit, ob  
 eamdem rationem, quia extra matrimonium partus ven-  
 trem sequitur.

## §. XC.

Addimus conclusiones duas , nimirum , (1) quod et  
is , qui altero deferente iuravit , se ingenuum esse , et  
(2) quem iudex ingenuum esse sententia lata pronun-  
tiavit , omnino habeatur ingenuus . Ratio est , quia ius-  
iurandum et res iudicata pro veritate habentur , quam-  
vis postea aliud appareat . E. g. si Titius mihi debet  
100. et ego illi neganti defero iusiurandum , et is il-  
lud praestat , nihil debet , etsi vel maxime postea repe-  
rio chirographum , ex quo liquet , eum falso iurasse .  
Periurii quidem reus est , et tamquam periurus puni-  
tur , sed non adigitur ad solvendum . Ita etiam , si quis  
mihi debeat 100. et ego instituam actionem , sed pro-  
bare tamen debitum nequeam , adeoque iudex eum ab-  
solvat , nihil postea exigere possum , si vel maxime re-  
periam chirographum . Vnde practici formant regulam :  
*Res iudicata facit ex albo nigrum , ex nigro album ,*  
*ex curvo rectum , ex recto curvum .* Hinc est , si quis  
ingenuum se esse iuravit altero deferente iusiurandum ,  
vel si iudex sententiam tulit , aliquem esse ingenuum ,  
manet ingenuus , licet postea appareat , eum falso iu-  
rasse , vel iudicem male iudicasse .

## TITVLVS V.

## DE LIBERTINIS.

DIG. LIB. I. TIT. V.

*Definitio et origo libertinorum , et manumissionis .*

**L**Ibertini sunt , qui ex iusta servitute ma-  
numissi sunt . Manumissio autem est de  
ma-

manu datio. Nam quamdiu aliquis in servitute est, manui et potestati suppositus est: et manumissus liberatur potestate. Quae res a iure gentium originem sumsit, utpote quum iure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum servitus esset incognita. Sed postquam iure gentium servitus et ingenuitatem invasit, sequutum est beneficium manumissionis: et quum uno communis nomine omnes homines appellarentur, iure gentium tria hominum genera esse cooperunt: <sup>6</sup>liberi, et his contrarium, servi, et tertium genus, libertini, qui desierant esse servi.

1 *Libertini*) Ex L. 6. ff. de stat. hom. Appii Cae-  
ci temporibus et deinceps aliquamdiu libertini dicti, non  
ipsi qui manumittebantur, sed ingenui ex his procreati,  
ut scribit Suet. in Claud. cap. 24. postea ipsi manumis-  
si libertini dici cooperunt, et ex his procreati, ingenui.  
Liberti et libertini nomina sic differunt; liberti nomen  
ad ius patronatus respicit, libertini ad personae condi-  
tionem. L. 1. et ult. ff. si ingen. esse dic. Libertus et  
patronus relata sunt, libertinus et ingenuus contraria.  
Hotom.

2 *Iusta servitute*) Id est, quae revera servitus sit,  
non opinione et errore tantum. Addit Theoph. *νομιμός*,  
*et legitima*, quod non placet.

3 *De manu datio*) Reponendum ex Florent. de  
manu missio, id est, datio libertatis. L. 4. ff. de Iust.  
et iur. ut brevi sermonis compendio notetur, et nominis  
definitio, et rei.

4 *Ingenuitatem*) Haec vox non est apud Vlpian.  
dict. L. 4. neque eam agnoscent Cont. Cuiac. Hotom.  
Wes. Theoph. et delendam censeo cum Bachov.

5 *Communi nomine*) Apud Vlp. in dict. L. 4. le-  
gi-

gitur, uno naturali nomine: sensus est, quam omnes homines natura liberi essent, ut nomen rei conveniat.

6 *Liberi*) Id est, *ingenui*. Partem subdivisionis in divisione collocat, quod Vlpiano, a quo haec sumta, familiare. *L. 5. ff. de paſt. L. 1. §. 2. ff. de Iust. et iur.*

*Quibus modis manumittitur.*

### §. I.

1 *Multis autem modis manumissio procedit:* aut enim ex sacris constitutionibus in 2 *sacrosanctis Ecclesiis*, aut 3 *vindicta*, aut 4 *inter amicos*, aut per *epistolam*, aut per *testamentum*, aut per 5 *aliam quamlibet ultimam voluntatem*. Sed et aliis 6 *multis modis libertas servo competere potest*, qui tam ex *veteribus*, quam ex *nostris constitutionibus* introducti sunt.

1 *Multis modis*) Olim tres tantum modos manumittendi fuisse, censu, vindicta, testamento, ostendit argumentatio Ciceronis *in Topic. cap. 2.*

2 *Sacrosanctis Ecclesiis*) Hic modus tribuendae libertatis a Constantino introductus est. *L. 1. et 2. C. de his qui in Eccles. man. et suffectus in locum eius, qui olim fiebat lustrali censu. Vid. Sigon. lib. 1. de Antiq. iur. civ. Rom. cap. 14. add. Tripert. Hist. lib. 1. cap. 9. et Niceph. 7. cap. 46.*

3 *Vindicta*) Virgulam esse scribit Boët. *in Topic. Cicer. quam lictor iussu magistratus manumittendi capitii imponebat. Festuca Plauto dicitur in Mil. Glor. act. 4. scen. 2. vers. 15. οὐαῖς Plutarco de Sera num. Vind.* Nomen dictum a Vindicio creditur Vitelliorum servo, qui quum nobilium adolescentium coniurationem de

de Tarquinii reducendis detexisset , primus hoc modo manumissus traditur. Liv. lib. 2. cap. 5.

4 *Inter amicos , aut per epistolam*) Inter amicos adhibitis quinque testibus : per epistolam a domino et quinque testibus subscriptam. L. un. §. 1. et 2. C. de latin. lib. toll.

5 *Aliam ultimam voluntatem*) Puta per codicillos.

6 *Multis modis*) Quorum plerique enumerantur in dict. L. un. §. 3. et seqq.

### *Vbi et quando manumitti potest.*

#### §. II.

Servi vero a dominis <sup>1</sup> semper manumitti solent : adeo , ut vel <sup>2</sup> in transitu manumittantur , veluti cum Praetor , aut Praeses , aut Proconsul , in balneum , vel in theatrum eant.

1 *Semper*) Id est , omni die , sive festo , sive profesto , sive fasto , sive nefasto ~~και ει απογεντω ημέρα~~. Fabrot. in not. ad Theoph. L. 2. L. 8. C. de feriis.

2 *In transitu*) Quum aut lavandi , aut gestandi , aut ludorum gratia magistratus prodit : L. 7. ff. de man. vind. est enim hic actus voluntariae iurisdictionis. L. 2. ff. de offic. procons.

### *De libertinorum divisione sublata.*

#### §. III.

Libertinorum autem <sup>1</sup> status tripertitus <sup>2</sup> antea fuerat. Nam qui manumittebantur , modo maiorem et iustum libertatem consequebantur , et fiebant

bant <sup>3</sup> cives Romani: modo minorem, et Latini ex <sup>4</sup> lege Iunia Norbana fiebant: modo inferiorem, et fiebant ex lege AElia Sentia <sup>5</sup> dedititii. Sed quoniam dedititorum quidem <sup>6</sup> pessima conditio iam ex multis temporibus in desuetudinem abierat, Latinorum vero nomen non frequentabatur: ideoque nostra pietas omnia augere et <sup>7</sup> in meliorem statum reducere desiderans, <sup>8</sup> duabus constitutionibus hoc emendavit, et in pristinum statum reduxit: quia et a primis urbis Romae cunabulis una atque <sup>9</sup> simplex libertas competit, id est, eadem, quam habebat manumissor; nisi quod, scilicet, <sup>10</sup> libertinus sit, qui manumittitur, licet manumissor ingenuus sit. Et deditios quidem per Constitutionem nostram expulimus, quam promulgavimus inter nostras decisiones: per quas, suggestente nobis Triboniano, Viro excuso, Quaestore nostro, antiqui iuris altercationes placavimus. Latinos autem Iunianos, et omnem, quae circa eos fuerat, observantiam, alia constitutione per eiusdem Quaestoris suggestionem correxiimus, quae inter Imperiales radiat sanctiones. Et omnes libertos (nullo nec <sup>11</sup> aetatis manumissi, nec <sup>12</sup> domini manumittentis, nec in manumissionis modo discrimine habito, sicut iam antea observabatur) civitate Romana <sup>13</sup> decoravimus: multis modis additis, per quos possit libertas servis cum civitate Romana, quae sola est in praesenti, praestari.

<sup>1</sup> Status tripertitus ) Vlpian. in *Fragm. tit. 1. et 3. Caius 1. Inst. tit. 1.*

<sup>2</sup> Antea ) Hoc non est referendum ad tempora liberae Reip. nam primus hanc differentiam introduxit Augustus. Sueton. in *Aug. cap. 40.*

3 *Cives Romani*) Nempe qui vindicta, censu, testamento manumissi erant. Vlpian. et Cai. *ubi sup.* Hos modos civiles et legitimos vocat Theoph.

4 *Lege Iunia Norbana*) Qua cautum, ut ii servi, qui per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumitterentur, non cives Romani, sed eodem iure essent, quo ante bellum sociale Latini coloni. *L. un. in pr. C. de lat. lib. toll.* ut neque connubii, neque testamenti, neque mancipii aut nexus, neque patriae potestatis, cet. iura habuerint. Vlpian. *in Fragm.* variis locis. Poterant autem multis modis iure Quiritium augeri. Vlpian. *dict. tit. 3.*

5 *Dedititii*) Hi quoque Latini liberti fuere, sed conditione Latinorum dedititorum, quos scil. populus Romanus post defectionem viatos in ditionem accep-  
rat. Sribit Suetonius, Augustum cavisse, ne vincetus umquam tortusve ullo libertatis genere civitatem adipi-  
sceretur *cap. 40.* Add. Vlpian. et Cai. *ubi sup.*

6 *Pessima conditio*) Non multum distans a ser-  
vientium specie. *§. ult. inf. de succ. libert.*

7 *In meliorem statum*) Aliud iudicium Augusto fuit, qui magni aestimabat, sincerum atque ab omni colluvione peregrini ac servilis sanguinis incorruptum servare populum. Sueton. *cap. 40.*

8 *Duabus constitutionibus*) *L. un. C. de lat. lib. toll. L. un. C. de dedit. lib. toll.*

9 *Simplex libertas*) Cicer. *pro Balb. cap. 9.* Dionys. Halic. *lib. 4. pag. 226. seq.* ubi Servium Tullium huius instituti auctorem fuisse refert.

10 *Libertinus sit*) Iure novissimo et hoc sustulit Iustinianus data ingenuitate, salvo tamen manente iure patronatus. *Nov. 78. cap. 2. et 5.*

11 *AEtatis manumissi*) Vid. Vlpian. *tit. I. §. 12.* Theoph. *hic.*

12 *Domini manumittentis*) Malo dominii cum Au-  
gustino *lib. 3. Emend. cap. 7.* et Grot. *in Spars. Flor.*

ne ad aetatem domini referatur , sed ad qualitatem dominii. Theophilus quoque habet ~~magis ratiōne de cōsideratione~~ , nimirum dominorum alius in bonis , alius ex iure Quiritum habebat : ille Latinum faciebat , hic civem : Vlpian. tit. I. §. 16. quae differentia sublata L. un. C. de nud. iur. Quir. toll.

13 *Decoravimus* ) Alii *donavimus*. Antoninus ante civitate data exaequaoverat omnes ingenuos. L. 17. ff. de stat. hom. Iustinianus omnes libertinos : novissime et libertinorum conditionem sustulit , data manumissionis ingenuitate. Nov. 78. cap. 5.

## TITVLVS V.

## DE LIBERTINIS.

## §. XCI.

**D**iximus supra , homines liberos , qui servis opponuntur , vel ingenuos esse vel libertinos. Quum itaque de ingenuis actum sit , iam quoque dicendum de libertinis. De his quaeritur ; (1) quid sint ? §. 91. (2) quibus modis fuerint manumissi ? §. 92. ... 102. (3) Quotuplices fuerint libertini ? §. 103. ... 108. (4) quo iure in libertinos patroni usi sint ? §. 109.

110.

Primo ergo quaeritur , quid sint libertini ? Resp. Qui ex iusta servitute manumissi sunt. *Princ. Inst. hoc tit.* Dicimus autem ex iusta servitute. Nam paulo ante (§. LXXXIX. ) iam monuimus , eum qui ex iniusta servitute manumissus fuerit , non libertinum esse , sed ingenuum. Hinc e. g. Tiro a Cicerone manumissus erat libertinus , quia fuerat in iusta Ciceronis servitute : ast Joseph a Pharaone manumissus erat ingenuus , quia non fuerat in iusta servitute , a fratribus iniuria venditus.

Obiter notandum, in iure nostro non confundenda esse vocabula *libertus* et *libertinus*. *Libertus* enim quis dicebatur ratione patroni, a quo manumissus: *libertinus* ratione status, in quem per manumissionem pervenit. Hinc absolute dicere possum, *Tiro fuit libertinus*: si vero patronum addo, dicendum est, *Tiro fuit libertus Ciceronis*, non, *libertinus Ciceronis*.

### §. XCII.

(II.) Quaeritur deinde, quibus modis facta sit manumissio? ubi (a) definimus manumissionem, §. XCII. (b) describimus modos, solemnes, §. XCIII. (c) modos minus solemnes, §. XCIV. (d) de singulis seorsim agimus, §. XCV. ... CII.

(a) *Manumissio* est de manu datio. Manus autem in iure significat potestatem. Hinc e. g. Romulus dicitur *omnia manu gubernasse*, id est potestate et arbitrio, L. 2. §. 1. ff. de O. I. hinc liberi dicuntur *esse in manu parentum*, id est in potestate, et si dimittuntur e potestate, dicuntur *emancipati*, quasi e manu dimissi. Posse autem servos manumitti, facile probatur. Servus est res, (§. LXXVII.) ergo est in dominio. Quod in dominio est, id possum derelinquere et dominio meo renunciare. Ergo et dominio in servum renunciare possum. Si possum dominio renunciare, possum et manumittere. Ergo servum possum manumittere.

### §. XCIII.

Iam, quot modis facta sit manumissio, videndum. Eos dividimus in *solemnies* et *minus solemnies*. (b) Solemnes olim erant tres: (1) *per censem*, si servi domino volente in tabulas censuales referrentur. (2) Per *testamentum*, si dominus moribundus servo legaret libertatem. (3) Per *vindictam*, si servus manumitteretur

co-

coram praetore vel alio magistratu. Hi modi in usu erant tempore liberae reipublicae. Sub principibus adhuc aliquamdiu census agebatur. Romae et in provinciis, qualis etiam erat ille census tempore nati Christi actus sub Augusto, *Luc. II. 1.* At postea non amplius actus est a temporibus Vespasiani. Itaque Constant. M. in locum manumissionis illius aliam instituit, quae fiebat in sacrosanctis Ecclesiis, *L. I. C. de his, qui in Eccl. man.* Ergo iure novo tres sunt modi solemnes, (1) manumissio in SS. Eccles. ; (2) per testamentum ; (3) per vindictam.

### §. XCIV.

Solemnies quasdam ceremonias requirebant. Si vero sine ritu et ceremoniis manumitterentur servi, et domini voluntatem suam sine solemnitate declararent, manumissio dicebatur (c) *minus solemnis*. Sic manumitti poterant (1) per epistolam; (2) inter amicos; (3) per convivium; (4) per nominationem filii. Imo quaevis sufficiebat conjectura. Elegans est exemplum apud Suet. *de Claris rhet. cap. I.* Quum enim nautae servas venales advehherent, et puer bullam argenteam appendissent, ut publicani eum haberent pro ingenuo, liber declaratus est puer, quod signum ingenuitatis dominis volentibus gessisset.

### §. XCV.

Iam (d) de singulis his modis seorsim agendum. Primus solemnis erat *census*. Per censum vero intelligitur ritus Romanorum, quo singulis quinquenniis per censores descriebantur omnes cives, eorum liberi, pecuniae et facultates, et denique singulorum hominum aetas, sexus, dignitas, cet. Auctor huius census erat Servius Tullius, Rex Romanorum, qui ideo eum inventar, ut semper scirent imperantes, quot milites possint conscribere, quantumque pecuniae in urbe esset et sine de-

detrimento colligi queat. Prolixus de hoc censu agit Liv. lib. I. cap. 42. 43. et Flor. lib. I. cap. 6. Quia itaque non nisi liberi homines et cives in tabulas censuales referendi erant, hinc servi statim erant liberi, si volente et iubente domino nomina professi essent apud censores, et hi ea inscripsissent tabulis censualibus,

### §. XCVI.

In huius locum manumissionis successit manumissio in SS. Ecclesiis a Constant. M. invecta. *L. I. C. de his, qui in Eccl. man.* Quum enim et gentiles olim aliquando manumitterent in templis deorum, (*Iac. Goth. ad L. un. C. Theodos. de man. in Eccl.*) imitandum id censuit Constantinus, Imperator Christianus, et inde nata est manumissio in SS. Ecclesiis. Ea ita peragebatur, ut (1) dominus servum in Ecclesiam induceret, et adstante clero liberum esse iuberet. (2) Ut eo de actu scriberetur instrumentum, eique subscriberet dominus. (3) Ut aperirentur portae Ecclesiae et servo promitteretur, ut ire posset, quo vellet. Et quum medio aeo portae apertae dicerentur portae passae, hinc factum, ut instrumentum diceretur seu vocaretur *un pasaporte*.

### §. XCVII.

Sequitur manumissio *per Testamentum*; cuius ratio ex principio nostro fluit. Quum enim servus esset res, poterat et dominus de servo tamquam de re sua mortis causa disponere, adeoque vel illum cuicunque legare, vel plane manumittere. Testamento autem quis manumittebat vel directe vel oblique. *Directe*, quoties id faceret verbis imperativis, e. g. *Stichus liber esto. Oblige*, quoties id faceret verbis precativis, e. g. *Rogo heredem, ut Stichum manumittat.* Porro directe quis ma-

nu-

numittebat , aut expresse , ut verbis expressis libertatis datae mentionem faceret , e. g. *Stichus liber esto* : aut tacite , quum voluntas testatoris ex signis colligeretur , quamvis libertatis in testamento haud meminisset , e. g. *Stichus , servus meus , tutor liberorum meorum esto*. Hic sane libertatis servo datae dominus ne verbo quidem meminit , sed tamen , quia , qui vult Stichum tutorem esse , non potest non eumdem liberum esse velle , quum servus tutor esse nequeat : hinc manumissus creditur tacite , §. 2. *Inst. qui et ex quibus causis manum.* ; §. 1. *Inst. qui testamento tutores dari possunt*. Ceterum inter directe et oblique manumissum libertinum id intercedebat discrimen , quod ille patronum non haberet , et hinc diceretur *libertus orcinus* , quia eius patronus in orco esset , §. 2. *Inst. de sing. reb. per fideicommiss. relict.* contra oblique manumissus patronum habebat heredem , eique debebat iura patronatus ; de quibus infra §. CX.

### §. XCVIII.

Manumissio *per Vindictam* nomen obtinuit a virga lictoris , quae vindicta dicebatur a Vindicio , servo Vittelliorum , qui , quum coniurationem iuvenum quorundam de revocando Tarquinio Rege prodidisset , praemii causa a senatu manumissus est eo ritu , qui deinde semper obtinuit. Liv. lib. 2. cap. 5. et L. 2. §. 24. ff. de O. I. Fiebat ea manumissio ita , (1) ut servus adduceretur ad magistratum , apud quem erat legis actio , veluti consulem , praetorem , procons. (2) Ut dominus eum in gyrum ageret , et (3) inflichto colapho diceret: *Hunc hominem ego liberum esse volo*. (4) Ut lictor verga , quae vindicta dicitur , eum percuteret. His factis liber erat. Hinc Persius sat. 5. vers. 75.

.....*Heu steriles veri , quibus una Quiritem  
Vertigo facit.*

Si-

Sidonius *carm. 2. ad Anthemium, vers. 545.*

..... *Donabis quos libertate Quirites*

*Quorum gaudentes exspectant verbera malae.*

Persius *ibid. vers. 88.*

*Vindicta postquam meus a praetore recessi.*

Ceterum observandum est , hunc ritum postea translatum esse ad equites nobiles. Quamdiu enim in aula serviebant , dicebantur *servi nobiles* , posteaquam autem gladio percussi fuerant a principe , fiebant liberi. Imo hodienum Equites Melitenses S. Ioannis aliorumque ordinum creatur percussione gladii.

### §. XCIX.

*Per epistolam* quae fiebat manumissio , nullam olim requirebat solemnitatem , sed dominus tantum scriptis literis profitebatur , se servum suum dimisisse liberum. Sed postea Iustinianus subscribi eam epistolam iussit a quinque testibus. *L. un. §. 1. C. de latin. libert. toll.* Ratio procul dubio fuit , quod aliquando domini prae fracte et perfide negarent , epistolam huiusmodi a se scriptam esse ; vel , quod servi fugitivi sibi ipsis huiusmodi epistolas scribendas curarent : quibus fraudibus non melius obviam iri posse existimabat Iustinianus , quam si quinque testes interessent manumissioni , et epistolae subscriberent.

### §. C.

*Inter amicos* et sine epistola servus poterat manumitti. *L. un. §. 2. C. eod.* Id Iustinianus introduxit exemplo ultimarum voluntatum. Quemadmodum enim perinde est , sive testamentum testator scribi iuberet , sive verbis illam coram septem testibus nuncuparet vel prolo queretur : ita et perinde erat , sive quis servum manumitti-

mitteret epistola a quinque testibus subscripta , sive si-  
ne epistola praesentibus testibus.

## §. CI.

*Per convivium* fiebat manumissio , quoties dominus servum convivio adhiberet et eidem mensae secum ac- cumbere iuberet. Ratio est , quia et tacite manumissionem factam esse ex signis quibusdam colligebatur. ( vid. supra §. XCVII. ) Ast signum certissimum videbatur , dominum liberum esse velle , quem mensae suae adhi- buisset. Probrosum enim et turpe habebatur , servum cum domino coenare , et hinc non in lectis mensae ac- cumbebant cum domino servi , ut , si quid vellent do- mini , statim adessent. Hinc servus apud Plaut. in *Sti- cho* act. 5. scen. 4. vers. 21.

..... *Potius in subsellio*

*Cynice accipiemur quam in lectis.*

*Et Parasitus* act. 3. scen. 2. vers. 32.

*Haud postulo equidem me in lecto accumbere,*

*Scis tu me imi subsellii esse virum.*

Quod perinde est , ac si diceret : sufficit , si me cum servis tuis coenare patiare. Quum itaque servi non pos- sent coenare cum dominis , praesumebatur , dominum ser- vos manumisisse , quos secum convivio interesse iusserat.

## §. CII.

Eadem de causa liber esse censebatur , quem domi- nus *filiū* in iudicio appellasset. §. 12. *Inst. de adopt.* Saepe olim Romani blanditiarum causa alios appellabant filios , uti et Germani faciunt , non quasi eo ipso ad- optarent statim , sed ut eo cognomine amorem suum testarentur. Si itaque dominus servum suum ita appel- lasset , non quidem filius illico fiebat , quia ad adoptio- nem plures solemnitates requirebantur , quam sola filii

*Tom. I.*

Q

ap-

appellatio : sed tamen Romani inde colligebant , domino servum hunc esse carissimum , et hinc eundem manumissum esse iudicabant.

### §. CIII.

Hactenus de modis manumittendi. Iam quaeritur (III.) de effectu manumissionis , et qualis fuerit libertinorum post manumissionem conditio ? Hinc primo dicendum de iure antiquo , §. CIII. deinde de iure novo , §. CIV. ... CVII. tertio de iure novissimo , §. CVIII.

(a) Iure antiquo omnes servi manumissi vel libertini siebant *Cives Romani* , et hinc participes erant omnium iurium , quibus cives Romani gaudebant , adeo ut et comitiis interesse possent. Vnde Cicero *pro Cornelio Balbo cap. 9.* *Servos denique , quorum ius et fortunae conditio infima est , bene de repub. meritos , persaepe libertate , id est , civitate publice donatos esse videbamus.* Beneficium hoc servi debebant Servio Tullio , Regi , qui et ipse libertinae conditionis fuerat , et ad regnum adspiraverat. Hinc memor pristinae fortunae servos manumisso cives esse iusserat. Dion. Halic. lib. 4. pag. 226. Ita se res habebat temporibus antiquis usque ad Augustum , sub quo et successore eius , Tiberio , primum libertinorum quorumdam durior facta est conditio.

### §. CIV.

Iure enim (b) novo non omnes libertini siebant cives , sed quidam *dedititii* , quidam *latini* erant. De dedititiis lex lata fuerat *Aelia Sentia A. V. C. 756.* quia caustum fuerat , ut servi , qui ob delictum fuerant fustigati , torti , vel stigmate in fronte usti , vel alio infami supplicio affecti , non fierent cives post manumissionem , sed dedititii. *Dedititii* autem dicebantur populi , qui bello a Romanis vieti et sub ingum missi de-

di-

ditionem fecerant. Horum enim multo durior erat conditio quam civium Romanorum. Liv. lib. I. cap. 38.

Causam, qua permotus Augustus libertinorum quorundam statum deteriorem redderet, eleganter refert Dionys. Halic. lib. 4. pag. 228. Olim enim non nisi servi boni et frugi manumittebantur: postea domini coepерunt manumittere fures, latrones, veneficas, in premium scelerum cum dominis admissorum. Et hinc civitas Romana contaminabatur hac pessima fece hominum. Ne itaque hoc contingret in posterum, Augustus legge Aelia Sentia sanxit, ut libertini, qui antea in servitute fuissent ob crimen supplicio affecti, fustigati, torti, stigmate usti, non fierent cives, sed deditiū.

### §. CV.

*Latinos libertinos invenit Tiberius, sub quo lata lex Iunia Norbana A. V. C. 771. qua cautum, ut omnes, qui non solemniter fuerint manumissi, ( vid. §. XCIV. ) non fierent cives, sed latini.* §. 3. *Inst. hoc tit.* Latini autem erant populi, qui Latium incolebant, qui que paulo melioris conditionis erant, quam aliae gentes dedititiae, sed tamen multo deterioris conditionis quam cives Romani. Si qui ergo manumissi fuerant non per testamentum, nec per censem, nec per vindictam, sed minus solemniter per epistolam, inter amicos, per convivium, cet. ii non quidem erant dedititii, nec tamen siebant cives, sed vocabantur Latini, vel latini Iuniani, a Cons. Iunio, sub quo lex Iunia Norbana lata fuerat.

### §. CVI. CVII.

Itaque ab iis temporibus triplices erant libertini, alii siebant cives, alii latini, alii dedititii. §. 3. *Inst. hoc tit.* (1) *Cives siebant, quotquot erant manumissi per censem, vel in SS. Ecclesiis, vel per testamentum, vel*

Q<sup>2</sup>

per

per vindictam. (2) *Latini* siebant, quotquot manumitabantur minus solemniter, per epistolam, vel inter amicos, vel in convivio, vel filii nominatione; modo non essent ob delictum poena infami adfecti. (3) *Dedititii*, quotquot ante manumissionem fuerant fustigati, torti, stigmate usci.

Horum status admodum erat diversus. (1) Cives gaudebant iuribus communibus, veluti *connubii*, (nam poterant uxores ducere, et liberos ex iis natos, habebant in potestate) *contractuum*, (nam poterant in ipsa urbe praedia aliaque omnia emere, vendere) et *testamenti factionis*, (nam poterant ipsi testari et ab aliis heredes institui, et in testamentis testes esse.) (2) Latini quidem habebant ius *contractuum*, \*\* sed non *testamenti factionis*, nec *connubii*, nisi speciatim illud esset concessum. (3) Dedititii nullum horum iurium habebant, nec ullam spem habebant impetrandi ius civitatis; unde hoc uno differebant a servis, quod dominum non haberent.

### §. CVIII.

Superest (c) *ius novissimum*. Nimirum iure novissimo Iustinianus (1) mores antiquos revocavit in usum, et voluit, ut omnes manumissi cives fierent, idque con-

\*\* Latini participes erant commerciorum et mancationum cum civibus, (Vlp. 19. §. 4.) et familiae emtores, et testes, et libipendes fieri, (Vlp. 20. §. 8.) quin et fideicommissum capere poterant (Vlp. 25. §. 7). Nonnumquam et ab Imperatoribus Latini Iuniani iura Quiritium impetrabant. Plin. Epist. 10. 6. 7. Introduci subinde et alii modi, quibus iura Quiritium consequerentur Latini Iuniani, veluti, si quis uxorem duxerat, testatione interposita, quod *liberorum querendorum causa* id fecerit, ex eoque matrimonio natus erat filius: si quis Romae triennium inter vigiles militaverat: si nave 10. M. modiorum frumentum Romam deportaverat: Suet. Claud. 19. si aedificium Romae construxerat. Vid. Vlp. Fragm. 3. §. 2. seq.

sti-

stituit *L. un. C. de lat. lib. toll.* et *L. un. C. de dedit. lib. toll.* (2) Libertinis omnibus iura ingenuitatis indulxit , et iussit , ut nulla amplius esset inter ingenuos et libertinos differentia. Denique et (3) ius au reorum annolorum dedit libertinis , Nov. 78. cap. 1. quo ornamento olim soli equites Romani gaudebant. Nam notum est , Hannibalem post praelium Cannense integros modios aureorum annolorum Carthaginem misisse , ut ostenderet , quanta equitum Romanorum multitudo in praelio isto perierit. Liv. lib. 23. cap. 12. Flor. lib. 2. cap. 6. §. 18. Valer. Max. lib. 7. cap. 2. n. 13. exempl. ext. Soli itaque equites olim aureos gestabant annulos , eoque insigni eos donabant principes , quos admissos vellent in ordinem equestrem. Suet. Caes. cap. 33. et 39. Vitell. cap. 12. Tac. Hist. lib. 1. cap. 13. et lib. 2. cap. 57. Nimis itaque liberalis fuit Iustinianus , qui non solum discrimin illud libertinorum sustulit , sed ex libertinis fecit ingenuos et eisdem aureos annulos concessit , qui olim proprii fuerunt equitum Romanorum.

### §. CIX.

Quum autem olim inter patronum et libertum officia quaedam intercesserint , eaque nec Iustinianus sustulerit , quaeritur quarto , in quo constiterint iura illa patronatus ? Nos (a) fundamentum eorum ostendimus , §. CIX. (b) ipsa illa iura recensemus §. CX.

(a) Fundamentum omnium iurium patronatus est *fides agnatio*. Fingebant enim Romani , libertos patronis suis agnatos et quasi filios esse , quia ipsis quasi vitam debeant. Durante enim servitute erant res : per manumissionem fiebant personae , adeoque id beneficium debebant patronis , ut personae essent. Patroni itaque libertis loco patrum et proximorum agnatorum erant. Hinc liberti patronorum praenomina et nomina , tamquam fi

lii adsumebant, e. g. servus a Cicerone manumissus ante dicebatur Tiro, post manumissionem Marcus Tullius Tiro. Alia exempla occurunt in L. 94. ff. de legat. 3. L. 88. §. 6. de legat. 2. L. 108. ff. de cond. et demonst. ex quibus legibus patet, saepe patronos legata libertis reliquise, ea conditione et lege, ne de patro- ni nomine exirent. \*\*

## §. CX.

Ex hoc itaque fundamento omnia (b) fluunt iura patronatus. Quia enim libertus patrono instar filii erat, hinc (1) patrono debebat obsequium et reverentiam, adeo ut, quemadmodum filius patrem non poterat in ius vocare, nisi venia a praetore impetrata, ita nec libertus patronum. L. 9. ff. de obseq. patr. L. ult. de in ius voc. (2) Patrono debebat operas. Operae autem sunt vel *officiales*, vel *fabriles*. *Officiales* consistunt in eo, ut libertus patronum honoris causa comitetur, eique adsit officii causa in conviviis aliisque solemnitatibus. *Fabriles* consistebant in opificio, quod libertus exercebat, e. g. ut si sartor esset, patrono vestes conficeret, si sutor, calceos, si faber, aedes aedificaret, cet. *Officiales* semper debet libertus, etsi eas non promiserit, L. 26. §. 12. de cond. indeb. *fabriles* autem non nisi promissas iureiurando. L. 7. pr. et §. 3. de oper. lib. (3) Ut patronus liberio ab intestato succederet tamquam proximus agnatus, nisi ipse liberos reliquisset. *Princ. Inst. de success. libert.* (4) Ut libertus patrono portionem hereditatis ex testamento relinquere teneretur. §. 3. *Inst. eod.*

\*\* Illud etiam observandum inter insignia libertinorum fuisse, quod veste alba et annulo donarentur a patronis; (Tertull. de Resurr. cap. 57.) et deinde pileati et capite raso inciderent. Et capillos quidem radere solebant in templo Feroniae, de quo ritu videndi Alex. ab Alex. Genial. dier. 4. 10. Dalechamp. ad Plin. 2. 55.

TI-

## TITVLVS VI.

QVI ET EX QVIBVS CAVSIS

MANVMITTERE NON POSSVNT.

DIG. LIB. XL. TIT. IX. COD. LIB. VII. TIT. XI.

*Prius caput legis AEliae Sentiae, de manumittente  
in fraudem creditorum.*

**N**on tamen cuicunque volenti manumittere licet : nam is , qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit : quia lex AElia Sentia impedit libertatem.

I. *Nihil agit* ) Igitur ita manumissi liberi non fiunt, et additur ratio , quia lex AElia Sentia impedit libertatem , id est , liberos fieri prohibet ; sicut in universum, quod lege prohibente fit , ipso iure nullam est. L. 5. C. de legib. Quod sicubi legas libertatem revocari aut rescindi , id minus proprie dictum accipe : videlicet respectu actus manumissionis , qui in suspenso est , donec constet de fraude , et an creditores suo iure uti velint. Legem hanc latam esse Augusti temporibus indicat Dio lib. 55. cap. 13. Consule Indic. leg. Rom. Hotom. Conn. lib. 2. comm. cap. 5.

*De servo instituto cum libertate.*

## §. I.

<sup>1</sup> Licet autem domino , qui solvendo non est, in testamento servum suum cum libertate heredem instituere , ut liber fiat, <sup>2</sup> heresque ei solus et

et necessarius : si modo ei nemo alias ex eo testamento heres exstiterit ; aut quia nemo heres scriptus sit, aut quia is , qui scriptus est, qualibet ex causa heres ei non exstiterit. Idque eadem lege AElia Sentia provisum est, et recte. Valde enim prospiciendum erat , ut egentes homines, quibus alias heres exstiturus non esset , vel servum suum necessarium heredem haberent, qui satisfacturus esset creditoribus ; aut hoc eo non faciente , creditores res hereditarias servi nomine vendant, ne iniuria defunctus afficiatur.

1 *Licet autem domino ) In capite legis AEliae Sentiae , ne quis in fraudem creditorum manumittat, nominatim addita fuit haec exceptio , nisi quis unum ex servis suis testamento liberum et heredem esse inscribit.*

2 *Heresque ei solus ) Non tamen necesse est , solum heredem scriptum esse , sed neminem alium heredem existere , ne ex substitutione quidem. L. 57. ff. de her. instit.*

3 *Iniuria ) Positum pro ignominia. Nam ignominiosum bona cuiusquam propter aes alienum divendi. Cuius rei testis locuples Cic. pro Quint. cap. 15. Igitur ratio exceptionis haec est , ut auctionis ignominia , qua aliqui defunctus oneraretur , potius derivetur in heredem servum.*

### *De servo instituto sine libertate.*

#### §. II.

Idemque iuris est , et si <sup>1</sup> sine libertate servus heres institutus est. Quod <sup>2</sup> nostra constitutio non solum in domino , qui solvendo non est , sed ge-

ne-

neraliter constituit, 3 nova humanitatis ratione: ut ex ipsa scriptura institutionis etiam libertas ei competere videatur: quum 4 non sit verisimile, eum, quem heredem sibi elegit, si praetermis-  
rit libertatis dationem, servum remanere volui-  
se, et neminem sibi heredem fore.

1 *Sine libertate*) Non libertate nominatim prohibita, sed omessa; nulla facta mentione libertatis.

2 *Nostra constitutio*) *L. pen. C. de necess. serv. her. inst. iunct. pr. infra de her. instit.*

3 *Nova humanitatis ratione*) Quia etsi ex veteribus quoque iuris auctoribus quidam hoc ipsum pro-  
baverant, numquam tamen obtinuerant, *ut dict. pr. infr. de her. instit.* Cuiac.

4 *Non sit verisimile*) Notant hic DD. eum, qui vult consequens, etiam antecedens velle intelligi, sine quo ad illud consequens perveniri non potest. *L. 2. ff. de iurisd.*

### *Quid sit in fraudem creditorum manumittere.*

#### §. III.

\* In fraudem autem creditorum manumittere videtur, qui vel iam eo tempore, quo manumittit, solvendo non est; vel qui datis libertatibus 2 desitus est solvendo esse. 3 Praevaluisse tamen videtur, nisi animum quoque fraudandi manumissor habuerit, non impediri libertatem, quamvis bona eius creditoribus non sufficient: saepe enim de facultatibus suis 4 amplius, quam in his est, sperant homines. Itaque tunc intelligimus impediri libertatem, quum utroque modo fraudan-

*Tom. I.*

R

tur

tur creditores, id est, et consilio manumittentis, et ipsa re, eo quod eius bona non sunt suffectura creditoribus.

1 *In fraudem* ) Descriptus hic locus est *ex L. 10. ff. qui et a quib. man.*

2 *Desiturus est solvendo esse* ) Species haec sit. Sempronius, qui mille in bonis habebat, ac totidem debebat, servum in fraudem creditoris manumissit; quo facto 50. de bonis decesserunt, ut iam creditores solidum consequi nequeant. Quaeritur an impediatur libertas? Resp. impediri, cum Caio *in dict. L. 10.*

3 *Praevaluisse* ) Libertas non revocatur, nisi et fraudandi consilium manumissor habuerit, et creditores re ipsa fraudulentur. *Dict. L. 10. L. 1. C. qui man. non poss.* In fideicommissaria tamen libertate solus rei evenatus spectatur. *L. 4. §. 19. in fin. ff. de fideic. lib. L. ult. C. eod.*

4 *Amplius ... sperant* ) Quod frequenter accidit iis, qui transmarinas negotiationes, et in aliis regionibus, quam ubi ipsi morantur, per institores exercent. *Dict. L. 10.*

*Alterum caput legis AEliae Sentiae, de minore viginti annis.*

#### §. IV.

Eadem lege AElia Sentia 1 domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur, 2 quam si vindicta 3 apud consilium, iusta causa manumissionis approbata, fuerint manumissi.

1 *Domino* ) *L. 4. §. ult. et passim ff. de man. vind.* Providere lex voluit, ne temere et sine certo ani-

animi iudicio servi libertate et civitate donarentur.

2 *Quam si vindicta*) Legendum: *quam si dicta apud consilium iusta causa manumissionis, approbata fuerit manumissio.* Hotomannus ex auctoritate librorum veterum et Theophili.

3 *Apud consilium*) Adhibebantur in consilium Romae 5. Senatores et 5. Equites, in provinciis 20. recuperatores cives Rom. Vlp. tit. I. §. 13. Theoph. hic. In notis D. C. S. de consilii sententia. Grot. in Spars. flor. Exercere consilium non potest, cui mandata est iurisdictio: L. 2. ff. de offic. eius cui mand. iurisd. unde apparet, magistratum non habuisse ius exercendi consilium vi sueae iurisdictionis. Arg. L. I. pr. dict. tit.

*Quae sunt iustae causae manumittendi?*

### §. V.

1 *Iustae autem manumissionis causae hae sunt:* veluti 2 si quis patrem aut matrem, filium filiamve, aut fratres sororesve naturales, aut paedagogum, aut nutricem, aut educatorem, aut 3 alumnum alumnamve, aut collactaneum manumittat; aut servum, 4 procuratoris habendi gratia; aut ancillam, 5 matrimonii habendi causa; dum tamen 6 intra sex menses in uxorem ducatur, nisi 7 iusta causa impedit: et servus, qui manumittitur procuratoris habendi gratia, non minor 8 decem et septem annis manumittatur.

1 *Iustae ... causae*) Ex L. 9. L. 11. et aliquot seqq. de man. vind. L. 21. hoc tit.

2 *Si quis patrem, cet.*) Finge filium, quum esset una cum parentibus naturalibus in eiusdem domini po-

testate , heredem a domino institutum esse : hic filius, ut ceterarum rerum defuncti , ita et parentum suorum dominus efficitur. Iustissimam autem eos manumittendi causam habet , et ita porro. *L. 13. ff. de man. vind.*

3 *Alumnum*) Quod fere in mulieribus usu venit: sed tamen in viris etiam receptum. *L. 14. ff. de man. vind.*

4 *Procuratoris*) Plerique de procuratore ad negotia hunc locum accipiunt. Cuiacius de procuratore ad iudicia , ut et Fabrotus. Bachovius de utroque , cui assentior.

5 *Matrimonii habendi*) Verbum *habendi* otiosum est , et delendum , nec in aliis reperitur , ut neque *in L. 21. hoc tit.* nec *in L. 13. de man. vind.* nec apud Theoph.

6 *Intra sex menses*) Et exigitur prius iusiurandum. *Dict. L. 13.*

7 *Iusta causa impedit*) Veluti si patronus Senator fiat. *L. 23. ff. de rit. nupt.*

8 *Decem et septem*) *In dict. L. 13.* est *decem et octo*. Sed illic qui attigit annum 18. , non minor 18. dicitur : hoc loco non minor 17. qui implevit 17. Cuiac.

### *De causa semel probata.*

#### §. VI.

Semel autem causa approbata , sive vera sit, sive falsa , non retractatur.

1 *Non retractatur*) Nam lex AElia Sentia non causam exigit nominatim , sed causae dictionem. *L. 9. §. 1. ff. de man. vind.* Favor libertatis hoc expressit.

*Abrogatio posterioris capituli legis AEliae Sentiae.*

## §. VII.

Quum ergo certus modus manumittendi minoribus 20. annis dominis per legem AEliam Sentiam constitutus esset, eveniebat, ut qui 14. annos expleverat, licet testamentum facere, et in eo sibi heredem instituere, legataque relinquere posset; tamen si adhuc minor esset 20. annis, libertatem servo dare non posset. Quod non erat ferendum: nam <sup>1</sup>cui totorum suorum bonorum in testamento dispositio data erat: quare non similiter ei, quemadmodum alias res, ita de servis suis in ultima voluntate disponere, quemadmodum voluerit, permittimus, ut et libertatem eis possit praestare? Sed quum <sup>2</sup>libertas in aestimabilis res sit, et propter hoc ante 20. aetatis annum antiquitas libertatem servo dare prohibebat: ideo nos <sup>3</sup>mediam quodammodo viam eligentes, non aliter minori 20. annis libertatem in testamento dare servo suo concedimus, <sup>4</sup>nisi 17. annum impleverit, et 18. attigerit. Quum enim antiquitas huiusmodi aetati, et <sup>5</sup>pro aliis postulare concesserit; cur non etiam sui iudicii stabilitas ita eos adiuvare credatur, ut ad libertatem dandam servis suis possint pervenire?

<sup>1</sup> *Cui totorum*) Argumentatur a maiori ad minus, καὶ τοσπενατικῶς. Cui, quod plus est, licet, ei non debet, quod minus est, non licere. *L. 21. de reg. iur.*

<sup>2</sup> *Libertas inaestimabilis res*) Servum tamen libertate donare non est inaestimabile domino: et alia haud dubie ratio legis AEliae Sentiae fuit, et haec ni-

mi-

mirum , quod servi iunioribus dominis facile blandis verbis aut aliis artibus persuadere possunt , ut se manumittant , vel pro turpis alicuius obsequii remuneratione . *Fac. L. 2. C. si adv. lib. L. 16. C. de lib. caus.*

3 *Mediam viam* ) Hinc inferunt , posse quandoque iudicem in ambiguitate iuris vel facti rem dividere ; utique hoc facere solent prudentes , ubicumque est *τάπαξις* , id est , perplexa quaestio . *L. 7. ff. ut leg. nom. cav. L. 41. ff. de her. instit.* Videndum tamen semper , quid suadeat ratio iuris .

4 *Nisi 17. annum* ) *Nov. 119. cap. 2.* permittit non minus libertates , quam res ceteras , testamento dari ea aetate , qua testamentum facere permissum est .

5 *Pro aliis postulare* ) *L. 1. §. 3. ff. de postul.* Collectio tamen haec minus bona est : adolescens ingressus annum 18. postulare potest , ergo et servum suum manumittere . Sunt enim haec plane diversa .

## TITVLVS VI.

### QVI ET EX QVIBVS CAVSIS

MANVMITTERE NON POSSINT.

#### §. CXI.

**S**AEpe diximus , servos apud Romanos pro rebus fuisse habitos . Quum itaque unusquisque res suas derelinquere et dominio suo renunciare possit , sequitur omnino , ut et quisque pro lubitu possit manumittere . Sed quum supra ( §. CIV. ) observatum sit , dominos saepe servos scelestissimos manumisisse , idque in reipublicae detrimentum vergeret ; quumque aliquando vel ad defraudandos credidores vel ob alias in honestas causas servi liberarentur , Augustus his manumissionibus modum imposuit . *Suet. Aug. cap. 40.* Id vero factum partim le-

ge

QVI ET EX QVIB. CAVS. MAN. NON POS. 135  
ge AElia Sentia , de qua hoc titulo VI. partim lege  
Fusia Caninia , de qua titulo VII.

### §. CXII.

Quando ea lex lata sit , diximus §. CIV. Hinc duo eius observanda sunt capita. Nam (1) priore ea lex prohibebat , ne servi manumitterentur in fraudem creditorum , §. CXIII. ... CXVI. (2) posteriore , ne minores 20. annis manumitterent , nisi observatis certis conditionibus , §. CXVII. CXVIII.

### §. CXIII.

Iam de *priore* capite , ubi quaeritur : (1) quem effectum habuerit manumissio in fraudem creditorum facta , §. CXIII. (2) quid sit in fraudem creditorum manumittere , §. CXIV. (3) quaenam fuerint huius regulae exceptiones , §. CXV. CXVI. Primo itaque quaeritur , quem effectum habuerit manumissio in fraudem creditorum facta ? Hic observanda regula : *Qui in fraudem creditorum manumittit , nihil agit.* Servi apud Romanos , ut et apud alias gentes , maximam constituebant partem divitiarum. Quia enim servi erant res , non minus is dives censebatur , qui plures habebat servos , quam qui plures greges , agros et praedia possidebat. Qui itaque e. g. decem millia debebat , et decem habebat servos , quorum singuli vendi possent mille florensis , adhuc erat solvendo. Sed imminentibus creditoribus malitiosi debitores solebant servos suos manumittere , et tunc non amplius tantum supererat , ut creditoribus satis fieret. Quia itaque haec fraus erat impia , hinc Augustus volebat , ut manumissiones hae essent nullae. Hic porro tenendum : aliud in iure esse *nullum* , aliud , *rescindendum*. *Nullum* dicitur , quod sine actione iudicali non habet effectum , e. g. alienatio ab infante facta:

Eta: *rescindendum* autem vocatur, quod in se quidem effectum habet, sed a iudice ob certam et praegnantem causam irritum fit, e. g. alienatio rerum minorenis cum curatoris consensu facta. Ea in se vera est alienatio et effectum suum habet, sed tamen, si appareat minorem laesum esse, iudex poterit hanc alienationem rescindere et minorenii laeso dare restitutionem in integrum. Iam omnis alienatio in fraudem creditorum facta alias non est nulla, sed rescinditur demum a iudice, et hinc creditoribus competit actio singularis Pauliana, ad revocandum id, quod in fraudem suam est alienatum:  
 §. 6. *Inst. de action.* ast manumissio in fraudem creditorum facta non rescinditur, sed est ipso iure nulla. Quaeritur itaque, cur non et haec rescindatur potius per actionem Paulianam? Resp. id fieri, (1) quia libertas semel data rescindi et auferri nequit. Hinc potius leges declarant, illam non esse datam. (2) Quia actione Pauliana revocatur id, quod alienatum est a possidente: in manumissione autem nihil alienatur, nec est possessor, qui servitutem, ex qua liberatus est servus, possideat. Hinc non poterat aliter creditoribus subveniri, quam introducto hoc iure, ut qui in fraudem creditorum manumittit, is nihil ageret.

### §. CXIV.

Quaestio est, secundo, quid sit, in fraudem creditorum manumittere? Fraus alias dicitur quilibet dolus, quo alter alterum circumvenit. Sed non omnis dolus est malus, e. g. si medicus puero abhorrentia medicamenta persuadet, illud esse melle dulcius. Verum iste demum dolus dicitur malus, vel fraus, si quis dolose alterum ita circumvenit, ut inde damnum sentiat, e. g. si quis sciens alteri dolo malo det monetam aeneam et tenui argento obductam pro argentea. Quia igitur hic de fraude vel dolo malo agitur, hinc duo concurrere debent;

a)

a) animus , consilium, vel affectus defraudandi creditores , id est , ut sciat debitor , servis manumissis se non fore solvendo , et tamen manumittat. b) Ipse affectus, ut manumissis servis creditoribus satisficeri nequeat. Si alterutrum requisitum deesset , non erat manumissio nulla. E. g. si quis Stichum servum bona fide dimittat, quia se putaret tam divitem , ut creditoribus satisfacere posset , nihil egit in fraudem creditorum , quia affectus vel consilium defraudandi deest. Et si quis ex triginta servis tres manumisit , iisque manumissis tam locuples manet , ut creditoribus solvere possit , denuo nihil egisse censemur in fraudem creditorum ; quia effectus non sequutus est , id est , quia creditores damnum non senserunt.

### §. CXV. CXVI.

(III.) Hinc facile patet , quaenam exceptiones huius regulae fuerint? Resp. Binae. Nam 1) si quis se ditiorem putarit et servum bona fide manumiserit , ei ignoscendum est. Et huc pertinet elegans regula : *Saepe de facultatibus suis amplius , quam in iis est , sperant homines.* §. 3. Inst. hoc tit. Quod mercatoribus contingere potest , quorum negotiatio maritima ita comparata est , ut uno vento alii pauperes , alii fiant ditiores. 2) Si quis unum servum manumisit testamento simulque heredem instituit , ei ignoscendum. Ratio huius exceptionis haec est. Ignominiosum videbatur Romanis, defuncti bona a creditoribus post mortem vendi ac distrahi. Vid. Cic. orat. pro P. Quint. cap. 15. Hinc licebat servum instituere heredem , qui tunc necessario erat heres et nihil tamen ex hereditate lucrabatur, tantum ut bona non sub nomine defuncti , sed sub nomine servi heredis instituti distraherentur , et ita parceretur famae defuncti.

## §. CXVII.

Sequitur caput *posteriorius*, quo cautum fuisse diximus, ne minor 20. annis manumittere posset, nisi observatis quibusdam conditionibus. 1) Causa huius legis est fraus servorum, qui si heres adhuc esset adolescens, ei ad impuros mores aliasque voluptates adiumento erant, et deinde praemii loco sibi stipulabantur libertatem; qualia exempla sunt apud Plautum et Terentium. Quum autem ita ad paupertatem redigerentur domini, Augustus non passus est, iuvenes 20. annis minores manumittere, nisi servatis certis conditionibus. Ast quænam 2) illae conditiones? Resp. a) Ut manumissio fieret vindicta, quia sic fieri debebat coram magistratu, (vid. §. XCVIII.) et magistratus ita causam cognoscere poterat, an manumissio concedenda sit. b) Ut fieret publice ad consilium, id est, praesentibus praetoris vel proconsulis assessoribus; quod alias non erat necessarium, quia et in transitu manumitti poterant servi, veluti quum praetor aut praeses in balneum vel in theatrum iret. §. 2. *Inst. de libertin.* c) Exposita causa, id est, adolescens causam reddere debebat, cur hunc servum manumittere velit, et quare id beneficium meruerit. Si semel iustum causam probaverat, rata erat manumissio, etsi falsa postea deprehenderetur. Rationem reddidimus ad §. CXIII. quia semel data libertas auferri non poterat.

## §. CXVIII.

Quaeritur porro, quia dominus adolescens non nisi ob iustum causam manumittere poterat, quænam fuerint illae iustæ causæ? Resp. Iusta videbatur manumissionis causa (1) *propinquitas*, e. g. si quis manumitteret patrem, matrem, filium, filiam, fratrem, sorores. Mira res! an etiam quis parentes, liberos, fratres poterat

erat servos habere? Poterat id omnino contingere. Nam fingamus Stichum servum ex ancilla procreasse Syrum et Dromonem, Syrum autem itidem ex alia ancilla procreasse Davum, postea autem dominum, Syrum heredem instituisse, tunc Stichus, Syri pater, Davus, Syri filius, et Dromo, eius frater, omnes erant servi Syri. Hos itaque et minor recte manumittebat pietatis causa. (2) Singulare beneficium a servo acceptum, e. g. si quis manumitteret paedagogum, nutricem, educatorem. (3) Singularis affectio, e. g. si quis manumitteret alumnum, alumnam, collactaneum, id est, qui eadem ubera traxerat. (4) Singularis finis, e. g. ut servum habeat procuratorem, vel ut ancillam ducat uxorem. Nam nec procuratorem servus agere poterat, nec ingenuus ancillam uxorem habere: poterat autem duce-re libertam, vid. infra §. CLVIII. \*\*

\*\* Praeter superius recensita legis AEliae Sentiae capita fuere etiam alia: nimirum servus 30. annis minor censu aut vindicta manumissus, non fiebat civis Romanus, nisi allegata probataque causa apud consilium; testamento vero manumissus perinde habebatur atque si domini voluntate in liber-tate esset, ideoque latinus fiebat. Vlp. *Fragn. tit. 1. §. 12.* et ibi Schulting. Porro eadem lege ademta sunt dominis iuris patronatus, qui libertos inopes alere negligenter. L. 33. ff. de bon. libert. L. 6. ff. de agnosc. lib. Eadem lege iuribus patronatus excidebant, qui libertos ad mercedem operarum promit-tendam induxerant. L. ult. §. 1. ff. qui et a quib. manum. li-beri non fuit. Prodita etiam hac lege est actio adversus li-bertos ingratos, non quidem, ut in servitutem revocarentur (hoc enim primus Claudius Imp. extra ordinem fecisse vide-tur; Sueton. *Claud. 25.* donec Commodus Imperator, quod extra ordinem fecerat Claudius, edita constitutione induceret. L. 6. §. 1. ff. de agnosc. lib. Iac. Raevard. *conieft. 1. cap. 11.*) sed ut in laetumias darentur ad perpetuas operas. Vid. Dosith. *Sent. et epist. D. Hadriani III. 3. p. m. 862. seq.* Iac. Cuiac. *Obs. 10. cap. 33.* Vinc. Gravina *de Leg. et SCtis cap. 19.* Ac-cedit et aliud caput, quo iure patronatus exiuntur, qui hac le-ge manumisere, ut ne liberti uxores ducerent, aut liberos tol-

## §. CXIX.

Reliquum est , ut de usu pratico dispiciamus. Si itaque quaeratur , an haec omnia hodienum in foro observentur ? respondemus , prius caput adhuc usum habere iis locis , ubi sunt homines proprii. Nam si quis rusticos ad praedium suum pertinentes alienaret in fraudem creditorum , nihil ageret omnino. Nec tamen recepta ullibi est exceptio illa de servo herede instituto , de qua diximus §. CXVI. Nam hodie venditionem bonorum defuncti non esse ignominiosam , vel inde patet , quod et virorum clarissimorum , qui nemini quidquam debent , bibliothecae et supellecilia publica auctionis lege distrahabantur. Posterius vero caput abrogavit Iustinianus §. ult. Inst. hoc tit. ubi rationes satis absurdas huius abrogationis reddit. Hinc hodie manumittere possunt adolescentes inter vivos quidem , dummodo sint 17. annorum , nec tenentur amplius rationes reddere , nec praecise per vindictam et ad consilium manumittere. Per testamentum autem manumittere possunt adolescentuli , simul ac puberes sunt , id est , exacto anno aetatis 14. Nov. 119. cap. 2.

lerent. L. 6. ff. de iur. patr. Omnia huius legis fragmenta una cum probationibus exhibet Heinneccius in Sintagm. antiqu. Rom. hoc tit. ex quo haec delibasse sufficiat.

## TITVLVS VII.

DE LEGE FUSIA CANINIA TOLLEND<sup>A</sup>.

COD. LIB. VII. TIT. III.

<sup>1</sup> **L**ege Fusia Caninia <sup>2</sup> certus modus constitutus erat in servis testamento manumitten-

tendis : quam , quasi libertates impedientem , et quodammodo invidam , tollendam esse censimus : quum satis fuerat inhumanum , vivos quidem licentiam habere & totam suam familiam libertate donare , nisi & alia causa impeditat libertatem ; & morientibus autem huiusmodi licentiam adimere.

1 *Lege Fusia Caninia* ) Lata haec lex Augusti temporibus , ut ex Suetonio intelligimus *cap. 40.* ubi et ratio legis indicatur , ne scilicet concessa libera testamento manumittendi potestate , libertis et sordidis hominibus civitas Romana contaminaretur. Sustulit eam Iustinian. *L. un. Cod. hoc tit.*

2 *Certus modus* ) Certus numerus , quem in manumittendo excedere non liceret. *Vlp. tit. 1. §. 24. Cai. lib. 1. tit. 2. Paul. 4. Sent. tit. 14. §. 4.* Apud Vopiscum *Tacit. cap. 10.* legimus , Tacitum Imperatorem in testamento suo intra Caniniam mansisse.

3 *Totam familiam* ) Theoph. πάτερας τοὺς οἰκέτας , omnes servos. Veteres frequenter servos omnes unius domini familiam appellant. *Tit. ff. si fam. furt. fec. L. 2. §. 14. ff. vi bon. rapt. L. 195. §. 3. ff. de verb. sign.*

4 *Alia causa* ) Puta si manumissor solvendo non sit , aut minor 17. annis.

5 *Morientibus adimere* ) Argumentatio κατασκευαστικὴ ab actu inter vivos ad ultimam voluntatem : de quo genere argumentandi Everh. et Cantiunc. in *Topic.* Non procedit , si spectamus rationem legis Fusiae , quae haec est , quod facilius in testamento manumittimus , quam inter vivos. *Fac. L. 4. §. 1. in fin. ff. ad Senat. Vell. Pac.*

## TITVLVS VII.

## DE LEGE FUSIA CANINIA TOLLEND A.

## §. CXX. CXXI.

**D**Iximus supra (§. CXI.) Augustum manumitten-  
di libertatem duabus legibus restrinxisse , AElia  
Sentia et Fusia Caninia. De priore haec tenus dictum est  
ad titulum VI. , sequitur iam altera. De ea quaeritur  
1) cur lata sit et quando ? §. 120. 121. 2) quid ea  
cautum fuerit ? §. 122. 3) an adhuc in usu sit ? §. 123.

I. Quaestio est : cur et quando lata sit ? Resp. Quia  
nimis liberales erant Romani moribundi in manumitten-  
dis servis. Nam (1) morientes etiam avari solent esse li-  
berales , partim quia iis divitiis non amplius opus est , par-  
tim quia plerumque eas invident heredibus. (2) Apud  
Romanos specialis causa erat , quam ita refert Dionys.  
Halic. lib. 4. pag. 228. Scio , qui tota servitia testa-  
mento libera esse iusserunt , ut benigitatis laudem post  
mortem ferrent , et in funeris elatione lecticam eorum  
magna pileatorum prosequeretur frequentia : in qua pom-  
pa quidam erant recens dimissi ex carcere malefici  
mille supplicia meriti. Istos impuros urbis pileos pleri-  
que cum stomacho adspectant , et respuunt eorum con-  
suetudinem , indignum facinus clamitantes , populum re-  
rum dominum et usurpatem sibi orbis imperium , ta-  
libus contaminari civibus. Quum itaque ita fieret , ut  
urbs malis civibus contaminaretur , Augustus hanc ma-  
numittendi licentiam coercuit ; Suet. Aug. cap. 40. id-  
que factum lege Fusia Caninia A. V. C. 751. lata Sex.  
Furio Camillo et Caio Caninio Coss. a quibus et no-  
men haec lex accepit Fusiae Caniniae ; veteres enim  
pro Furius dicebant Fusius , pro Papirius Papisius. L.  
2. §. 36. ff. de O. I.

§.

## §. CXXII.

II. Sequitur altera quaestio , quid ea lege cautum fuerit? Resp. 1) ut non nisi pars servorum testamento manumitti posset. Et quidem haec observanda erat proportio. Si quis haberet Serv. 1. usque ad 10. manumittere poterat partem dimidiā; sin 11. ad 30. manumittere poterat partem tertiam; sin 31. ad 100. partem quartam; sin 101. ad 500. partem quintam; sin plures, non plus quam 100. 2) Vt si quis plures manumitteret, primi tantum liberi essent, reliqui in servitute manerent. E. g. habebat quis quinque servos, et manumittebat Syrum, Davum, Stichum, Dromonem, hic duo priores erant liberi, quia per hanc legem tantum pars dimidia manumitti poterat, Stichus et Dromo servi maneabant. Quum id scirent domini, solebant nomina scribere in testamento ~~dictis~~, vel per annulum hoc modo:

Liberi sunt	Syrus,	Corsus,	Stichus,
	Davus,	Dromo,	Davus,

ne quis sciret, quis primus, secundus et ultimus sit. Sed Augustus cavebat 3) ut tunc nullus libertatem conserueretur, sed omnes manerent servi.

## §. CXXIII.

III. Ad ultimam quaestionem paucis respondemus, huius legis hodie nullum esse usum, quia eam tamquam

quam invidam et inhumanam sustulit Iustinianus , §. un.  
*Inst. hoc tit.* quum tamen esset reipublicae utilissima.  
 Obiter notandum , quod , quum Iustinianus hanc legem  
 dicat quodammodo invidam , Accursium in glossa so-  
 mniare , legem hanc nomen accepisse a cane. *Nam ca-*  
*nis servat naturam , inquit , qui stat in palea , qui*  
*nec sibi potest habere paleam , nec alii permittit acci-*  
*pere ; sic nec sibi poterat tenere servos , quod morie-*  
*batur , nec libertatem patiebatur dare. Vnde merito*  
*Caninia dicitur , ut sit consequens nomen rei. Lepide*  
*sane!*

## TITVLVS VIII.

## DE HIS , QVI SVI VEL ALIENI

IVRIS SVNT.

DIG. LIB. I. TIT. VI.

*Altera divisio personarum.*

**S**Equitur de iure personarum : alia divisio . Nam  
 quaedam personae sui iuris sunt , quaedam  
 alieno iuri subiectae. Rursus earum , quae alieno  
 iuri subiectae sunt , aliae sunt in potestate pa-  
 rentum , aliae in potestate dominorum. Vide-  
 mus itaque de his , quae alieno iuri subiectae  
 sunt : nam si cognoverimus , quae istae personae  
 sunt , <sup>2</sup> simul intelligemus , quae sui iuris sunt.  
 Ac prius dispiciamus de his , quae in potestate  
 dominorum sunt.

I *Alia divisio* ) Ex Caio *L. I. ff. hoc tit.* Hac di-  
 visione personae superiore divisione secretae iterum in  
 unum

unum coguntur, quia de vi et effectu dominicae potestatis adhuc erat cognoscendum.

2 *Simul intelligemus*) Ratio ex hoc principio logico petenda: *contrariorum cognito uno, cognoscitur et alterum.* Aristot. I. Topic. 14. et 2. cap. 2. Cicer. in Topic. cap. II. et de Orat. lib. 2. cap. 40.

### *De iure gentium in servos.*

#### §. I.

1 *In potestate itaque dominorum sunt servi,* quae quidem potestas iuris gentium est: nam  
2 *apud omnes peraeque gentes animadvertere possumus,* dominis in servos vitae necisque potestatem fuisse; et quodcumque per servum **adquiritur**, id **domino adquiri**.

1 *In potestate*) Varia est huius vocis significatio, L. 215. ff. de verb. sign. hic summam significat ἀγαθοῖς, ut definit Theophil.

2 *Apud omnes gentes*) Sic et Caius in dict. L. 1. §. 1. hoc tit. Ceterum hoc de maiore parte accipendum, non de omnibus, et de eo, quod impune in servos fit ex rigore iuris gentium. Apud multos autem populos summum illud ius vitae et necis in servos usurpatum non fuisse, testantur historiae. Vid. Bodin. I. de Repub. 5. Grot. 3. de Iur. bell. et pac. cap. 14.

3 *Domino adquiri*) Hoc rationi iuris gentium convenit, et nihil admodum habet iniquitatis, quoniam dominus ad alimenta servo praestanda obligatus est. De hoc iure plenius *infra sub tit. per quas pers. cuiq. acq.* §. 3.

*De iure civium Romanorum in servos.*

## §. II.

Sed hoc tempore nullis hominibus , qui sub imperio nostro sunt, licet <sup>1</sup> sine causa legibus cognita in servos suos supra modum saevire. Nam ex Constitutione Divi Antonini , qui sine causa servum suum occiderit, <sup>2</sup> non minus puniri iubetur , quam si alienum servum occiderit. Sed et <sup>3</sup> maior asperitas dominorum eiusdem Principis constitutione coërcetur : nam Antoninus consultus a quibusdam Praesidibus provinciarum de his servis , qui ad <sup>4</sup> aedem sacram , vel ad <sup>5</sup> statuam Principum configuiunt, praecepit , ut , si intolerabilis videatur saevitia dominorum , cogantur servi suos <sup>6</sup> bonis conditionibus vendere , ut pretium dominis daretur , et recte : <sup>7</sup> expedit enim Reipublicae , ne sua re quis male utatur. Cuius Rescripti ad AElium Martianum missi verba sunt haec : *Dominorum quidem potestatem in servi suos illibatam esse oportet , nec cuiquam hominum <sup>8</sup> ius suum detrahi : sed <sup>9</sup> dominorum interest , ne auxilium contra saevitiam , vel famem , vel intolerabilem iniuriam denegetur iis , qui iuste deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum , qui ex familia Iulii Sabini ad statuam configuerunt : et si vel durius habitos , quam aequum est , vel infami iniuria adfertos esse cognoveris , venire iube , ita ut in potestatem domini non revertantur. Quod si meae constitutioni fraudem fecerit , sciat me hoc admissum adversus se <sup>10</sup> severius executurum.*

<sup>1</sup> *Sine causa*) Nam ex causa licet , puta si servum in facinore deprehenderit , in quo repertum etiam li-

liberum hominem occidere fas sit. Descripta haec partim ex L. 1. §. 2. partim ex L. 2. ff. hoc tit.

2 *Non minus puniri*) Hoc significat , qui servum suum sine causa occidit , tam reum esse homicidii , quam si alienum occidisset , et teneri publico iudicio legis Corneliae de sicariis : neque enim privato iudicio legis Aquiliae locus est , ubi sibi quis damnum infert.

3 *Maior asperitas*) Modica tantum castigatio dominis permittitur. *L. un. C. de emend. serv.* Adhibenda tamen etiam circa minores poenas clementia , iuxta illud in constitutionibus Clementis Romani , lib. 7. cap. 13. ἐπὶ ταχέες δέλησιν οὐ παιδίσκην εἰ πρεγεῖ φυχῆς. Grot. ubi sup.

4 *AEdem sacram*) Fana ethnicis pro asylis erant. Plaut. *Rudent. act. 2. scen. 7. vers. 1.*

..... duae mulierculae

*Hic in fano Veneris signum flentes amplexae tenent.*

Tac. 3. *Annal. cap. 60. Complebantur templa* pessimis servitorum , cet. Sublato Paganismo idem ius αὐτοιας templis Christianorum tributum. *Tit. C. de his qui ad eccl. configug. Nov. 17. cap. 7.* Haec verba , ad aedem sacram , non sunt apud Vlp. Rufini tit. 3. §. 3. nec in ditt. L. 2. hoc tit. nec Theophilus habet.

5 *Statuam Principum*) Statuae quoque Principum his , qui ad eas configissent , asyla fuerunt. *L. un. C. de his qui ad stat. configug.* Iudeorum populo sex civitates constitutae erant , quo tuto configurerent , qui διατίας sanguinem effudissent. *Num. XXXV. vers. 11. Deut. XIX. a vers. 2. ad 14. Ios. XX. per tot.*

6 *Bonis conditionibus*) Iusto pretio , ut in L. 12. ff. *de relig.* Et ne dominus infensus duriores conditio-nes adiiciat , veluti ut ne manumittantur , ut tamquam fugitiui in vinculis habeantur. *Th. et L. 25. ff. de statulib.*

7 *Expedit Reip.*) Haec sententia est apud Sosipatrum. Potest quis etiam abuti re sua, L. 25. §. 11. ff. *de her. pet.* sed tamen providendum , ne privati fortunis suis abutendo noceant publico.

8 *Ius suum detrahi*) Ne a Principe quidem cuiquam ius suum sine causa detrahi debet. Vid. Hotom.  
*Illustr. quaest. I.*

9 *Dominorum interest*) Alia ratio decidendi. Ne si servi nullum sibi contra dominorum saevitiam auxilium paratum esse sciant, aut manus sibi inferant, aut in perniciem domini aliquid moliantur.

10 *Severius executurum*) Pro qualitate scilicet delicti extra ordinem in ipsum animadversurum, nam certa poena hic definita non est. Wesembec.

## TITVLVS VIII.

### DE HIS, QVI SVI VEL ALIENI

IVRIS SVNT.

#### §. CXXIV. CXXV.

**A**bsolvimus primam personarum divisionem, secundum quam alii homines sunt liberi, alii servi; et liberi iterum vel ingenui vel libertini; de quibus omnibus hactenus accurate actum a titulo III. ad tit. VII. Sequitur iam altera divisio hominum. Alii enim sunt *sui iuris*, alii *alieno iuri subiecti*. Posset aliquis existimare, hanc divisionem cum priore coincidere, nam liberos homines esse *sui iuris*, servos *alieno iuri subiectos*. Sed respondetur, hanc divisionem a superiore esse diversissimam, nam et filii filiaeque familias *alieno iuri subiecti* subiectaeque sunt, quum tamen non sint servi, sed personae liberae. Hinc ante omnia definienda sunt personae *sui* et *alieni iuris*. *Sui iuris* sunt, qui nec dominicae nec patriae potestati subsunt, et hi dicuntur *patresfamilias*, cuiuscumque sint aetatis; e. g. infans, qui adhuc in cunis vagit, est *paterfamilias*, si nec patrem habet nec dominum. Contra *alieno iuri subiecti*-

*iecti* sunt , quicumque vel in patris potestate sunt , ( et hi vocantur *filiis filiaeve familias* ) vel sub dominica , ( et hi vocantur *servi et ancillae.* ) Hoc titulo agendum de potestate dominica , sequente de patria .

### §. CXXVI.

De *dominica potestate* sciendum , 1) quod sit *huius potestatis fundamentum*? §. CXXVI. 2) in quo illa consistat ? §. CXXVII. 3) an adhuc vigeat usus recepta sit ? §. CXXVIII. I. Fundamentum potestatis dominicae est status servorum . Servi enim non sunt personae , sed res ; res sunt in dominio ; ergo et servus aequae est in dominio heri sui ac bos , equus , aliudve iumentum , a quibus parum differebant servi iure Romano , ceu diximus supra §. LXXVII. et LXXX. Ex hoc ergo principio fluit regula : *Quaecumque iura competit domino in rem suam , eadem competit in servum.*

### §. CXXVII.

II. Ex hoc axiomate omnia fluunt dominorum iura in servos . Nam (1) domino olim competebat ius vitae et necis in servos . Vti enim equum occidere potest dominus , ita et servum poterat . §. 1. Inst. hoc tit. Exempla plurima existunt in historia Romana , quod servi sub furca caesi , in crucem sublati , e rupe praecipitati , in piscinam missi . Vid. Seneca de *Ira* lib. 3. cap. 40. de *Clementia* lib. 1. cap. 18. Plin. Hist. nat. lib. 9. cap. 23. (2) Servi erant in commercio , ut vendi et quocumque titulo in alios transferri possent , ut equi , boves , cet. (3) Quidquid servi adquirebant , id adquirebant dominis , aequae ac dominorum erat , quod adquirebant equi , boves , cet. Quamvis enim servi habarent peculium , quod sibi de demenso suo comparabant miseri , genium defraudando , uti loquitur Terentius *Phorm.*

*Phorm. aet. I. scen. I. vers. 9.* omnia tamen pro lubitu illis eripere poterant domini ; unde *eod. loc.* Terentius :

*Quod ille unciatim vix de demenso suo,  
Suum defraudans genium, comparsit miser,  
Id illa (hera) universum abripiet, haud existumans,  
Quanto labore partum . . . . .*

### §. CXXVIII.

III. Quod ad usum hodiernum attinet , notandum, quid ipsae leges Romanae mutarint , §. CXXVIII. Ius Romanum sustulit ius vitae et necis , quia eo maxime abutebantur domini crudeles. \*\* Exemplum no-

\*\* Factum id primum sub Augusto , qui Praefecto urbi id dederat negotii , ut dominorum saevitiam ac libidinem , et in praebendo vietu sordes atque iniquitatem compesceret ; si rete divinavit Lips. *ad Sen. de Benef.* 3. cap. 22. De servorum sane querelis Praefectum urbi cognovisse , satis patet ex Vlpiani *L. I. §. 1. et 8. ff. de offic. praef. urb.* Tacit. *Annal.* 6. 11. Deinde et Claudius Imperator dominorum , servos aegrotos exponentium , vel plane necantium crudelitatem SCto coercuit , illosque servorum amissione , hos ordinaria homicidii poena multavat. Suet. *Claud.* 25. Dio Cass. *Hist.* 60. cap. 29. Porro non multo post lata *lex Petronia* A. V. C. 814. C. Petronio Sabino Turpiliano et C. Caesonio Paeto Consulibus , qua vetitum , ut ne liceret dominis servos suo arbitrio ad bestias depugnandas tradere , sed causa prius a iudice cognosceretur. *L. II. §. 1. et 2. ff. ad L. Corn. de sicar.*

Tum postea Hadrianus dominorum crudelitatem rescriptis legibusque quam plurimis inhibuit. Idem et renovavit legem Petroniam , ergastula servorum et libertorum sustulit , et servos , nisi cognita a iudicibus causa , occidi vertuit. Spartan. *Hadr.* 18. et ibi Casaub. Successit porro constitutio D. Pii , cuius meminit Justinianus §. 2. *Inst. hoc tit.* Postremo Constantinus M. sanxit , ut , qui servum suum occidisset castigando , poenam legis Corneliae de sicariis non subiret ; sin tormentis aut destinato consilio id fuisse factum , dominus ordinaria homicidii poena plecteretur. *L. un. C. de emend. serv.* Iac. Gothofr. *ad L. I. et 2. C. Theod. de emend. serv.* Lib. 9. tit. 12.

tum

tum est Pollionis, qui servum ob fractum vas crystal-  
linum in piscinam proiici iusserat. Seneca *loc. cit.* Hinc  
iure novo homicidii rei sunt, qui servum suum occi-  
dunt, §. 2. *Inst. hos tit.* et solum ius castigandi reli-  
ctum est dominis, *L. un. C. de emend. serv.* quamvis  
et poena extraordinaria adficiantur domini, si hoc casti-  
gandi iure abutantur, ceu docet elegans exemplum Vm-  
briciae matronae ab Hadriano relegatae in quinquennium;  
quia ancillas levissimas ob causas atrocios tractasset. *L.*  
*2. in fin. hoc tit.* Quin Antoninus Pius servos Iulii Sa-  
bini, qui a domino atrocios tractati ad statuam princi-  
pis tamquam ad asylum confugerant, vendi iussit et pe-  
cuniam reddi domino, ne forte atrocios tractarentur ite-  
rum. §. 2. *Inst. hoc tit.*

## TITVLVS IX.

## DE PATRIA POTESTATE.

COD. LIB. VIII. TIT. XLVII.

*Summa tituli.*

**I**N potestate nostra sunt liberi nostri, quos  
ex <sup>2</sup> iustis nuptiis procreavimus.

<sup>1</sup> *In potestate nostra*) Ex Vlpian. in *L. 3. ff. de his qui sui vel alien. iur.*

<sup>2</sup> *Iustis nuptiis*) Nam ex iniusta coniunctione na-  
ti in potestate patris non sunt. *L. 23. et seq. ff. de stat. hom. §. pen. infr. tit. seq.* Denique in hoc ne-  
gotio is solus pater habetur, quem nuptiae demonstrant.  
*L. 5. ff. de in ius voc.* In notis *I. N. Q. iustis nu-  
ptiis quaesitus.* Grot.

*De-*

*Definitio nuptiarum.*

## §. I.

1 Nuptiae autem , sive matrimonium , est  
3 viri et mulieris 4 coniunctio , 5 individuam vi-  
tae consuetudinem 6 continens.

1 *Nuptiae* ) Sic dictae a nubendo , quod olim no-  
vae nuptiae pudoris ergo caput obnubere flammeo sole-  
bant. Fest. Non. et alii.

2 *Nuptiae sive matrimonium* ) Promiscue fere haec  
vocabula usurpantur. Saepe tamen nuptias quum dicimus,  
intelligimus celebritatem nuptialis diei , *L. pen.* §. 1.  
*ff. de don. int. vir et uxor. L. 24. C. de nupt.* et ita  
quoque *γάμος* accipitur apud Ioann. Evang. *cap. II.*  
*vers. 1. et 2.*

3 *Viri et mulieris* ) *Ἐννᾶς* , ad excludendam poly-  
giam , id est , nuptias cum pluribus uxoribus eodem  
tempore contractas : successive autem plures uxores ha-  
bere , id est , soluto rite matrimonio aliam ducere,  
prohibitum non est.

4 *Coniunctio* ) Consensi suscepta : nuptias enim non  
concubitus , sed consensus facit. *L. 30. de reg. iur.*  
*L. 15. ff. de cond. et dem.*

5 *Individuam , cet.* ) Modestin. *L. 1. ff. de rit.*  
*nupt. consortium omnis vitae* : quo significatur non tan-  
tum domestica societas , sed etiam indivisus et promi-  
scuus rerum omnium inter coniuges usus , rerum et  
corporum communicatio. Duar. *ad tit. Cod. de nupt.*  
*cap. I.* Vera tamen inter coniuges non est bonorum so-  
cietas.

6 *Continens* ) Nempe voto et proposito contrahen-  
tium , nam eventus non semper respondeat proposito.

*Qui habent in potestate.*

§. II.

Ius autem potestatis , quod in liberos habemus , <sup>1</sup> proprium est civium Romanorum : nulli enim alii sunt homines , qui <sup>2</sup> talem in liberos habeant potestatem , <sup>3</sup> qualem nos habemus.

1 *Proprium civium Romanorum*) Lege Romuli primum introductum , repetitum postea et confirmatum a Decemviris. Dionys. Halicarn. lib. 2. pag. 96. seq.

2 *Talem potestatem*) Significat , etiam alias gentes habere in liberos potestatem , sed dissimilem , nempe patria potestas indefinite considerata originem ex iure naturae trahit. Plin. in Panegyr. cap. 38. *Vis et lex naturae semper in ditione parentum esse liberos iussit.* Vt etiam disputat Aristot. 1. Polit. 12.

3 *Qualem nos*) Immensam et plane ~~eternam~~ , quae continebat ius vitae et necis. Vid. Halicarn. *ubi supr. L. II. ff. de lib. et posthum. L. ult. C. hoc tit.* Sigan. lib. 1. de iur. ant. civ. Roman. cap. 10. quam alii ut tyrannicam repudiant , teste SimPLIC. ad Epicteti Enchirid. cap. 37. Simile patrum ius apud Persas ut tyrannicum accusat Aristot. 8. Nicomach. cap. 12. Et procedente tempore etiam apud Romanos iura patriae potestatis multum imminuta.

*Qui sunt in potestate.*

§. III.

Qui igitur ex te et uxore tua nascitur , in tua potestate est. Item qui <sup>1</sup> ex filio tuo et uxore eius

*Tom. I.*

V

na-

nascitur, id est, nepos tuus et neptis, aequi in tua sunt potestate; et pronepos, et proneptis, et deinceps ceteri. Qui autem ex filia tua nascuntur, in potestate tua non sunt, sed in patris eorum.

**1** *Ex filio tuo*) *L. 4. ff. de his qui sui vel alien. iur.* Ratio est, quia in familia tua nascitur: deinde quia nemo in potestate sua habere potest, qui in alterius manu ac potestate est. *L. 21. ff. ad L. Iul. de adult.* Et ita deinceps. *L. 5. ff. de his qui sui vel alien. iur.*

**2** *Ex filia tua*) Filia enim non patri, sed marito filiumfam. parit, *L. 196. §. 1. de verb. sign.* licet nuptiis filiaefam. non solvatur ius patris: *L. 2. §. 1. L. 29. solut. matr.* *L. 1. §. ult. de iniur.* et quoniam mulier familiam non propagat, familiae suae finis dicitur. *L. 195. §. ult. de verb. sign.*

## TITVLVS IX.

### DE PATRIA POTESTATE.

#### §. CXXIX. CXXX.

**D**iximus de potestate dominica. Quum vero et liberi sint personae alieno iuri subiectae, hinc iam porro de patria potestate agitur. Ante omnia observandum, patriam potestatem vel esse *iuris gentium*, vel *iuris Romani*. (1) Illa omnibus hominibus communis: haec Romanis tam propria est, ut Iustinianus scribat; *nulli enim alii sunt homines, qui tali in liberos potestate utantur, quali nos utimur.* §. 2. *Inst. hoc tit.* (2) Potestas *iuris gentium* utrique parenti communis est: potestas *iuris Romani* patri tantum competit, non ma-

matri , cuius in potestate liberi non sunt. (3) Potestas iuris gentium ea tantum permittit parentibus , quae ad educandos liberos pertinent , e. g. ut possint liberorum actiones dirigere , eos castigare , cet. ast ius Romanum parentibus masculis eam potestatem dabat in liberos , quae competit dominis in servos. (4) Denique patria potestas iuris gentium exspirat liberis separatam insti-tuentibus oeconomiam ; patria potestas Romana non finiebatur nisi morte , vel si ipse pater liberos e potestate dimitteret ; unde ea potestas in nepotes et prou-nepotes porrigebatur. Sic sane discrimen in oculos incurrit. Nos iam de patria potestate Romana agimus ; cuius describimus (1) fundamentum , §. 131. ... 133. (2) effectus , §. 134. 135. (3) mutationes , §. 136. ... 139. (4) modos adquirendi patriam potestatem , §. 140.

### §. CXXXI. CXXXII. CXXXIII.

I. *Fundamentum patriae potestatis Romanae est dominium Quiritarium* , id est , huiusmodi dominium , quod non alii competit quam Quiritibus , scilicet Romanis ci-vibus. §. 2. *Inst. de iur. nat. gent. et civili.* Nimicum observandum , 1) liberos non fuisse personas ratione pa-tris , sed res. Servi respectu nullius hominis erant per-sonae , liberi personae erant respectu aliorum hominum , sed non respectu patris. 2) Quum itaque huius respectu essent res , non personae , erant in dominio patris ; hinc tamquam aliae res nostrae poterant vindicari , L. 1. §. 2. ff. *de rei vindic.* furto surripi , et actio furti ob illos institui. L. 14. §. 13. et L. 37. ff. *de furt.* Denique tamquam res , liberi poterant solemini ritu mancipari vel vendi. Vnde primus illustris Corn. van Byn-kershoeck , *in libello de iure occidendi liberos* , cap. 1. docuit , *patriam potestatem Romanam nihil fuisse aliud , quam dominium iuris Quiritium vel Quirita-rium.* 3) Ex eo itaque fluit axioma ; quacumque

potestate domini utebantur in servos aliasque res suas, eadem patres utebantur in liberos, iure Romano. Quin in eo durior erat liberorum quam servorum conditio, quod cum hi non nisi semel vendi possent, et semel manumissi liberi fierent, liberi ter a patre venundari possent, et bis manumissi semper tamen reciderent in patriam potestatem. Hoc est patriae potestatis Romanae fundamentum: hoc axioma est principium, ex quo omnes patriae potestatis effectus fluunt.

## §. CXXXIV.

II. Effectus illi duorum generum sunt; alii ex dominio Quiritario fluunt, de quibus §. CXXXIV. alii ex eo, quod filii filiaeve familias ratione patris non sint personae, de quibus §. CXXXV. Effectus patriae potestatis, qui ex dominio fluunt, hi sunt: 1) quod pater haberet ius vitae et necis in liberos, \*\* *L. II. f. de*

\*\* *De partus expositione et nece apud veteres eruditissimus exstat commentarius Gerardi Noodtii, quem Iulium Paulum ipse inscripsit. Nos inde huius immanis consuetudinis historiam quasi per indicem dabimus. Ex Romuli lege non licebat expondere masculos, nec ex sequiore sexu filias primigenias, nisi ex quinque vicinorum sententia monstrosi, debiles, aut insignes ad deformitatem essent iudicati. Dionys. Halic. Antiq. Roman. 2. pag. 88. Quae Romuli lex etiam in XII. tabulas cum aliis migravit. Cic. de legib. 3. cap. 8. At utraque lex adeo sensim exolevit, ut etiam sub Imperatoribus nihil esset ea expositione frequentius. Suet. Octav. 56. Calig. 5. Tacit. Histor. 5. cap. 5. Tertull. ad Nation. 1. cap. 15. Idque nec SC. Planciano, nec altero, quod sub Hadriano prodiit, mutatum fuisse, docet Ger. Noodt. Iul. Paul. cap. 3. qui etiam cap. 4. 5. 6. observat, sub Diocletiano adhuc et Maximiano, imo et sub Constantino licuisse infantes exponere, primosque eam trucidentiam inhibuisse Valentinianum, Valentem et Gratianum. L. 2. C. de Infant. exposit. Sed huic sententiae intercessit Vir illust. Corn. van Bynkershoek in libello de iur. occid. liberos, ubi ciuitus hoc cacoethes legibus vetitum statuit, quumque multo post sen-*

lib. et posth. Dionys. Halic. lib. 2. pag. 96. Id vero non intelligendum de promiscua occidendi licentia, (haec enim non *ius* vitae et necis, sed *iniuria* fuisse) sed de iure et facultate, qua pater tamquam iudex domesticus liberis admisso criminis ipse irrogare posset supplicium capitale, nec teneretur rem ad magistratum referre. Hoc modo a patribus animadversum in C. Cassium, Val. Max. lib. 5. cap. 8. §. 2. in Scaurum, Val. Max. ibid. §. 4. in Fulvium, Sall. de bel. Catil. cap. 39. 2) Quod patri liceret ter venundare filios, ita ut bis venditus et toties ab emtore manumissus nihilominus recideret in patris potestatem, eaque non nisi ter tertia manumissione exiret. Dionys. Halic. lib. 2. pag. 97. 3) Quod filius posset noxae dari. §. 7. Inst. de nox. act. Noxae vero dare est servum vel filium qui delictum privatum, ut furtum, rapinam, damnum, iniuriam commiserat, laeso tradere in satisfactionem. Patres ergo tenentur vel mulieram solvere pro liberis delinquentibus, vel, id si nollent, poterant filium laeso in servitutem addicere, vel noxae dare. 4) Quod, quidquid adquirerent, id olim patri adquirerent, aequa ac servi, ut infra dicemus ex instituto, lib. II. tit. IX. 5) Quod ea potestas et ad nepotes et pronepotes ex filiis, porrigeretur. Quia enim, cuius est res, eius etiam est rei accessio, et ideo et servorum liberi in potestate dominica sunt: hinc et liberi filiorum in eadem potestate sunt, in qua ipsi sunt constituti.

NB. Dico, id verum esse de nepotibus ex filiis. Filiae enim per nuptias in aliam familiam transeunt, et hinc liberi ex eis nati non sunt in potestate avi mater-

sententiam suam tueretur laudatus Noodtius singulari Epistol, ea de re nuper edita, sequutae sunt Bynkershockii *Curae secundae*, id est, notae et stricturae ad illam amicam Noodtii Respcionem. Rem confidere videtur locus Tertull. ad Nation. 1. cap. 15. (1566) 157  
ni,

ni , sed in potestate patris sui , vel si adhuc vivat,  
avi paterni.

## §. CXXXV.

Sequuntur effectus , qui ex eo flidunt , quod liberi respectu patris non sint personae , sed res. Ex eo principio fluit , quod 1) pater et filius in negotiis privatis habeatur pro una persona. *L. ult. C. de impub. et aliis subst.* Hinc pater omnia agebat loco filii , et filius poterat patri aliquid stipulari , sed non sibi ipsi. Id vero tantum intelligendum de negotiis privatis ; in publicis enim filiusfamilias pro patrefamilias habebatur: hinc et filius potest tutor esse , consul , praetor. *L. 9. ff. de his qui sui vel , cet.* 2) Quod nulla inter patrem filiumquefamilias esset actio , nulla obligatio , nulla lis , nullus contractus. Nemo enim secum ipse litigare vel contrahere potest. *L. 4. ff. de iudic.* §. 6. *Inst. de inutil. stipul.* 3) Quod posset pater liberis suis tutores testamento dare. §. 3. *Inst. de tutel.* Quia enim liberi sunt in dominio patris , (§. CXXXII. ) et dominus de rebus suis testari potest libere : hinc et pater poterat testari de liberis suis impuberibus , a quibus tutoribus regi debeant post mortem. Ex quo principio etiam inferebant , 4) quod possent patres liberis pupillariter substituere , id est , testamento suo ita disponere: filius meus heres esto , si intra pubertatem morietur, Maevius ei heres esto. *Princ. Inst. de pupil. substit.* 5) Quod nec uxorem ducere , nec mutuum accipere , nec quidquam aliud magni negotii peragere possent sine consensu parentis.

## §. CXXXVI.

III. Mutationem tamen non unam subiit haec patria Romana potestas 1) circa ius vitae et necis , §. CXXXVI.

2)

2) circa venditionem liberorum , §. CXXXVII. 3) circa adquaestum per liberos , §. CXXXVIII. 4) circa noxae dationem , §. CXXXIX.

I.) Prima mutatio observanda circa ius vitae et necis. \*\* Nec enim (a) amplius liberos licet occidere, sed modice castigare. *L. 3. C. de patr. potest. L. un. C. de emend. serv.* (b) Non ipse pater amplius animadvertisit in liberos criminis reos, sed index; cui tamen pater potest praescribere sententiam a iudice exequendam. *L. 3. C. de patr. potest.* Hinc quum olim pater in liberis non posset committere parricidium, (*vid. L. 1. ff. ad L. Pomp. de parric.*) hodie et pater tamquam parricida plectitur, si occiderit filium vel filiam. Ratio huius mutationis consultissima est. Aut enim parens est indulgens, aut saevus, aut vir iustus. Si indulgens, facile igno-

\*\* Quod ad ius vitae et necis attinet, ea mutatio a temporibus Traiani primum repetenda qui filium male contra pietatem a parente adfectum emancipavit, nec eo defuncto patri bonorum possessionem concessit. *L. ult. ff. si a parente quis manum. sit.* Eius exemplum deinde sequutus Hadrianus patrem, qui filium ob adulterii suspicionem in venatione occiderat, in insulam deportari iussit, quod latronis magis, quam patris iure eum interficerit, parum memor, patriam potestatem in pietate, non in atrocitate consistere debere. *L. 5. ff. ad L. Pompei. de parricid.* Hinc ab Alexandri Severi temporibus invaluit sensim mos, filios gravius delinquentes offerendi magistratibus, quibus tamen ipsi parentes praescribebant sententiam, in filiis exequendam. *L. 13. §. ult. ff. de re milit. L. 3. C. de patr. pot. L. 2. ff. ad leg. Corn. de siccari. et L. 11. in fin. ff. de lib. et post. hered. inst.* ubi Paulus, eorum temporum Iurisconsultus, non licet, inquit, occidere liberos, sed licebat. Denique ne id quidem relictum parentibus, ut filios immorigeros abdicarent. *L. 6. C. de patr. potest.* Ergo totum illud ius vitae et necis quod patribus olim competierat, paulatim restrictum, demum a Constantino M. sanctione poenali sublatum, *L. un. C. de bis qui par. vel lib.* totumque in magistratus translatum est per constitutionem Valentiniani. *L. un. C. de emend. propinq. Thomassii Diss. de usu pract. tit. Inst. de patr. potest. 1. 22. seq.*

scet

scet filio etiam scelestissimo. Sin saevus, facile iure suo abutetur in filium etiam innocentissimum. Si denique vir iustus, maximo cum dolore exsequetur iustitiam adversus liberos. Notum est exemplum legislatoris Atheniensis, Draconis, qui quum ipse legem tulisset de eruendis adultero oculis, filio huius delicti convicto, rogavit ut alter sibi, alter filio effoderetur. Hinc consultissimum est, magistratum potius, quam patrem hoc ius exercere.

## §. CXXXVII.

II) Altera mutatio facta circa ius vendendi liberos. \*\* Nam ex lege notabili Constant. M. L. 2. C. *de patr. qui fil. distr.* (a) non potest pater id ius semper exercere, sed urgente extrema paupertate, si ipse se filiumque alere nequeat. (b) Non potest pater quemcumque filium distrahere, sed tantum sanguinolentum, id est, eum, qui modo ex utero prodiit et nondum ablutus est. Cur quoae sanguinolentum tantum? quia vix probabile erat, eum emtorem reperturum. Quis enim emeret servulum, cui nutrice esset opus, et qui nullas praestare posset operas per multos annos?

\*\* Primus, ut videtur, Diocletianus liberos ullo titulo alienari vetuit. L. 1. C. *de patrib. qui fil. suos distr.* Deinde Constantinus parentibus, cum extrema inopia conflictantibus, liberos sanguinolentos tantum vendere permisit, ea tamen lege, ut liceret et patri vendenti, et filio vendito, aut cuicunque alii, pretio aut mancipio reddito, ad ingenuitatem provocare. L. 2. C. *de patr. qui fil. distrax.* Imo ne et hac venditione sanguinolentorum esset opus, paulo post idem imperator sanxit, ut inopes parentes alimenta e publico acciperent. L. 1. et L. 2. C. *Theod. de aliment. quae inop. parent. e publico petere debent lib. 11. tit. 27.*

## §. CXXXVIII.

3) Tertia mutatio pertinet ad aquaestum per liberos. Hodie enim non omnia, quae habet filius, adquiruntur patri, sed magna est inter peculia differentia; de qua ex instituto dicemus infra lib. II. tit. IX.

## §. CXXXIX.

4) Quarto nec filius hodie amplius potest noxae dari. Id enim ius mutavit Iustinianus, §. 7. *Inst. de nox. aff.*  
 5) Hodie raro aro competit potestas in nepotes vivo patre, quia hodie raro uxores ducunt liberi, nisi liberos ipsi alere possint; si vero id possunt, et separatam instituunt oeconomiam, tunc plerumque hodie tacite ex-eunt potestate patria (vid. infra §. CXCV.) Reliqui iuris effectus etiamnum in viridi sunt observantia.

## §. CXL.

IV. Reliqui sunt modi adquirendi patriam potestatem, ubi magna est analogia servorum et liberorum, quos a servis iure Romano parum differre diximus §. CXXXIII. Quemadmodum itaque servi aut nascuntur aut fiunt, §. LXXXI. : ita liberi aut nascuntur aut fiunt. *Nascuntur ex iustis nuptiis*; nam observanda est regula: *Pater est, quem iustae nuptiae demonstrant*: dummodo quis natus iusto tempore, nempe septimo mense a nuptiis, *L. 12. ff. de stat. hom.* vel decimo mense a morte patris, *L. 3. §. pen. ff. de suis et legit. hered.* *Fiunt vel per adoptionem*, vel per *legitimationem*. Quum itaque tres sint modi adquirendi patriam potestatem, *Nuptiae, Legitimatio, Adoptio*; de nuptiis agitur tit. X. de legitimat. tit. eod. de adoptione tit. XI.

TITVLVS X.  
D E N V P T I I S.

DIG. LIB. XXIII. TIT. II. COD. LIB. V. TIT. IV.  
Novell. XXII.

*Qui possunt nuptias contrabere.*

**I**Vstas autem nuptias inter se <sup>1</sup>cives Romani contrahunt, qui secundum praecepta legum coëunt: <sup>2</sup> masculi quidem puberes, <sup>3</sup>feminae autem viripotentes, sive patres familiarium sint, si-  
ve filii familiarum: dum tamen, si filii familiarum sint, <sup>4</sup>consensum habeant parentum, <sup>5</sup>quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, <sup>6</sup>et civilis  
<sup>7</sup>et naturalis ratio suadet: in tantum, ut iussus parentis <sup>8</sup>praecedere debeat. Vnde quaesitum est, an furiosi filia nubere, aut furiosi filius uxorem ducere possit. Quumque <sup>9</sup>super filio variabatur, nostra processit decisio, qua permisum est, ad exemplum filiae furiosi, filium quoque furiosi posse et sine patris interventu matrimonium sibi copulare, secundum datum <sup>10</sup>ex nostra con-  
stitutione modum.

<sup>1</sup> *Cives Romani*) Igitur cum servis, deportatis, peregrinis connubium non est. Vlpian. tit. 5. §. 5. L. 3. C. de incest. nupt. Cicer. in Topic. cap. 4.

<sup>2</sup> *Masculi puberes*) Post annum decimum quartum, infr. princ. quib. mod. tut. finit. quo tempore scribit Macrob. in Somn. Scip. lib. I. cap. 6. ipsam aetatem necessitate pubescere, et vim generationis in masculis moveri incipere; et Aristot. 7. de hist. anim. I. ¶-

*πεις σπέρμα πρότερος, καὶ τριχωσι τῆς ἡλεν.* At 7. *Pol.* 16. docet adolescentulorum matrimonia inepta esse precreationi; id-eoque lege prohibenda.

3 *Feminae viripotentes*) *Maturae viro.* *ἀγαίας.* *Theophilus*, *Ἄδειος Δικαιος.* Feminae post annos duodecim vi-rum pati posse creduntur, *L.* 4. *ff.* *hoc tit.* *L.* 10. *ff.* *de cond. et dem.* *L.* *pen.* *quando dies leg.* Cur in fe-minis citius vis generationis incipiat, quam in maribus, vid. Aristot. 4. *de gen. anim.* *cap. 6.* Macrob. 7. *Saturn.* 7.

4 *Consensum parentum*) *Nuptiae consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est, qui coēunt, quorumque in potestate sunt:* *L.* 2. *ff.* *hoc tit.* *L.* 12. *C. eod.* consensum tamen non impedit obsequium reverentiae paternae debitum. *L.* 22. *ff. eod.*

5 *Quorum in potestate*) Igitur matris consensus non requiritur, nec patris in nuptiis filii emancipati. *L.* 25. *ff. eod.* Filiae autem emancipatae minoris 25. annis arbitrium non est plane liberum. *L.* 18. *L.* 20. *C. eod.*

6 *Et civilis*) Scilicet patria potestas. In filiofamil. accedit et haec, ne cui invito suus heres agnascatur. §. 7. *infra tit. seq.*

7 *Et naturalis*) Reverentia et obsequium naturae lege parentibus omnibus debitum, *L.* 2. *ff. de Iust. et iur.* quo tamen contempto nuptiae non essent irritae, ni-si lex civilis adderet *διάραμψ αἰαγγεῖαν.* *L.* 11. *ff. de stat. hom.* *L.* 12. *C. hoc tit.*

8 *Praecedere*) Iussus, id est, voluntas sive con-sensus parentis praecedere debet, *L.* 25. §. 4. *de acq. hered.* eoque non sufficit hic ratihabitio, per *L.* 13. §. 6. *ad leg. Iul. de adult.* *L.* 11. *ff. de stat. hom.* *L.* 6. *C. hoc tit.* Sufficit autem vel tacitus consensus praecedens aut concomitans; *L.* 5. *C. eod.* *L.* 7. §. 1. *ff. de sponsal.* non enim velle debet pater, sed non nolle, id est, *οὐαγεῖν.*

9 *Super filio*) Cur magis super filio? quia filia nubit extra familiam patris, et marito suo liberos parit: filius autem uxorem ducit in domum patris, eique liberos gignit, aliquando suos heredes futuros avo paterno.

10 *Ex nostra constitutione*) Modus hic est, ut ex sententia curatoris ipsius furiosi, ex nobiliorum totius familiae, itemque Magistratus aut Episcopi ipsius civitatis de nuptiis statuatur. *L. 28. C. de Episc. aud. L. 25. C. hoc tit.*

*Quae uxores duci possunt, vel non. De cognatis:  
ac primum de parentibus et liberis.*

### §. I.

Ergo non omnes nobis uxores ducere licet: nam a quarumdam nuptiis abstinendum est. Inter eas enim personas, quae <sup>1</sup> parentum liberorumve locum inter se obtinent, contrahi nuptiae non possunt: veluti <sup>2</sup> inter patrem et filiam, vel avum et neptem, vel matrem et filium, vel aviam et nepotem, et usque <sup>3</sup> in infinitum. Et si tales personae inter se coierint, <sup>4</sup> nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. Et haec adeo vera sunt, ut quamvis per adoptionem parentum liberorumve loco sibi esse cooperint, non possint inter se matrimonio iungi: in tantum, ut etiam <sup>5</sup> dissoluta adoptione, idem iuris maneat. Itaque eam, quae tibi per adoptionem filia, vel neptis esse cooperit, non poteris uxorem ducere, quamvis eam emancipaveris.

1 *Parentum liberorumve locum*) Planius dixisset, *inter parentes et liberos*: nam patrui quoque et avuncu-

culi parentum locum obtinent. Theophil. *ἰπὲ τῶι ἀνέρωι  
ἡ γενίτωι, inter adscendentes et descendentes.*

2 *Inter patrem et filiam*) Intellige parentes et liberos etiam naturales tantum. Nam in contrahendis matrimonii naturale ius et pudor inspiciendus est: contra pudorem autem est filiam uxorem ducere. *L. 14. §. 2.  
ff. hoc tit.*

3 *In infinitum*) Et ita cape *Levit. cap. XVIII.  
vers. 6. et 8.*

4 *Nefarias atque incestas*) In summo scilicet gradu. Nam in his tanta est turpitudo et foeditas, ut natura omnes a tali coniunctione abhorreant. Et hoc est incestum, quod iure gentium committi scribit Paul. *L. ult. hoc tit.* nec eo minus ius, quia a Persis contemtum, ut recte Xenoph. *4. memorab.* add. Philon. *de special. legib. ad 6. praec. decal.* Ceterum et aliae nuptiae, quae ratione cognationis aut affinitatis prohibentur, incestae dicuntur, *L. 39. §. 1. L. 56. ff. hoc tit.  
L. 5. de quaest. L. ult. C. de incest. nupt.* De nomine hoc vid. Non. Isidor. Fest.

5 *Dissoluta adoptione*) Ex *L. 55. ff. hoc tit.* propter memoriam pristinae necessitudinis. Patris enim persona tam sancta et reverenda filiae esse debet, ut ad impediendas nuptias sufficiat vel aliquando patrem fuisse.

### *De fratribus et sororibus.*

#### §. II.

Inter eas quoque personas, quae ex transverso gradu cognationis iunguntur, est quaedam similis observatio, sed non tanta. Sane enim inter fratrem sororemque nuptiae prohibitae sunt, si-  
ve ab eodem patre eademque matre nati fuerint,  
si-

<sup>2</sup> sive ab altero eorum. Sed si qua per adoptionem soror tibi esse coeperit , <sup>3</sup> quamdiu quidem constat adoptio , sane inter te et eam nuptiae consistere non possunt : quum vero per emancipationem adoptio sit dissoluta , poteris eam uxorem ducere. Sed et si tu emancipatus fueris , nihil est impedimento nuptiis. Et ideo constat , si quis generum adoptare velit , debere eum antea filiam suam emancipare : et si quis velit nurum adoptare , debere eum <sup>4</sup> antea filium suum emancipare.

<sup>1</sup> Fratrem sororemque ) L. 17. C. hoc tit. quas nuptias etiam a Deo interdictas non uno loco reperimus. Levit. XVIII. vers. 9. et XX. vers. 17. Deut. XXVII. vers. 20. Plato 8. de legib. haec coniugia appellat μηδεμῶς ἔσται , γέ τε οὐκομόσῃ. Lucian. in Philop. ἀνελγάντι μήγετι. Cicer. I. de divin. nefarium stuprum.

<sup>2</sup> Sive ab altero eorum ) Convenit dict. cap. XVIII. Levit. vers. 9. 11. Athenis tamen consanguineam ducere licebat , id est , sororem διαντέρεις , non autem διαμέρεις. Nepos in Cimone , Philon de special. leg. ad 6. praece. decalog. Sed nec vulgo quaequitam sororem ducere licet. L. 54. ff. hoc tit.

<sup>3</sup> Quamdiu constat adoptio ) Ex Caio L. 17. ff. hoc tit. Paulus apud Rufin. Adoptiva cognatio impedit nuptias inter parentes et liberos omnimodo , inter fratres eatenus , quatenus capitis minutio non intervenit.

<sup>4</sup> Antea filium suum emancipare ) Alioqui dirimetur matrimonium , ut recte Theophil. et Graeci tom. I. Iuris Graeco Roman. lib. 8. cap. de adopt. fac. L. 67. §. 3. ff. hos tit. ad quam recte Theod. Balsam. ἀντεῖς γάμος λύεται , ἵνα πε τὸν ιδίου γαμβεῖται οὐθετίσῃται.

*De fratribus vel sororis filiis vel nepte.*

## §. III.

<sup>1</sup> Fratribus vero vel sororis filiam uxorem ducere non licet : sed nec neptem fratribus vel sororis quis ducere potest , quamvis quarto gradu sint : <sup>2</sup> cuius enim filiam uxorem ducere non licet , neque eius neptem permittitur. Eius vero mulieris , quam pater tuus adoptavit , filiam non videris impediri uxorem ducere : quia <sup>3</sup> neque naturali , neque civili iure tibi coniungitur.

<sup>1</sup> *Fratri vel sorori filiam* ) *Ex L. 17. C. eod. L. ult. C. de incest. nupt. Vlpian. apud Rufin. et in fragm. tit. 5. §. 6.* scribit permissum esse ducere filiam fratribus , non etiam sororis. Hoc Claudius invexerat : *Sueton. in Claud. cap. 26. Tacit. 12. Annal. cap. 6. et 7.* sed postea sublata haec differentia. *Dicit. L. 17. Legge quoque divina non obscure hae nuptiae vetantur hoc ipso , quod prohibemur ducere amitam et materteram, Levit. XVIII. vers. 12. et 13.* eadem enim ratio est.

<sup>2</sup> *Cuius enim filiam* ) *Cuius scilicet fratribus vel sororis :* nam regula haec universaliter intellecta falsa es-  
set. Possum enim ducere neptem avi mei , filiam eius non possum. Vera ratio est , quia invicem parentum et liberorum loco sunt , ut graduum hic respectus nullus sit. *L. 53. ff. hoc tit.*

<sup>3</sup> *Neque naturali* ) Non naturali , quia cognata tua non est : non civili , quia avunculus nemo fit per ad-  
optionem. *L. 12. §. ult. eod.*

*De*

*De consobrinis.*

## §. IV.

Duorum autem fratrum vel sororum liberi,  
vel fratri et sororis, <sup>i</sup> coniungi possunt.

<sup>i</sup> *Coniungi possunt*) L. 4. ff. hoc tit. L. 19. C. eod. exemplum in L. 78. §. 8. ff. ad SC. Trebell. Augustinus 15. de Civ. Dei cap. 16. de connubiis consobrini agens, ait ea nec divinam legem prohibuisse, nec ad sua usque tempora humanam. Prohibuerat hanc coniunctionem Theodosius Maior, teste Aurel. Victor. epit. cap. 48. sed filii revocaverunt. *Dict.* L. 19. Post Iustinianum denuo improbata. Harmenop. L. 4. tit. 6. Attalit. tit. 26. Eclog. Leon. et Constant. tit. 12. Monach. tit. de grad. sept. consang. unde et Theoph. negationem addidit, *εἰς διαντα τοις απλεσθεῖς*. Et Caius iunior, lib. 1. Instit. tit. 4. §. 7. Ex Gotthorum iure. Cuiac.

*De amita, materterta, amita magna,  
materterta magna.*

## §. V.

Item amitam, <sup>i</sup> licet adoptivam, ducere uxorem non licet; item nec materteram: quia parentum loco habentur. Qua ratione verum est, magnam quoque amitam, et materteram magnam prohiberi uxorem ducere.

<sup>i</sup> *Licet adoptivam*) Hoc consulto hic additum, in materterta omissum: quoniam materterta non magis per ad-

adoptionem fieri potest, quam avunculus. L. 12. §. ult.  
ff. hoc tit. Eadem verba repetenda quoque sunt in ami-  
ta magna. L. 17. in fin. eod.

*De affinibus, et primum de privigna vel nuru.*

§. VI.

1 Affinitatis quoque veneratione a quarundam nuptiis abstinere necesse est: ut ecce 2 privignam aut nurum uxorem ducere non licet: quia 3 utraeque filiae loco sunt. Quod ita scilicet accipi debet, si fuit nurus aut privigna tua. Nam si adhuc nurus tua est, id est, si adhuc nupta est filio tuo, alia ratione uxorem eam ducere non poteris: quia 4 eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc privigna tua est, id est, si mater eius tibi nupta est, ideo eam uxorem ducere non poteris, 5 quia duas uxores eodem tempore habere non licet.

1 *Affinitatis*) Affines sunt viri et mulieris cognati. L. 4. §. 3. ff. de grad. et affin. οἱ τοιχαῖοι συγγενεῖς. Gloss. lat. gr.

2 *Privignam*) Quae sic dicta, quod genita, antequam mater secundo nuberet. Fest.

3 *Vtraeque filiae loco*) Regula iuris civilis est, eos, qui in numero parentum aut liberorum sunt, coniungi non posse; L. 53. ff. hoc tit. cui locus etiam in affinitate. L. 14. §. ult. eod. Levit. cap. XVIII. vers. 15. et 17. I. ad Corinth. V. vers. 1.

4 *Eadem duobus nupta*) Nullam apud gentem licitum unquam fuisse legimus, ut una mulier duobus aut pluribus viris nuberet.

5 *Quia duas uxores*) L. 2. C. de inc. nupt. L. Tom. I. Y 18.

18. *C. ad leg. Iul. de adult.* Multae quoque aliae gentes virum unicae mulieri copularunt. Dionys. Halicarn. lib. 2. pag. 94. seq. Rarae binae in occidente nuptiae. **D**e Germanis testatur Tacit. *de morib. Germ.* cap. 18. Valentinianus permittere voluit. Nicephor. Calist. lib. 11. cap. 33. Iul. Poll. *in Chron.* In Republic. Christiana tolerari non oportere, evincunt, quae *apud Matth. cap. V. vers. 32. et XIX. vers. 5. Marc. X. vers. 7. 8. Luc. XVI. vers. 18. Paul. I. Corinth. VII. vers. 10.*

*De socru vel noverca.*

§. VII.

Socrum quoque et novercam prohibitum est uxorem ducere: quia matris loco sunt. Quod et ipsum dissoluta demum affinitate procedit: aliquin si adhuc noverca est, id est, si adhuc patri tuo nupta est, communi iure impeditur tibi nubere, quia eadem duobus nupta esse non potest. Item si adhuc socrus est, id est, si adhuc filia eius tibi nupta est, ideo impediuntur tibi nuptiae, quia duas uxores habere non potes.

**I** *Duas uxores*) Bigami poena capitalis est. Theophil. θεοφίλου τῶν μονχῶν ἐγκλημάτων. 60. Basil. lib. 37. cap. pen. et recte: nam ut ait Tertull. *adv. Marc.* lib. 4. cap. 34. *Manente matrimonio nubere, adulterium est*: fac. L. 18. *C. ad leg. Iul. de adult.*

*De comprivignis.*

§. VIII.

**I** Mariti tamen filius ex alia uxore, et uxoris fi-

filia ex alio marito , vel contra , matrimonium  
2 recte contrahunt : licet habeant fratrem , soro-  
remve ex matrimonio postea contracto natos.

1 *Mariti filius ex alia uxore*) Titius cum haberet  
filium ex coniuge defuncta , Semproniam uxorem du-  
xit , quae ex priore matrimonio filiam habebat . Quaeritur  
an inter filium Titii et filiam Semproniae nuptiae con-  
sistant ? Resp. consistere . Ratio est , quia nulla est inter  
comprivignos affinitas ; utpote quae ultra personas ma-  
trimonio iunctas non extenditur . Wesemb.

2 *Recte contrahunt*) L. 34. §. pen. ff. hoc tit. L.  
134. pr. de verb. oblig. Neque Levit. XVIII. vers.  
11. prohibentur nuptiae ἀμπλογογίαι , sed fratriis et  
sororibus ἀμοιραγίαι sive consanguineae.

*De quasi privigna , quasi nuru , et quasi noverca.*

### §. IX.

Si 1 uxor tua post divorcium ex alio filiam  
procreaverit , haec 2 non est quidem privigna tua:  
sed Julianus ab huiusmodi nuptiis 3 abstineri de-  
bere ait . 4 Nam constat , 5 nec sponsam filii nu-  
rum esse , nec patris sponsam novercam esse : re-  
ctius tamen , et iure facturos eos , qui ab huius-  
modi nuptiis abstinuerint .

1 *Vix est*) Ex L. 12. §. 1. 2.  
et 3. ff. hoc tit. Vix est , ut huiusmodi casus nunc  
existat . Sed et pridem apud Romanos desierunt bona  
gratia matrimonia dissolvi . De iure , quod antea obti-  
nebat , Augustin. 1. ad Valer. de nupt. et concup.  
cap. 10. et de bon. coniug. cap. 8.

2 *Non est privigna*) Ratio ex notatione verbi . Pri-

vignus enim dictus , quod prius quam mater secundo nuberet , genitus est. Fest. *Graecis περιγραφας*.

3 *Abstineri debere*) Propter honestatem , quae in coniunctionibus spectatur. *L. 42. ff. hoc tit.* εἰ τοῖς γάμοις ἡ μόνη τὸ ἐπιτεγμένον ζητήμει , ἀλλὰ ό τὸ ἐντεπτόν , ut aiunt interpres canonum. Quod non vetat lex , hoc vetat fieri pudor. Fabrot.

4 *Nam constat*) Argumentum a comparatione minorum. Multo enim mihi minor cum sponsa filii necessitudo , quam cum quasi illa privigna , cuius mater mihi nupta fuit. Hotom.

5 *Nec sponsam filii nurum*) Proprie sponsa non est uxor. *L. 12. §. 1. et 2. hoc tit.* Improprae tamen appellatione nurus sponsam quoque accipimus. *L. 6. §. 1. L. 8. ff. de grad. et affin.* Est enim sponsa quasi uxor , et sponsus quasi maritus. Tertull. *de vel. virg. cap. 6. Desponsata enim , quodammodo nupta.*

### *De servili cognatione.*

#### §. X.

Illud certum est , serviles quoque cognationes impedimento nuptiis esse : si forte pater et filia , aut frater et soror <sup>2</sup> manumissi fuerint.

1 *Serviles cognationes*) *Ex L. 14. §. 2. ff. hoc tit.* idemque observatur et in servilibus affinitatibus. *Dicitur L. 14. §. 3.* Nam in nuptiis naturale ius et pudor inspicitur ; *dicitur L. 14. §. 2.* alias non facile ulla servilis videtur esse cognatio. *L. 1. §. 2. ff. unde cogn.*

2 *Manumissi*) Nam servorum inter se nullum matrimonium est. Utique tamen nec servile contubernium inter has personas permissum. Wesemb.

*De*

*De reliquis prohibitionibus.*

## §. XI.

Sunt et <sup>1</sup> aliae personae, quae propter diversas rationes nuptias contrahere prohibentur, quas in libris Digestorum seu Pandectarum ex veteri iure collectarum enumerari permisimus.

<sup>1</sup> *Aliae personae*) Veluti tutor et pupilla, curator et adulta, Praeses et provincialis, Senator et libertina. L. 36. et 2. seqq. L. 44. L. 57. L. 59. et seqq. ff. hoc tit.

*De poenis iniustarum nuptiarum.*

## §. XII.

Si adversus ea, quae diximus, aliqui coerint; <sup>1</sup> nec vir, nec uxor, nec nuptiae, nec matrimonium, <sup>2</sup> nec dos intelligitur. Itaque ii, qui ex eo coitu nascuntur, in potestate patris non sunt: sed tales sunt (<sup>3</sup> quantum ad patriam potestatem pertinet) quales sunt ii, quos mater vulgo concepit. Nam nec hi patrem habere intelliguntur, <sup>4</sup> quum et his pater incertus sit: unde solent *Sprilli* appellari <sup>5</sup> παρά τὴν σωτηρίαν, id est, a satione, et <sup>6</sup> πατέρος, quasi sine patre filii. Sequitur ergo, ut dissoluto tali coitu, <sup>7</sup> nec dotis, nec donationis exactio locus sit. Qui autem prohibitas nuptias contrahunt, <sup>8</sup> et alias poenas patiuntur, quae sacris constitutionibus continentur.

<sup>1</sup> *Nec vir nec uxor*) Sunt enim haec <sup>8</sup> οὐδὲ μηδέ πατέρα iu-

iusti coniugii nomina. Poena igitur communis omnium iniustarum coniunctionum est , quod ipso iure tales nuptiae nullae sint : sicut nec cetera consistunt , quae contra leges fiunt. L. 5. C. de legib.

2 *Nec dos* ) Matrimonium quidem sine dote esse potest , at dos esse non potest sine matrimonio. L. 3. ff. de iur. dot.

3 *Quantum ad patriam potestatem* ) Comparatio natorum ex illegitimo matrimonio cum vulgo conceptis , quantum attinet ad patriam potestatem. In hoc spuriorum et iniustorum liberorum par est conditio , quod sicut spuriis pater incertus est , ita qui nascuntur ex iniusto coitu , patrem non habere credantur : quoniam licet patrem demonstrare possint , eum tamen habent , quem habere non licet. L. 23. de stat. hom.

4 *Cum et his* ) Cuiac. legit , cum et is pater incertus est.

5 ΠΑΡΑ ΤΗΝ ΣΠΟΡΑΝ ) Theophil. quasi σωγάδη , id est , sparsim , vulgo , promiscue : quod sequuti Cuiac. et Hotom.

6 *Quasi sine patre* ) Non quod sine patre sint ; αἴτιον δὲ παρεῖσθαι τέκνον ἐν εἴη πολ' οὐ , ait Eurip. sed quoniam vulgivaga Venere natis pater incertus est. *Spurius* apud Romanos est primum nomen , sicut *Sextus* , *Decius* , cet. iisdemque notis et praenomen *Spurius* , et vulgo quae-sitos designabant , nisi quod illud ita notabant SP. hos S. P. interposito puncto. Hinc ex ioco natum , ut vulgo concepti *spuri* dicerentur. Plutarch. *quaest. Roman.* cap. II.

7 *Nec dotis nec donationis exactiōni locus sit* ) Sed dos et donatio haec fit caduca , id est , fisco vindicatur , L. 32. §. ult. ff. de donat. int. vir. et uxor. L. 4. et auth. incestas. C. de incest. nupt. Donationis propter nuptias in aliis mentio non fit , nec apud Theophil.

8 *Et alias poenas* ) Pro qualitate delicti : tot. tit. C.

C. de incest. nupt. Nov. 12. L. ult. ff. hoc tit. L.  
38. ff. ac leg. Iul. de adult. et simil.

*De legitimatione.*

§. XIII.

Aliquando autem evenit , ut liberi , qui statim ut nati sunt , in potestate parentum non sunt , postea redigantur in potestatem patris : qualis est is , <sup>1</sup> qui dum naturalis fuerat , <sup>2</sup> postea curiae datus potestati patris subiicitur ; nec non is , qui <sup>3</sup> a muliere libera procreatus , <sup>4</sup> cuius matrimonium minime legibus interdictum fuerat , sed ad quam pater consuetudinem habuerat , postea ex nostra constitutione <sup>5</sup> dotalibus instrumentis compositis , in potestate patris efficitur . <sup>6</sup> Quod et aliis liberis , qui ex eodem matrimonio postea fuerint procreati , similiter nostra constitutio praebuit.

<sup>1</sup> Qui dum naturalis ) Natus ex concubina non ex stupro , scorto , aut coniunctione legibus vetita. L. 45. C. de Episc. et Cler. Nov. 74. cap. 6. Balsam. ad Synod. Laodic. in quo errat Theophil. Nam concubina legibus cognita , non est meretrix.

<sup>2</sup> Postea curiae datus ) In curiam cooptatus , curialis factus. L. 9. C. de nat. lib. Modus hic legitimandi manat ex Constitutione Theodosii , L. 3. C. eod. et Leonis. L. 4. eod. deque eo latius agit Iustinian. Nov. 89. cap. 2. et seq. Causam praebuere onera curialium. Theophylact. in Marc. cap. 15. Sozom. hist. eccles. 1. cap. 8.

<sup>3</sup> A muliere libera ) Id est , ingenua L. 10. C. diit. tit. idem tamen est , si est libertina vel ancilla.

la. Novel. 18. cap. ult. Nov. 89. cap. 8. Cuiac.

4 *Cuius matrimonium minime interdictum*) Hoc ex eo necessario efficitur, quod concubina uxor ducenda est.

5 *Dotalibus instrumentis*) Id est, *nuptialibus*, ut in dict. L. 10. et alibi saepe. Tabulas autem necessarias esse, arguunt quotquot sunt loci, in quibus de hac specie legitimationis agitur. In constitutionibus Graecis appellatur *σιά τεγονώσαι μητρεώς*.

6 *Quod et aliis liberis, qui postea*) Cuiac. legit. *Quod si alii liberi ex eodem matrimonio fuerint procreati*, cet. ut sit sensus, liberos antea susceptos, a Iustiniano aequari postea natis, ut posteriores, in hereditate patris, potiores non sint, sed una eademque lance trutinentur, ut est in dict. L. 10. Malim tamen legere cum Hotom. *Quod etsi alii liberi nulli ex eodem matrimonio fuerint procreati*, cet. §. 2. inf. de her. quae ab intest. de quo dubitatum fuit propter dict. L. 10. ut constat ex L. 11. C. eod. ubi haec quaestio deciditur: utut est, beneficio principali non indigent, qui ex iustis nuptiis procreati sunt. Introduxit postea Iustinianus et tertium legitimationis genus per Rescriptum Principis. Novel. 74. cap. 2. Novel. 89. cap. 9. et 10.

## TITVLVS X.

### DE N V P T I I S.

#### §. CXLI.

**P**rimus modus acquirendi patriam potestatem sunt nuptiae: unde et de iis agitur hoc tit. X. Hinc ante omnia observandum, maximopere differre iura circa nuptias: aliud enim iustum est iure naturae et gentium

tium , aliud iure canonico , aliud iure civili , aliud iure Protestantium . E. g. ius naturae plane ignorat ritus nuptiales ; ius canonicum eos putat necessarios , quia matrimonium est sacramentum ; ius civile putat , nuptias solo consistere consensu : denique ius Protestantium doctrinam de sacramento reiicit et ritus nuptiales unicuique magistratui permittit . Ne itaque confuse omnia tractentur , distincte haec iura considerabimus , et disciemus , I.) quid sint nuptiae , §. 142. 143. II.) quibus ritibus ineantur , §. 144. III.) Quinam possint inire matrimonium ? §. 145. ... 159. IV.) Quaenam sit iustarum nuptiarum poena , §. 160.

## §. CXLII.

Quod (I.) ad *definitionem nuptiarum* attinet , aliter eas definiunt DD. iuris naturae , aliter canonistae , aliter ius civile , aliter protestantes . 1) *Iure naturae* nuptiae sunt *viri et mulieris coniunctio ad liberos procreandos comparata* . Hinc iure naturae non queritur , an duae personae coniungi debeant , an plures ? an istae personae possint esse cognatae vel affines ? an coniunctio debeat esse perpetua ? Haec omnia enim aliis legibus inventa sunt . Iure naturae sufficit , si finis obtineatur , qui est *procreatio sobolis* . Hinc iure naturae iustae fuere nuptiae inter Adami liberos , id est , fratres et sorores , quia tunc nullae aliae leges exstabant , quibus huiusmodi nuptiae prohiberentur . 2) *Iure canonico* nuptiae sunt *sacramentum* , quo *vir et mulier secundum pracepta Ecclesiae coniunguntur* . Vocant nuptias *sacramentum* . Notum enim est , septem esse in Ecclesia catholica sacramenta , inter quae et matrimonium recensetur . Dicunt , quo *vir et mulier secundum pracepta Ecclesiae coniunguntur* . Quia catholicis nefas est nuptias furtim contrahere absque legitimo ritu ab Ec-

clesia praescripto. 3) *Iure civili nuptiae sunt \*\* coniunctio maris et feminae, consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio.* L. I. ff. de rit. nupt. Coniunctionem vocant matrimonium, quia iure Romano con-

\*\* Fiebant nuptiae apud Romanos vel ita, ut uxor conveniret in manum, et fieret *materfamilias*, vel ut sine in manum conventione dotalia conficeret instrumenta, et non *materfamilias*, sed *matrona* haberetur. Gell. 18. cap. 6. Prius non sola fiebat *confarreatio* et *cōmītio*, sed et *usu*, ut diserte tradit Cicero pro Flacco cap. 34. *Confarreatio*, a Romulo inventa, fuit ritus nuptiarum antiquissimus, quo certis verbis, et testibus decem praesentibus, et solemnī factō sacrificio, in quo panis quoque farreus adhibebatur, uxor conveniebat in manum mariti. Dionys. Halicarn. lib. 2. pag. 95. Vlp. *Fragm.* tit. 9. §. 1. Erat vero hic ritus non pontificibus flaminibusque proprius, ut nonnulli recentiorum existimant, Boët. ad Cicer. Topic. 3. Alex. ab Alex. Genial. dier. 2. cap. 5. Dalechamp. ad Plin. Hist. natur. 18. cap. 3. sed civibus Romanis omnibus communis, quamvis in pontificum et flaminum matrimoniis necessarius videretur, ac proinde inter illos diutissime servaretur. Praeterquam enim, quod id disertis verbis testatur Dionys. Halic. loc. cit. ipso sane loco Taciti *Annal.* 4. cap. 16. quo tamen imprimis nituntur dissentientes, id non obscure firmatur. Nihil enim rari aut inusitati habuisse illa patrimoniorum et matrimoniū inopia, de qua conqueritur Tacitus, si soli flamines ac Pontifices hoc ritu iniissent matrimonium.

Effecta confarreationis erant, 1. *sacrorum communio*. Dionys. Halic. lib. 2. pag. 95. *Mulierem nuptam, quae iuxta leges sacras convenerat cum viro, Romulus participem esse voluit omnium honorum et sacrorum.* Scilicet in ipsis veterum aedibus erant Dii Penates cuivis familiae proprii, quo ipso differebant a Laribus, quippe qui erant communes omnibus. Illi in cubiculo, porticu, atque atrio; hi etiam in compitis, viis, imo et in castris, et navibus colebantur: unde Lares *domestici*, *compitales*, *militares* et *marini*, Lares item *comitio potentes*, *publici*, *viales*, *civitatum*, *rurales*, in marmoribus et apud veteres auctores passim occurrunt. Vtriusque simulacula dedicata erant, caninis induita pellibus, Plutarch. *quaest.* Rom. pag. 276. et arae positae ac fœci, res in domo sanctissimae, a quibus ad eo

sensus facit nuptias, quamvis concubitus non accesserit; quo pertinent notabiles textus *L. 5. L. 6. ff. de rit. nupt.* Porro coniunctio maris et feminae: Romanis enim prohibita erat polygamia simultanea. *§. 6. et 7. Inst.*

eo nemo poterat sine ingenti scelere abstrahi. Cicer. *pro Do-  
mo 1. et pro Rege Deiot. cap. 5.* Quemadmodum vero ad haec  
sacra non nisi illi admittebantur, ad quos aliquando transi-  
tura esset sacrorum hereditas: ita non arctior poterat esse co-  
iunctio, quam qua quis in alterius gentem et sacra transiret.  
Praeterea eiusmodi sacrorum communio rescindi non poterat,  
nisi auctores fierent Pontifices, nec certior erat spes successio-  
nis, quam quae ex illa sacrorum ~~u&xi~~ nascebatur. Et hinc  
patet ratio, cur in his nuptiis tam necessaria fuerit domum  
deductio, multis facta solemnibus, quas describit Barn. Bris-  
son. *Antiq. 1. cap. 18. et de ritu nupt. pag. m. 180.* Fixa enim  
erant Penatium sacra, ac hereditaria; hinc nemo per confar-  
reationem uxorem accipere poterat, nisi cui esset domus ac la-  
rarium, in quo uxor cum eo communibus sacris frueretur.

Deinde et id singulare erat confarreationis effectum, 2.  
quod ex confarreatis parentibus nascerentur patrini, et matri-  
ni, quorum magna erat in sacris praerogativa. Tacit. *Hist. 4.  
cap. 51.* Fest. voce *Flamin. et patrimus.* Adhaec id sequeba-  
tur effectum, 3. ut uxor, quae confarreatione in manum con-  
venerat, fieret *materfamilias*, et filiae loco haberetur, adeoque  
esset heres sua. Dionys. *loc. cit.* Vlp. *tit. 22. §. 14.* Gell. *18.  
cap. 6.* Quaeri hic solet, an uxor per confarreationem libe-  
rata patria potestate, in viri potestatem transierit? Affirmat  
Ant. Hotom. *de rit. nupt. 20. pag. 298.* Sed negant alii. Tho-  
masius *Diss. de usu pract. doctr. Inst. de nupt. 1. pag. 22.* Ve-  
rum licebit hic cum Hotomano facere. Auctores sane omnes  
farentur, I. uxorem convenisse in manum. *Manum* vero in iu-  
re significare potestatem, tralatitium est. Imo II. Gellius *Noct.  
Att. 18. cap. 6.* multo disertius uxorem eiusmodi *in mancipio*  
fuisse statuit. In mancipio vero esse procul dubio includit po-  
testatem, (Vlp. *Frag. tit. 10. rubr.* et ibi Schulting, et *tit. 19.  
§. 18.*) imo et ipsum dominium iuris Quiritium. Bynkersh. *de  
Iure occid. lib. cap. 1.* Idemque sibi volunt auctores, quando  
uxorem marito *servire* dicunt.

III. Observavimus, confarreatas uxores in sacris mariti fuisse.  
Sacrorum vero communio coniuncta erat cum potestate. Vnde

*hoc tit. Addunt, consortium omnis vitae: uxor enim cum viro eadem domo degere tenebatur; unde phrases, domum ducere, uxorem ducere. Denique, divini et hu-*

*formulae: in parentum sacris esse constitutum, in gentem et sacra alicuius transire, sacris paternis absolvei, cet. Vid. Barn. Brisson. de Verb. sign. voc. sacris patern. Accedit IV. quod Vlpianus in manum conventionem inter genera capitis deminutionis refert. Tit. II. §. 13. Quomodo vero capite deminuta dici potuissest uxor, si vel sui iuris, vel in patria potestate mansisset? Praeterea V. re ipsa potestatem summam in uxores, non secus ac in filias, exercebant mariti. Quidquid adquirebat uxor, marito adquirebat. Omnia enim, quae eius erant, viri siebant dotis nomine. Cicer. Topic. 4. Ius quoque vitae et necis competiisse maritis in uxores adulteras, vinosas, aliisque se sceleribus polluentes, notum est ex Dionys. Halic. 2. pag. 96. Gell. 2. cap. 23. ex quibus patet maritos domi suea tamquam iudices de uxorum criminibus cognovisse. Exempla vide apud Plin. Hist. nat. 14. cap. 13. Quare negandum haud videtur, uxores, quae confarreatione in manum venerant, in potestate maritorum fuisse. Ger. Noodt Probab. 2. cap. 9.*

Quartum effectum erat, 4. quod maritus bona omnia uxoris nomine dotis acciperet. Cicer. Topic. 4. et id quidem procul dubio, quia illa erat in mariti potestate, ceu paulo ante diximus. Quintum effectum erat, 5. quod connubium eiusmodi dissolvi non posset, nisi diffarreatione, quae, quum teste Festo, voce diffarreatio, esset genus sacrificii, procul dubio non nisi auctoritate pontificum siebat, et hinc erat rarissima et difficillima, in qua teste Plutarcho Quaest. Rom. pag. 276. multa tristia ac abominanda fieri solebant. Quare primis reipublic temporibus extitisse negant divortii exemplum usque ad A. V. C. DXX. Dionys. 2. pag. 96. Plut. in Romul. pag. 39. et in Numa pag. 77. Enimvero hic ritus confarreationis ob incuriam virorum et feminarum, difficultatesque caerimoniarum, studium item conservandae patriae potestatis, impensarum magnitudinem, et maxime denique ob gratissimam divortiorum licentiam, ita sensim obsolevit, ut Tiberii tempore non amplius reperiri possent tres flaminei candidati, confarreatis progeni parentibus. Tacit. Annal. 4. cap. 16.

Diutius paulo viguit secundus nuptiarum ritus, videlicet coëmtio. Et sane videtur coëmtio et in confarreatione fuisse adhibita, tamquam ritus accessorius. Ast postremis temporibus Ro-

*mani iuris communicatio*; Romani enim habebant suos deos domesticos, quos lares et Penates appellabant: eorum sacrorum domesticorum participes siebant uxores.

Romani, neglecto primario confarreationis ritu, solum accessoriū, id est, coēmtionem retinuerunt, et inde factum, ut multis secundus hic modus ab illo primo non videatur discrepare. Cicero certe *pro Flacco cap. 34.* modos recensens, quibus in manum conveniatur, confarreationis plane non meminit, sed coēmtionis et usus, eam haud omissurus, si reipsa eo tempore inter confarreationem et coēmtionem quaedam fuisse differetia. Siebat coēmtio non solum a sponso, sed et a sponsa. Primo ergo asse siebat coēmtio viri more Quiritium, id est, per aes et libram, adhibitis quibusdam verbis solemnibus. *Serv. ad Virg. Aeneid. 4. vers. 214.* *Petr. Fab. ad L. 16. de reg. iur.* Secundo uxor sibi veluti coēmebat Lares et Deos penates, ut sacrorum fieret particeps. Tertio sibi veluti aditum patefaciebat in mariti domum. Nam sponsa domum deducenda in horto aliquamdiu commorabatur, donec diruta maceria in domum mariti transiret. *Terentius Adelph. act. 5. scen. 7. vers. 10. seqq.*

*Atque banc in borts maceriam iube dirui,*

*Quantum potest: bac transfer: unam fac domum:*

*Traduce et matrem, et familiam omnem ad nos.....*

Ceterum quaenam fuerint illa verba coēmtonis solemnia, non constat. Necessaria ea fuisse, docet Cicero *de Orat. 1. cap. 56.* sed qualia fuerint, non commemorat. Effecta coēmtonis, (nisi quod ex his nuptiis non nascerentur patrimi et matrimi) erant eadem, quae confarreationis. Quemadmodum vero nuptiae confarreationis ritu contractae, diffarreatione; ita factae per coēmtonem, remancipatione dissolvebantur, ceu ex Feste erudite probat Raevardus *ad LL. XII. Tab. cap. 21. in fin.*

Tertius modus contrahendi matrimonium erat usus; qui in eo constituit, quod sine confarreatione et coēmtonē maritus uxorem usucaperet. Si enim haec auctore tuto cum viro consueverat annum unum, nec ante finem anni usurparum iverat, id est, tribus noctibus a viro non abfuerat, videbatur tunc usucpta et possessione quae sita. *Gell. 3. cap. 2.* Quemadmodum itaque usucapio est modus adquirendi dominium iuris Quiritium: ita dubitari nequit, quin et usu uxor convenerit in manum, et veluti in dominium Quiritarium mariti, vel eiusdem potestatem redacta sit. *Cicer. pro Flacc. cap. 34.* *Petr. Pith. ad Pariat. LL. Mos. et Rom. tit. 16. §. 2.* Si itaque uxor nollet in

ma-

4) Denique Protestantum nuptiae sunt *societas maris et feminae indissolubilis et divinitus instituta, ad generationem prolis et mutuum vitae adiutorium ineunda.* Dicuntur nuptiae *societas maris et feminae ob verba Genes. II. vers. 24.* dicuntur *societas indissolubilis ob Matth. XIX. vers. 6.* dicuntur *divinitus instituta ob Genes. III. vers. 12.* additur, *ad generationem prolis ob Genes. I. vers. 28. et mutuum vitae adiutorium ineunda, ob Genes. II. vers. 18.*

### §. CXLIII.

Ex his definitionibus fluunt diversa fundamenta decidendi causas matrimoniales. Nam 1) ius naturae eas decidit *ex fine matrimonii*: quidquid ei repugnat, id iniustum est, e. g. matrimonium eunuchi. 2) Ius Romanum eas decidit *ex honestate et legibus civilibus*. Hinc e. g. nemo potest ducere filiam adoptivam, quum tamen nulla impedit consanguinitas. 3) Ius Pontificium eas decidit *ex S. S. et ex praeceptis Ecclesiae*. Hinc e. g. non permittitur clericis matrimonium. 4) Protestantes omnia referunt unice ad *ius divinum* in S. S. revelatum. Quae fundamenta diversa doctrinas etiam parciunt diversissimas.

manum convenire, instrumenta quidem dotalia conficiebantur, et domum deducebatur, sed dabat illa operam, ut saltim tres noctes a marito abasset. Sic enim per usurpationem interrumpebatur singulis annis usucapio, adeoque uxor vel in potestate patris, vel in tutela agnatorum manebat, sine quorum auctoritate in manum convenire non poterat. Cicer. *pro Flacc. ibid.* Contracto sine uno horum rituum matrimonio, uxor non conveniebat in manum mariti, neque adeo fiebat materfamilias, sed *matrona*. Gell. 18. cap. 6. Et hinc neque succedebat ab intestato marito, neque hic uxor bona omnia dotis nomine accipiebat. Vocabatur tamen uterque coniux ad bonorum possessionem edicto: *unde vir et uxor.*

§.

## §. CXLIV.

Haec tenus de nuptiarum definitione. Sequuntur II.) iam *ritus*, quibus matrimonium iniri solet. Hic sciendum, 1) iure Romano consensum solum facere nuptias, non concubitum, non domum deductionem; quae tantum effectus sunt ad complementum nuptiarum. Hinc et absens potest ducere absentem, *L. 5. ff. de rit. nupt.* et absens ante concubitum mortuus ab uxore sua lugendus est. *L. 6. ff. eod.* Sic et paeta dotalia valent statim post nuptias, quamvis sponsa, antequam torum inscendat, moriatur. 2) Ast iure canonico praeter consensum requiritur benedictio sacerdotalis. Nam si haec non accesserit, matrimonium quidem *ratum* erat, sed *non legitimum*. *Cap. 7. et cap. 8. & de divorciis*, id est, huiusmodi matrimonium apud catholicos habebat effectus civiles, sed non ecclesiasticos. Ecclesia eos non agnoscebat pro coniugibus. Post concilium Tridentinum matrimonia clandestina nec legitima nec rata sunt, imo irrita et nulla. 3) Quid Protestantes? Resp. Hi a) requirunt consensum, sine quo nuptiae consistere non possunt. *L. 2. ff. de rit. nupt.* b) Requirunt etiam singulorum locorum ritus, e. g. proclamationem ex suggestu, benedictionem coram facie Ecclesiae, vel copulationem in curia. c) His ritibus non accendentibus matrimonium nec legitimum nec ratum habetur. Hinc memini tamquam concubinarium damnatum, qui cum uxore clam inierat matrimonium sine benedictione ecclesiastica; quod Galli vocant *un mariage de conscience*.

## §. CXLV.

Iam III.) quaeritur porro, quaenam personae ineant nuptias? Hic sequentia notentur requisita. 1) Ut mas sit pubes, id est, annorum 14. femina viri potens, id

id est , annorum 12. *princ. Inst. quib. mod. tut. fin.*  
alias enim sufficere non censentur fini matrimonii , id  
est , procreationi sobolis et mutuo adiutorio. Evidem  
ius canonicum et impuberibus nuptias concedit , si , ut  
loquuntur , malitia suppleat aetatem. *Cap. 3. ¶ de*  
*despons. imp.* sed id non admittunt Protestantes privatis.  
Principibus etiam impuberibus nuptiae conceduntur , sed  
ita ut earum implementum per concubitum differatur in  
annos pubertatis. 2) *Vt unus ducat unam , una nubat*  
*uni.* Nam polygamiam praeter ius naturale omnia iura  
damnant. De iure civili id constat *ex §. 6. et 7. Inst.*  
*de nupt. de iure divino , ex Matth. XIX. vers. 8. coll.*  
*cum Genes. II. vers. 18.*

### §. CXLVI.

3) Tertium requisitum erat , ut nuptias inirent soli  
cives. *Princ. Inst. hoc tit.* Nam inter servos non erant  
nuptiae , sed contubernium , inter peregrinos non nu-  
ptiae , sed matrimonium. *L. 13. §. 1. ff. ad leg. Iul.*  
*de adult.* Id est , peregrini quidem uxores habebant,  
sed ea coniunctio non habebat eosdem effectus ac nu-  
ptiae Romanorum. Nam nec dos locum habebat , nec  
liberi ex eo matrimonio procreati in patris potestate  
erant. *Vt paucis dicam , omnes homines poterant inire*  
*matrimonium iuris gentium , sed non nuptias iuris civi-*  
*lis ; quod discriminem hodie plane cessat.* 4) *Vt liberi*  
*non ineant matrimonium sine patris consensu , cuius in*  
*potestate erant.* Hoc tamen necessarium erat apud Ro-  
manos , ut a) hic patris consensus praecedere deberet,  
*princ. Inst. hoc tit.* b) ut nuptiae sine eo consensu in-  
itiae , essent nullae , c) ut furiosi filius vetere iure vi-  
vo patre uxorem ducere non posset. *Princ. Inst. hoc*  
*tit.* Hodie consensum requirimus utriusque parentis , imo  
et curatorum , sed non tanto rigore. In hac provincia  
rigor satis magnus est et nuptiae huiusmodi rescindun-  
tur.

tur. Huber *prael. hoc tit.* Sed alibi non permittuntur quidem nuptiae , si absit consensus , sed semel tamen contractae non rescinduntur. Mores itaque variant.


### §. CXLVII.

5) Quintum requisitum est , ut personae possint per leges coniungi. Nam inter quasdam personas nuptiae prohibentur a) tamquam incestae , §. CXLVIII. ... CLVII. b) tamquam indecorae , §. CLVIII. c) tamquam noxiae , §. CLIX.

### §. CXLVIII.

a) *Tamquam incestae* prohibentur nuptiae *inter proximos cognatos et affines*. Ergo quaeritur 1) quid sit cognatio et affinitas , §. CXLVIII. 2) Quomodo computentur gradus , §. CXLIX. ... CLIII. 3) Qui gradus sint prohibiti ? §. CLIV. ... CLVI.

1) Primo igitur quaeritur , quid sit cognatio et affinitas ? Resp. *Cognatio est inter personas , quae a communi stipite descendunt* , e. g. pater et filia sunt cognati , nam descendunt a communi stipite , nempe ab avo. Frater et soror sunt cognati , descendunt enim ab eodem patre vel matre. Patruus est cognatus meus , quia mecum ab eodem ayo descendit. Hae personae in schematibus sistuntur.





*Affinitas contra est necessitudo inter unum coniugem et alterius familiam. Sic uxor meae parentes , fratres,*

*Tom. I.*

Aa

so-

sorores patrui sunt affines mei ; et mei parentes , fratre , sorores sunt affines uxoris meae. At frater meus et frater uxoris meae non sunt affines. Hoc ita declaratur:



*Paucis : cognatio nascitur per generationem : affinitas per nuptias.*

### §. CXLIX.

2) Quaeritur , quomodo computentur gradus? Resp. *Gradus* nihil aliud est quam generatio , et **ea** designatur lineola recta. Si plures personae connumerentur, quae generarunt vel genitae sunt , haec vocatur *linea*. *Quemadmodum* ergo generatio lineola designatur , ita personae gignentes vel genitae notantur circello. E. g. pater filium genuit , notatur ergo pater circello , et actus generationis lineola , e. g. <sup>o</sup>pater <sub>o</sub>filius. *Linea cognationis* vel *recta* est vel *obliqua*. *Recta* est , quae meras personas generantes et genitas complectitur ; *obliqua* , quae et alias personas.

## Recta linea.

abavus o	o ego
proavus o	o filius
avus o	o nepos
pater o	o pronepos
ego o	o abnepos
	o atnepos.

## Obliqua linea.



proavus	meus
avus meus	patruus meus
patr. meus	magnus
ego	patris mei conse- brinus.

Illa seu prior linea vocatur *adscendens*, quia a me ad progenitores adscendo: ista vocatur *descendens*, quia ad posteritatem descendeo. Hic vero ego et patruus meus magnus, nec non patris mei consobrinus cognati mihi in linea obliqua.

Linea obliqua vel *aequalis* est vel *inaequalis*. *AE-*  
*qualis*, ubi ex utroque latere totidem occurunt personae et gradus: *inaequalis*, ubi in altero latere plures, in altero numerantur pauciores gradus et personae, e. g.

## Linea aequalis.

## Linea inaequalis.



## §. CL. CLI.

His observatis definitionibus facile intelliguntur regulae de computatione graduum. Sunt earum tres:



1) In linea recta tot sunt gradus, quot sunt generationes. Hinc si scire cupio, quanto gradu hac in linea distent duae personae, lineolas tantum numero, non

circellos, e. g. distant uno gradu |  
o pater  
o filia

Avus et neptis	o avus	Ego ab ab-	o abavia
distant gradibus	o pater	avia disto 4.	o proavia
duobus.	o neptis	gradibus.	o avia
			o mater
			o ego


2) In linea aequali ius civile utrumque latus numerat, ius canonicum unum tantum. Et quidem

3) In linea inaequali longissimum.



$\left\{ \begin{array}{l} \text{Ego et soror iure ci-} \\ \text{vili distamus gradib.} \\ \text{2. iure can. gradu 1.} \end{array} \right\}$      $\left\{ \begin{array}{l} \text{Ego et patruelis distamus iu-} \\ \text{re civili gradu quarto, iure} \\ \text{canonico gradu secundo.} \end{array} \right\}$


pro-



Ego et patrui magni filia distamus iure civili gradu quinto , iure canonico , tertio .

### §. CLII.

Hactenus de computatione graduum consanguinitatis. De affinitate observandum , eius proprie nullos esse gradus , quia affinitates non nascuntur ex generatione , sed ex nuptiis . L. 4. §. 5. de grad. et affin. Sed analogice tamen et in affinitate aequae ac gradus statuuntur , et eodem modo numerantur , ac in consanguinitate. Sic et schemata eodem modo pinguntur ac in consanguinitate. Nuptiae autem indicantur per lineam curvam , quae in computatione non connumeratur : e. g. in linea recta neverca mihi affinis est in gradu primo : avi uxor vel neverca magna in gradu secundo , proavi uxor in gradu tertio , et sic in infinitum.




Nec absurdum est , lineolam curvam , nuptiarum indicem , non connumerari , quum duo coniuges sint ex Dei effato una caro , et hinc pro una persona recte habentur.


§.

## §. CLIII.

In prohibitione nuptiarum maximi momenti est *respectus parentelae*, ut vocatur, adeo ut ille semper nuptias impedit. Quid vero est *respectus parentelae*? Est cognatio inter duas personas, quarum una immediate sub communi stipite, altera vero est remotior. Dicimus, *immediate* illam subesse communi stipiti, ad-eoque non sufficit, aliam esse remotiorem, aliam propriem. E. g. amita et materterta sunt mihi parentis loco, quia ipsae communi stipiti subsunt *immediate*, quum ego sim remotior. En schema!



Contra amitae meae filia et filius meus inter se quidem sunt cognati, sed nullus est *respectus parentelae*, quia neutra persona immediate sub communi stipite est. En schema!



Inter has personas tanta veteribus visa est necessitudo, ut *thii* et *thiae* dicerentur, quasi divini et divinae. Quo simul innuebant veteres, huiusmodi personas, aequae ac parentes, veluti sanctas et venerabiles nobis esse.

se debere. Eleganter Simplicius comment. ad Epict. Enchirid. cap. 37. *Antiquiores*, inquit, *leges ita veneratae sunt parentes*, ut deos eos appellare non dubitarent. Sed quamvis, in hoc divinam excellentiam veriti, patres dii appellari desierint, fratres tamquam patrum et sorores Graeci adhuc s̄ies, quasi divinos divinasque appellant, ut demonstrent, quam rationem parentum adversus liberos esse existimarent. Quum itaque sanctae adeo ac venerabiles hae personae viderentur, non mirum profecto, quod leges divinae et humanae nuptias cum illis iniri prohibuerunt.

## §. CLIV.

Hactenus computationem graduum vidimus. Iam 3) ad regulas progredimur, quae circa ipsam prohibitionem sunt observandae.

a) *Nuptiae inter adscendentes et descendentes in linea recta in infinitum prohibentur.* Circa hanc regulam omnia iura conspirant: divinum Levit. XVIII. vers. 7. itidem ita merito explicatur, quod omnes hae nuptiae prohibitae sint. Additur in infinitum, ut interesse nihil ostendatur, quotocumque gradu sint. Sic e. g. atavia non magis nubere poterit abnepoti, quam avia nepoti, vel mater filio. Imo solet haec regula eo exemplo pereleganter illustrari, quod si Adamus non violasset praeceptum divinum de non comedendo fructu arboris, Eva autem violasset, adeoque mortua esset, hic in toto humano genere secundam uxorem non sit repertrurus, quia omnes homines sint descendentes respectu Adami, quamvis gradibus quamplurimis remoti.

## §. CLV.

b) *In linea obliqua iure civili secundus et tertius gradus semper est prohibitus, quartus et reliqui tantum*

tum inter eas personas , quae sibi invicem parentum et liberorum loco sunt , id est , inter quas est respectus parentelae. Diximus in secundo gradu semper prohiberi

nuptias : nam in secundo gradu sunt fratres et

sorores , inter quos nec divinum nec humanum

ius nuptias permittit. Diximus *etiam in tertio*

*gradu semper prohiberi*. Hic gradus enim concipi nequit sine respectu parentelae , qui ut §. CLIII. docuimus , semper impedit nuptias. Sic nec amitam nec materteram ducere possum , quemadmodum et femina nec pa-

truo nec avunculo nubere potest. Addimus , *qua-*

*tum et reliquos gradus non prohibitos esse , ni-*

*si inter eas personas , quae sibi sint parentum et liberorum loco. Sic e. g. nuptiae valent inter consobri-*

*nos , quia nullus inter eos respectus parentelae , et su nt*

*sibi invicem in quarto gradu. At non valent*

*nuptiae inter me et avi sororem quamvis iti-*

*dem quarto gradu simus , quia inter has perso-*

*nas est respectus parentelae. Haec est regula iuris civi-*




*lis : quid ius canonicum ? Hoc nuptias*

*multo prohibet latius. In obliqua enim*

*linea prohibitio extenditur ad gradum*

*quartum suae computationis. Cap. 8. ✘*

*de consang.*



§.

## §. CLVI.

c) Regula tertia de affinitate talis est. Quotcumque gradu prohibentur nuptiae ob cognationem, eodem prohibentur ob affinitatem. E. g. aa) in linea recta inter adscendentes et descendentes nuptiae prohibentur infinitum, ergo et matrimonium cum adscendentis vel descendensis uxore, e. g. duce-

re non possum matrem, ergo

nec novercam: ducere non pos-

sum aviam, ergo nec avi uxo-

rem : ducere non possum fi-

liam, ergo nec nurum: duce-

re nequeo neptem vel prone-

potem, ergo nec nepotis vel


pronepotis uxorem, et sic in

infinitum. Eodem modo bb) res se habet in linea collaterali. Prohibitum est gradu secundo matrimonium inter fratres et sorores, ergo etiam inter fratrum sororumque coniuges. Gradu tertio matri-

*Tom. I.*

Bb

mo-



Bb

uxor



Bb

pronepotis



Bb

fratris sororis coniuges



Bb

iux



Bb





matri-

monium semper prohibatum cum thio et thia, id est, patruo vel amita, avunculo vel matertera: ergo etiam prohibitum est cum eorum coniugibus. Quarto gradu matrimonium prohibitum est inter consobrinos, ergo et cum consobrini coniuge.

Iure canonico tria olim fuerunt affinitatis genera. Primum contrahebatur per unas nuptias:

alterum per binas, tertium per ternas. E.g. si frater meus dicit Semproniam, inter me et illam est primum genus affinitatis. Si Sempronia, mortuo fratre meo, Maevio nubit, inter me et Maevium erit secundum genus affinitatis.

Denique si, Sempronia mortua, Maevius ad secunda vota transiens duxerit Titiam, inter me et hanc erit tertium genus affinitatis. Tria haec affinitatis genera aliquando impedimentum dirimens matrimonium fecisse, evidenter supponit concilii Lateranensis decretum relatum cap. 8. de consang. Ceterum hoc ipso decreto affinitatis impedimentum ad primum genus affinitatis restriktum est.



## §. CLVII.

Est etiam *cognatio spiritualis* iure canonico ; est *cognatio civilis*, iure civili profecta : est et *quasi affinitas*, quae itidem est iuris civilis. De his quoque discordum. *Cognatio spiritualis* contrahitur per baptismum inter baptizantem et baptizatum, inter patrinum et baptizatum, item inter parentes infantis et baptizantem et patrinos. Hos quoque et Iustinianus et ius canonicum matrimonia contrahere vetant. Quia *nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, et iustum nuptiarum prohibitionem, quam huiusmodi nexus, per quem Deo mediante animae eorum copulatae sunt.* L. 26. C. de *nuptiis*. Et si inter eos non contrahitur matrimonium quos adoptio iungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per caeleste sacramentum regeneratio Sancti Spiritus vincit? Caus. 30. quaest. 3. can. 1. Hanc prohibitionem Protestantes reiiciunt levi hac ratione, quod christiani contrahere non possent, quum omnes sint fratres et sorores spirituales. Quae si ratio valet, iniuste prohibentur coniugium inter fratres adoptivos, quum omnes simus filii Dei. *Cognatio civilis* est, quae oritur ex adoptione. Nam quum adoptio imitetur naturam, eodem loco habebantur adoptivi liberi, quo sunt naturales. Ex quacumque ergo ratione ducere non poteram feminam cognatam ob generationem naturalem, ex ea ratione nec ducere poteram cognatam per adoptionem factam. E. g. pater ducere non potest filiam naturalem, ergo nec adoptivam : avus ducere non potest neptem naturalem, ergo nec adoptivam : frater ducere non potest sororem naturalem, ergo nec adoptivam. Sed quia haec prohibitio tantum ex lege civili est, et non nisi fictione nititur, hinc facile potest per dispensationem mutari. Hinc e. g. Marcus Antoninus,

philosophus , Impera-  
tor , filiam suam , Lu-  
cillam , dedit fratri suo  
adoptivo , Lucio Vero.

Antoninus  
phil.

Antoninus  
Pius

o Lucius Ve-  
rus

o Lucilla

*Quasi affinitas* est , quae contrahitur non per nuptias , sed per sponsalia . E. g. frater meus sponsalia fecit cum Titia , antequam nuptiae sequerentur , obiit , iam inter me et Titiam est quasi affinitas , quae non patitur , ut eam uxorem ducam . Sed solet tamen et hoc facilius concendi , modo sponsa iuret , se cum defuncto sponso rem non habuisse . Exemplum solemne huiusmodi nuptiarum notum est Henrici VIII. Regis Angliae , qui Catharinam Aragoniam , fratri sui sponsam duxerat , eamque deinde repudiabat , quod putaret , incestas has esse nuptias ; unde malorum Ilias in Anglia , de qua prolix Burnet in *Hist. reform. Engl.*

### §. CLVIII.

Hactenus de nuptiis incestis . Prohibent b) leges etiam quasdam nuptias tamquam *indecoras* , vel (1) ob imparitatem status , e. g. inter senatorem et libertam , inter ingenuum et mulierem scenicam , quaestuarium ; quae prohibitio est ex lege Iulia et Papia Poppaea : sed hodie ab usu recessit , imo abrogata ab ipso Iustiniano . L. 23. §. I. et L. ult. C. de nupt. Vel (2) ob antecedentem impudicitiam , e. g. inter adulterum et inter adulteram , raptorem et ra- Vitricus o — o

ptam . (3) Ob ve- | dua  
nerationem quam- Privignus o — o Privigni vi-  
dam . Sic prohibetur matrimonium inter vitricum et pri-  
vigni viduam , quum tamen nulla sit inter has per-  
sonas affinitas , nisi secundi generis , quae alias non at-  
ten-

tenditur, L. 15. ff. hoc tit. Ita et prohibitum matrimonium cum uxori ego o — o — o alterius mar-  
tris repudiatae filia ex uxor rep. | tus  
alio matrimonio quae- o filia  
sita, §. 9. Inst. hoc tit. quum tamen itidem tantum sit  
affinitas secundi generis.

## §. CLIX.

c) Tamquam noxiae prohibentur nuptiae vel (1) ob religionis respectum inter Christianum et Iudaeum. L. 6. C. de Iudeis. (2) Vel ob detrimentum rei familiaris inter tutorem eiusque filium et pupillam, quia hoc obtenuit tutor uti posset ad denegandam rationum redditionem. L. 59. ff. hoc tit. (3) Ob metum tyrannidis inter praesidem provinciae et mulierem provincialem. Periculum enim erat, ne praeses contracta cum potentiore familia affinitate eius auxilio tyrannidem in provincia affectaret, quod M. Antonium fecisse novimus in AEgypto, ducta uxore Cleopatra, Regina. L. 57. L. 63. ff. hoc tit. (4) Ob ministerium denique nuptiae Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Nov. 5. cap. 8. Nov. 6. cap. 5. Solliciti enim esse debent, *quae Domini sunt, quomodo placeant Deo*. Protestantes hanc quoque prohibitionem reiiciunt, et suos, quos vocant Presbyteros et Episcopos, uxoratos volunt, *sollicitos scilicet quae sunt mundi, quomodo placeant uxoribus*. I. ad Corinth. VII. vers. 32. 33. Conf. ius canonicum de clericis coniugatis cap. 3. et 5.

## §. CLX.

(IV.) Ultima quaestio est, si quis contra has leges nuptias contraxerit, qua poena afficiatur? Resp. ex §. 12. Inst. hoc tit. Nullitate. Hinc nullum est matrimonium, nulli coniuges, nulla dos. Liberi quoque

ex

ex huiusmodi coitu nati non sunt legitimi , nec in patria potestate constituti , sed spurii. Imo aliquando et poena gravior veluti capitalis , vel ei proxima statui in huiusmodi personas potest. Sic e. g. incestus fit inter adscendentes et descendentes commissus , vel inter fratrem et sororem ; unde hic singularum provinciarum statuta sunt consideranda.

## DE LEGITIMATIONE.

## §. CLXI.

**A**lter modus redigendi liberos in patriam potestatem est legitimatio. Sed de ea plane tacent Pandectae , quia illa inventa demum a Constantino M. ad eoque post illud tempus , quo ICti vixerunt , ex quorum scriptis Pandectae sunt sumtae. Obiiciunt equidem alii *L. ult. ff. de adopt. et L. 57. §. 1. ff. de ritu nupt.* ex quibus constare putant , etiam ante Constantin. M. legitimationem fuisse in usu. Sed Resp. *L. ult. ff. de adopt.* ceu ex Rubrica patet , non agere de legitimatione , sed de adoptione : *L. 57.* autem tantum comprehendere privilegium speciale , quod ad exemplum trahi non solet.

## §. CLXII.

Definitio legitimationis hoc §. tradita per partes erit expendenda. Est ergo legitimatio *actus*. Sunt , qui dicunt , esse actum legitimum. ( §. LXX. ) Sed hi egregie falluntur. Nam (1) actus legitimi excogitati sunt a ICtis ex XII. Tabb. *L. 2. §. 6. ff. de O. I.* At legitimatio nec ab ICtis nec ex XII. Tabb. est. (2) Actus legitimi fiunt solemniter : at legitimatio solemnitatem plane nullam exigit. Sufficit ergo , si dicamus , legitimationem esse *actus*. Est porro actus , quo liberi illegi-

*gitimi finguntur ex iusto matrimonio nati.* Fundamentum enim legitimationis est fictio. Fingit lex eos ex iusto matrimonio natos, qui sunt extra matrimonium nati. Tales fictiones in iure sunt quamplurimae. Sic e. g. in iure postliminii fingitur ille numquam captivus fuisse, qui ex captivitate domum rediit. §. 5. *Inst. quibus modis ius patr. potest. solv.* Contra lex Cornelia fingit eum, qui in captivitate moritur, in urbe mortuum. L. 18. ff. *de captiv. et postlim.* Et hinc de fictionibus iuris elegantem tract. scripsit Anton. Dadin. Alteserra, ICtus Gallus celeberrimus. Eodem ergo modo etiam lex finxit, eum in matrimonio natum, qui natus non est. Dicitur porro in definitione, et *hinc instar legitimorum rediguntur in patr. potest.* Habemus effectum legitimationis. Liberi extra matrimonium nati non sunt in patria potestate; imo ne intelliguntur quidem patrem habere, quia pater est, quem iustae nuptiae demonstrant. L. 5. ff. *de in ius voc.* Hinc dicuntur *liberi naturales*, quia natura quidem patrem habent, sed non iure. Ast per legitimationem rediguntur in patriam potestatem, et hinc est, quod §. CLXI. legitimationem diximus causam patriae potestatis.

### §. CLXIII.

Haec est definitio. Ex ea iam statim solvi potest, quaestio, quinam liberi illegitimi legitimari queant? Sunt illi quatuor generum. (1) Alii dicuntur *naturales liberi vel nothi*, et barbare *Bastardi*, qui ex honesta femina, sed extra matrimonium suscepti, id est, ex concubina. Alii dicuntur (2) *spurii*, qui nati ex muliere quaestuaria, id est, ex meretrice, quae quaestum corpore facit, unde et *vulgo quaeſiti* dicuntur. Alii vocantur (3) *adulterini*, qui ex adulterio nati: (4) alii *incestuosi*, qui ex incestu, id est, ex congesu earum personarum, quae ob cognationem vel affini-

nitatem in matrimonio esse nequeunt. \*\* Iam ut ad quaestioneam respondeamus propositam, legitimari possunt solum *liberi naturales*, non *spurii*, non *adulterini*, non *incestuosi*. §. ult. *Inst. hoc tit. L. 10. C. de nat. lib. Nov. 117. cap. 2.* Ratio est, quia legitimatio fit per fictionem. Fingunt enim leges liberos legitimandos susceptos e matrimonio (§. CLXII.): at vero quum omnis fictio supponat terminos habiles, nec matrimonium fingi possit cum muliere quaestuaria, (§. CLVIII.) multoque minus inter adulterum et adulteram, cognatos et affines proximos, sequitur omnino, ut liberi huiusmodi sint incapaces legitimationis.

\*\* Nulli horum erant infames, ast levis tamen notaemacula spurios adspergebat vulgus, multoque magis adulterinos et incestuosos, saltim postremis temporibus reipubl. Vid. Zach. Hub. *Cas. enucl. quaest. 3. §. 8.* Naturales participes quidem erant omnium iurium, honorumque capaces, ceu contra Iac. Gothofredum luculenter ostendit Thomas. *de usu prædict. doctr. Inst. de legitim. 1. 3.* et ex inscriptione apud Gruter. pag. 434. patet, in qua *C. Mamerius Ianuarius*, quamvis *S. P. filius*, tamen in colonia sua *Quaestor*, *AEdilis*, *Praetor*, et *Duumvir Quinquennalis* iterum fuisse dicitur: iuribus tamen agnationis carebant, neque in patria potestate erant, tamquam legitimo parente destituti. Vnde nec gentile patris nomen ferebant spurii, ut contra sententiam Robortelli *Emend. 1. cap. 20.* recte ostendit Car. Sigon. *Emend. 2. cap. 6.* Sane tamquam singulare quid de Caesare refert Suet. *Iul. cap. 52.* quod natum e Cleopatra filium appellari nomine suo passus sit. Et Dio Cass. *lib. 50. cap. 1.* addit, inter alia, quae Octavianus Caesar obiecerit Antonio, etiam hoc fuisse maxime ὅπερι, Καιοπάτρα ἐπωΐμαζει οἴνῳ, γέ εἰ τὸ τῷ Καιοπάτρα γένος οἶνος, quod Caesarionis nomen filio Cleopatræ indidisset, et eum in Caesaris genus retulisset. Interim quamvis aliquando cognomen patris adoptrant filii naturales, ut paulo ante *Ianuarius*, nomen tamen gentile a matre mutuabantur. Ita Mamerius Ianuarius dictus a nomine matris Mameriae Graptae, et a cognomine patris *P. Paccii Ianuarii*.

## §. CLXIV.

Pergimus ad divisionem legitimationis. Ea, quod ad modum attinet, triplex est: vel enim fit per *subsequens matrimonium*, vel per *oblationem curiae*, vel per *rescriptum Principis*. Prima inventa est a Constant. M. eo fine, ut concubinatum aboleret. Hinc etiam non in futurum hunc legitimandi modum valere voluerat, sed tantum in praeteritum. At postea Iustinianus eum perpetuum legitimandi modum esse iusserat. *Nov. 74. cap. 1.* \*\* Vid. Desid. Herald. *rer. et quaest. iur. quotid. lib. 1. cap. 4.* §. 2. Alterum excogitavit Theodosius iunior, Imperator, *L. 3. C. de nat. lib. tertium Iustinianus Nov. 74. cap. 2.*

## §. CLXV.

Per *subsequens matrimonium* legitimantur filii naturales ex concubina, honesta ceteroquin femina, nati, simul ac pater concubinatum mutat in iustas nuptias et matrem horum liberorum uxorem dicit. Requiritur ergo (1) ut mater sit honesta ceteroquin femina, non

\*\* Sequentes Imperatores istud legitimationis genus aliquamdiu retinuerunt, variisque legibus explicarunt. Sic Zeno Imperator sanxit, ut si pater, nulla legitima sobole alia superstite, concubinam uxorem duxerit, liberi utriusque sexus statim post nuptias, in patria potestate essent, et sive soli, sive cum fratribus postea natis patri ex testamento, vel ab intestato succederent. Attamen eam constitutionem ipse quoque, exemplo Constantini, valere tantum voluit ratione liberorum ante hanc legem ex concubinis ingenuis natorum; eos vero, qui postea ex concubinatu prodituri essent, tanti beneficij noluit esse participes. *L. 5. C. de natur. lib.* Sed et Anastasius cum omnibus etiam postea nascituris hoc beneficium communicavit. *L. 6. C. eod.* Id vero restringit Iustinus Imp. *L. 7. C. eod.* posteaque suo more iterum latius porrexit Iustinianus. *L. 10. et 11. C. eod.*

meretrix , cet. §. ult. Inst. hoc tit. (2) *Vt ineat legitimum matrimonium.* Tunc enim fingitur , liberos ante istud matrimonium natos postea demum nasci , adeoque esse legitimos. Sed quaeritur , an non et (3) requirantur dotalia instrumenta ? Ea enim expresse requirere videtur imperator §. ult. Inst. hoc tit. Sed respondeatur , Iustiniani temporibus necessaria erant omnino , hodie autem minime ; nam tempore Iustiniani nullus erat ritus solemnis nuptiarum. Confarreatio , qua veteres utebantur , itemque coëmtio uxorum non amplius erant in usu. Benedictio sacerdotalis coram facie Ecclesiae nondum fuerat recepta , et sic tunc nullum fuisse signum , quo affectio maritalis erga uxorem a concubinatu distingui potuisset , praeter instrumenta dotalia. Hinc legimus iam olim apud Plautum *Trinum. act. 3. scen. 2. vers. 63.* Lesbonicus adolescens , qui omnia sua bona abliguriverat , nolebat tamen sororem suam Lysiteli sine dote uxorem dare , addita hac ratione.

*Sed ut inops , infamis ne sim , nec mihi hanc famam differant,*

*Me germanam meam sororem in concubinatum tibi*

*Sic sine dote dedisse , magis quam in matrimonium.* Sine dote itaque tum vix distingui poterat uxor a concubina. Et hinc non mirum , Iustinianum requisivisse instrumenta dotalia. At hodie sane facile distinguuntur uxor et concubina per *leges Ecclesiasticas* , nec amplius illo signo opus est.

### §. CLXVI.

Alter modus legitimandi est *oblatio curiae.* Hic modus est ex antiquitatibus illustrandus. Per curiam hic intelliguntur magistratus municipales ; in singulis enim municipiis erant senatores , qui decuriones vocabantur , iisque praeerant duumviri , veluti consules. Iam haec erant officia cum dignitate coniuncta , et præterea is  
or-

ordo gaudebat iurisdictione in municipio. Nihilominus tamen ab his muneribus maxime abhorrebat homines, adeo ut Barnabas Brisson. *antiq. sel. 4. cap. 13.* observarit, aliquando Christianos a gentibus supplicii causa addictos fuisse curiae. Ratio est, quod sumtus maximi faciendi essent a curialibus. Nam suo aere edere debebant spectacula, ludos, populo convivia praebere, adeo ut aliquando universum patrimonium absorberet illa dignitas. \*\* Quum itaque tam splendida esset curialium miseria, privilegiis variis pellectos videmus homines, ut nomina curiae darent, inter quae etiam fuit hoc Theodosianum, ut si quis filium naturalem offerret curiae, tunc statim legitimarentur. *L. 3. L. 4. L. 9. C. de nat. lib.* Enimvero quum hodie non opus sit his privilegiis, et homines facile nostris temporibus decurionalia ambiant etiam in oppidis minoribus, quumque etiam decuriones nostrates nec ludos, nec spectacula suis sumtibus edere soleant, facile patet, et hunc legitimandi modum nullius hodie esse usus.

### §. CLXVII.

Vltimus legitimandi modus est, qui fit per *rescriptum Principis*: qui in eo consistit, ut pater apud su-

\*\* Non enim purandum est, curiae oblates confessim factos esse decuriones. Sed curiae adscribantur, eique serviebant periculo suarum facultatum. *L. 4. C. de nat. lib. L. 50. L. 55. L. 64. C. de decur.* Hinc nec militiae nomen dare, nec ruri extra municipium vivere poterant, curiae quippe, tamquam glebae adscripti. *L. 17. C. eod. L. un. C. si curial. relit. civ.* Quae omnia luculenter ostendit V. C. Em. Merill. *Obs. 7. cap. 26.* Quum itaque curiae oblati quodammodo essent adscriptitiae conditionis, nec alterius iis esset spes honoris, quam decurionatus sane parum lucrosi; non profecto mirandum, tam paucis salivam movisse splendidam illam curialium miseriam, ut et liberi illegitimi privilegio essent adiiciendi ad suscipiendum aliquando decurionatum.

premam potestatem supplices literas adferat , petatque filium suum vel filiam naturalem legitimari. Eo facto sequitur rescriptum , et tunc filius habetur pro legitimo. Hic modis hodienum receptus est , et quum in Germania difficile sit , ex tot provinciis homines Romanum imperatorem adire , ab eoque petere legitimacionem : hinc solet imperator in omnibus fere urbibus celebrioribus constituere *Comites Sacri Palatii* , qui huiusmodi actus eius nomine peragant. De iis exstat tractatus pereruditus Georg. Schubarti , Profes. Ien. de *Comitibus Palatinis*. \*\*

### §. CLXVIII.

Iam de *iuribus legitimatorum* videbimus. Diximus supra (§. CLXII.) per legitimacionem liberos naturales redigi in patriam potestatem. Ex hoc principio facile omnia legitimacionis effecta eliciemus. Inde enim patet , (1) legitimacionem fieri non posse sine liberorum consensu. *L. 11. ff. de his* , qui sui vel al. iur. Mirum hoc videri posset , quia legitimatio est beneficium; sed resp. est etiam onus , quia est capitis deminutio, nam per illam ex homine sui iuris fit filiusfamilias , ad eoque alieno iuri subiectus. Antea illegitimus sibi acquirebat , quia patrem non habebat : iam adquirit patri. Ergo aequissimum est , eius consensum accedere. (2) Legitimos succedere patri. Fiunt enim filiifamilias liberi legitimi , heredes sui , hi vero procul dubio succedunt patri. Sed distinguendum tamen , an legitimatio facta

\*\* Fuit etiam apud Romanos alias modus legitimandi *per adrogationem* , ab Anastasio inventus. *L. 6. C. de nat. lib.* Quum enim naturales liberi non essent in patria potestate , sed sui juris ; poterant profecto a parente naturali adrogari. *L. ult. ff. de adopt.* Facta vero ea adrogatione legitimi censebantur. Sed eum modum non sine ratione sustulit Iustinus , *L. 7. C. de nat. lib.* approbante id Iustiniano. *Nov. 89. cap. 7. Nov. 74. cap. 3.* per

per rescriptum Principis , an per subsequens matrimonium : tunc omnino succedunt patri indistincte , non minus quam legitimi . §. ult. Inst. hoc tit. §. 2. Inst. de hered. quae ab intest. Si per rescriptum Principis , tunc denuo dispiciendum , velit ne pater , et Princeps in rescripto hoc expresserit , ut succedant legitimati , an non ? Si nihil expresserit , non succedunt , nisi soli existant : si expresserit , tunc succedunt , sed ita , ut legitimi iam exstantes praecipuam habeant portionem legitimam.

## §. CLXIX.

Reliquum est , ut de usu practico huius tituli quaeramus. Sed paucis officio nostro defungemur , si notemus duo : (1) oblationem curiae hodie non esse in usu: (§. CLXVI.) reliquos duos legitimandi modos autem adhuc celebrari , et non esse infrequentes. (2) Legitimationem per rescriptum hodie saepe non esse modum aliquem redigendi in patriam potestatem , sed tantum medium abstergendi maculam natalium , et hinc etiam spuriis denegari non solere. Quia enim in multis locis haec consuetudo obtinet , ut spurii et illegitimi non recipi possint in collegia et corpora opificum ; hinc legitimari solent , ut recipi possint.

## TITVLVS XI.

## DE ADOPTIONIBVS.

DIG. LIB. I. TIT. VII. COD. LIB. VIII. TIT. XLVIII.

*Continuatio.*

**N**on solum autem <sup>1</sup>naturales liberi , secundum ea , quae diximus , in potestate nostra sunt ; verum etiam <sup>2</sup>ii , <sup>2</sup>quos adoptamus.

**I** *Naturales liberi*) Id est , qui ex iustis nuptiis procreati sunt : ea enim perpetua est naturalium liberorum significatio , quum opponuntur adoptivis. §. 7. inf. eod. §. 4. inf. de exher. lib. §. 2.. inf. de inoffic. test. L. 31. ff. hoc tit. L. 2. §. 6. ff. ad SC. Tertyll. At quum oppontuntur legitimis in genere , tum significantur liberi illegitimi , ut tot. tit. C. de nat. lib. et §. ult. super. tit.

**2** *Quos adoptamus*) L. 1. ff. hoc tit. Vlp. tit. 8. §. 1. Est autem adoptio aëtus legitimus , L. 77. de reg. iur. quo in locum filii adsciscimus eum , qui nobis extra-neus est , ad eorum , qui liberos non habent , solatum inventus. Theoph. Graecis verbo significantiore dicitur *πιοθεσία*. Origo eius antiquissima. Vid. Gregor. Tholos. 10. syntagm. cap. 6.

### *Divisio adoptionis.*

#### §. I.

Adoptio autem **1** duobus modis fit : aut **2** Principali rescripto , aut imperio magistratus. Imperatoris auctoritate adoptare quis potest eos easve , qui quaeve sui iuris sunt: quae species adoptionis **3** dicitur adrogatio. **4** Imperio magistratus adoptamus eos easve , qui quaeve in potestate parentum sunt : sive primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius, filia; sive inferiorem , qualis est nepos , neptis , pronepos, proneptis.

**1** *Duobus modis*) Ex Caio L. 2. ff. hoc tit.

**2** *Principali rescripto*) Haec stante republic. auctore populo fiebat comitiis curiatis. Gell. lib. 5. cap. 19. Gruch. 3. de Comit. Rom. cap. 3.

3 *Dicitur adrogatio*) Inde nimirum, quia et is, qui adoptat, rogatur, an velit eum, quem adoptatus sit, iustum sibi filium esse, et is, qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur. *L. 2. ff. hoc tit.*

4 *Imperio magistratus*) Apud quem est legis actio. *L. 4. eod. L. 1. C. eod. L. 3. ff. de offic. Procons.* Haec species generis nomen retinet, ut saepe alias, quum proprium nomen deest. Boët. *ad Top.* Cicer. *lib. 2. pag. 779.* fit vero id saepe, ut species iisdem nominibus nuncupentur, quibus et genera.

*Qui possunt adoptare filiumfamilias, vel non.*

### §. II.

Sed hodie ex nostra Constitutione, quum filiusfamilias a patre naturali et extraneae personae in adoptionem datur, iura patris naturalis minime disolvuntur, nec quicquam ad patrem adoptivum transit, nec in potestate eius est: licet ab intestato iura successionis ei a nobis tributa sint. Si vero pater naturalis non extraneo, sed avo filii sui materno; vel si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, etiam avo vel proavo simili modo paterno vel materno, filium suum dederit in adoptionem: in hoc casu, quia concurrunt in unam personam et naturalia, et adoptionis iura, manet stabile ius patris adoptivi, et naturali vinculo copulatum, et legitimo adoptionis modo constitutum; ut et in familia, et in potestate huiusmodi patris adoptivi sit.

1 *Nostra constitutione*) Exstat in *L. pen. C. hoc tit.*

2 *Extraneae personae*) *Ἐξωτερικῆ πλη.* Theoph. Extra-

traneam personam hic vocat omnem etiam, qui extra lineam parentum sit. Pac.

3 *Nec quicquam transit*) Iuris scilicet aut potestatis patriae: filium enim tantum ex lege Iustiniani haec adoptio facit, non filiumfamil.

4 *Licet ab intestato*) Hoc specialiter ei tribuitur. Potest autem impune praeteriri. *Dicit. L. pen. §. 1. et §. 14. infr. de her. quae ab intest.*

5 *Etiam avo vel proavo simili modo paterno vel materno*) In aliis sic, *etiam avo paterno, vel proavo simili modo paterno vel materno*, quam lectionem flagitat manifesta ratio iuris, et ita *in dict. L. pen.*

6 *Legitimo adoptionis modo constitutum*) *In dict. L. pen. legitimo adoptionis nodo constrictum.*

### *De adrogatione impuberis.*

#### §. III.

Quum autem 1 impubes per Principale rescriptum adrogatur, 2 causa cognita adrogatio fieri permittitur: et exquiritur causa adrogationis, an honesta sit, expediatque pupillo: et cum quibusdam conditionibus adrogatio fit, id est, 3 ut caveat adrogator 4 personae publicae, si intra pubertatem pupillus decesserit, restituturum se bona illis, qui, si adoptio facta non esset, 5 ad successionem eius venturi essent. Item non aliter emancipare eum potest adrogator, nisi, causa cognita, 6 dignus emancipatione fuerit, 7 et tunc sua bona ei reddat. Sed et si decedens pater eum exheredaverit, vel vivus sine iusta causa emancipaverit, iubetur 8 quartam partem ei bonorum suorum 9 relinquere, videlicet, praeter bona, quae ad patrem adoptivum transstulit,

lit, et quorum commodum ei postea adquisi-  
vit.

1 *Impubes*) Impuberis olim adrogari non potuerunt. Gell. *ubi supr.* nunc autem possunt ex Constitutione D. Antonini. Vlp. tit. 8. §. 5.

2 *Causa cognita*) Causae cognitio olim a collegio pontificum, Cicer. *pro Dom.* cap. 13. hodie a magistratu exercetur, adhibito consilio propinquorum et tutoris auctoritate. L. 2. C. eod. L. ult. C. de auct. praest. In adrogatione puberum, etiam curatoris. L. 8. ff. hoc tit. Quibus in rebus versetur, docet Vlp. L. 15. §. pen. et ult. L. 17. per tot. eod.

3 *Vt caveat adrogator*) Satisdato scilicet, id est, datis fideiussoribus: cautio enim haec non nuda est, sed fideiussoria. L. 18. cum 2. seqq. eod. L. 2. C. eod.

4 *Personae publicae*) Manuscripti, testibus Cuiac. Hot. Pac. *Personae publicae*, *id est*, tabulario. Theophil. οἱ μητέραι πεσσώπω, τοῦτο τῷ παρθελαρίῳ Tabulario autem, non agnatis: quoniam incertum est, quis tempore mortis pupilli proximior futurus sit, eique ab intestato successurus. Schol. Theophili.

5 *Ad successionem eius venturi*) Pars haec cautionis *in diff.* L. 18. ita concepta est: *ad quos ea res per ventura esset*, et *in L. 19. seq. ad quos ea res pertinet*: quod et ibidem explicatur.

6 *Dignus emancipatione*) Et hoc casu quartam, de qua mox, perdit. L. ult. ff. *si quid in fraud. patron.*

7 *Et tunc sua bona*) Abusive, ut saepe alibi, pro bona eius, impuberis scilicet adrogati. Pac.

8 *Quartam partem*) Ex Constitutione D. Pii. L. 8. §. 15. ff. *de inoffic. test.* L. 1. §. 21. ff. *de collat. bon. dict.* L. ult. *si quid in fraud. patron.* Est autem haec secundum Gloss. et DD. non omnium bonorum adrogatoris quarta, sed debitae ab intestato portionis: arg. Tom. I.

Dd

L.

*L. 8. §. 8. de inoffic. test.* quod et Graecos sensisse argumento est, quod quadrantem in trientem mutaverunt ex novo iure. Fabrot.

*9 Relinquere*) Recte relinquere, ut intelligamus non prius eam deberi, quam adrogator decesserit. *Did. L. I. §. 21. de collat. bon.*

*De aetate adoptantis et adoptati.*

§. IV.

*1 Minorem natu, maiorem non posse adoptare, placet. Adoptio enim 2 naturam imitatur: et monstrum est, 3 ut maior sit filius, quam pater. Debet itaque is, qui sibi filium per adoptionem vel adrogationem facit, 4 plena pubertate, id est, decem et octo annis praecedere.*

*1 Minorem natu*) *Ex L. 15. §. ult. cum L. seq. L. 40. §. 1. ff. eod.*

*2 Naturam imitatur*) *Adoptio est aemula naturae, sive naturae imago. L. 23. ff. de lib. et post. Ausson. Tetrast. carm. 13. vers. 3. Imitatur adoptio prolem.*

*3 Ut maior sit filius*) *Cicer. pro Dom. sua cap. 13. Factus es, inquit, eius filius contra fas, cuius per aetatem pater esse potuisti: similia mox sequuntur. Add. Sueton. in Tib. cap. 2.*

*4 Plena pubertate, id est, decem et octo annis*) *Pubertatis quidem initium est ann. 14. maturitas ann. 18. L. 40. §. 1. hoc tit. Paul. 3. sent. tit. 4. §. 1. atque hac aetate pubescunt etiam οἱ βεβαῖοι οἱ καίνοι. Theophil. In specie L. 14. pr. ff. de alim. leg. favor est alimentorum.*

*De adoptione in locum nepotis, vel neptis,  
vel deinceps.*

§. V.

Licet autem et <sup>1</sup> in locum nepotis vel neptis, pronepotis vel proneptis, vel deinceps, adoptare, <sup>2</sup> quamvis filium quis non habeat.

1 *In locum nepotis* ) Ex Paulo L. 37. *hoc tit. Vlp.*  
*Fragm. tit. 8. §. 7.*

2 *Quamvis filium non habeat* ) Sufficit enim habere filium posse, et per aetatem ex eo nepotem: non enim actus, sed naturalis potestas inspicitur.

*De adoptione filii alieni in locum nepotis,  
vel nepotis in locum filii.*

§. VI.

Et tam <sup>1</sup> filium alienum quis in locum nepotis adoptare potest, quam nepotem in locum filii.

1 *Filiū alienum in locum nepotis* ) Neque enim necesse est, ut qui adoptatur, eundem ordinem gradumque, quem apud patrem naturalem habet, servet apud patrem adoptivum. Theophil. Exempli causa, qui filius est patri naturali, nepos fieri potest patri adoptivo, et contra.

*De adoptione in locum nepotis, et de nepote  
in adoptionem dando.*

§. VII.

Sed <sup>1</sup> si quis nepotis loco adoptet, vel <sup>2</sup> quasi ex filio, quem habet iam adoptatum; vel quasi ex illo, quem naturalem in sua potestate habet: eo casu et filius consentire debet, <sup>3</sup> ne ei invito suus heres agnascatur. Sed ex contrario, si avus ex filio nepotem det in adoptionem, <sup>4</sup> non est necesse filium consentire.

<sup>1</sup> *Si quis nepotis loco* ) Ex Paulo L. 6. et L. II.  
*rod.*

<sup>2</sup> *Quasi ex filio* ) Quasi ex filio, puta L. Titio:  
nam si simpliciter adoptio fiat, sive tamquam ex incerto filio, filii consensus non desideratur. L. 43. et L.  
*seq. eod.*

<sup>3</sup> *Ne ei invito suus heres* ) Eadem ratione et nepoti uxorem ducenti etiam filius consentire debet. L.  
16. §. I. ff. *de rit. nupt.*

<sup>4</sup> *Non est necesse filium consentire* ) Quia nepos ex filiofamil. non in patris sui, sed avi potestate est.

*Qui dari possunt in adoptionem.*

§. VIII.

In plurimis autem causis adsimilatur is, qui adoptatus vel adrogatus est, ei, qui ex legitimo matrimonio natus est: et ideo si quis per Imperatorem, vel apud Praetorem, vel Praesidem

dem provinciae <sup>1</sup> non extraneum adoptaverit, potest eumdem <sup>2</sup> in adoptionem alii dare.

<sup>1</sup> *Non extraneum*) Hoc consulto additum propter *L. pen. C. hoc tit. et §. 2. supr. eod.*

<sup>2</sup> *In adoptionem alii dare*) Eodem iure, quo id permissum patri naturali.

*Si is qui generare non potest, adoptet.*

### §. IX.

Sed et illud utriusque adoptionis commune est, quod et ii, <sup>1</sup> qui generare non possunt, <sup>2</sup> quales sunt spadones, adoptare possunt: <sup>3</sup> castrati autem non possunt.

<sup>1</sup> *Qui generare non possunt*) Propter vitium temporale et sanabile: ex *Caio L. 2. §. 1. eod.*

<sup>2</sup> *Quales sunt spadones*) Quia hi sublato vito corporis, liberis procreandis operam dare possunt: *diff. L. 2. §. 1. L. 40. §. 2. eod.* et ideo uxorem quoque possunt ducere; *L. 39. §. 1. ff. de iur. dot.* natura enim magis in homine generandi et consuetudo spectanda est, quam temporale vitium. *L. 9. ff. de lib. et post.* Spadones *ἱτεῖς τὰς γονιμὰς μορίας ὑποστάντες.* *Gloss. iur.* Interdum spadonum appellatione etiam castrati comprehenduntur. *Diff. L. 39. §. 1. de iur. dot. L. 128. de verb. sign.* et ibi Alciat.

<sup>3</sup> *Castrati non possunt*) Neque enim intestes vim genitalem effundere queunt; neque remedio in his locis. Leo tamen permisit. *Nov. 26.*

*Si*

*Si femina adoptet.*

### §. X.

1 *Feminae quoque adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent: sed ex indulgentia Principis, ad solatium liberorum amissorum, adoptare possunt.*

1 *Feminae* ) Feminae adoptari semper potuerunt, adrogari non semper : *L. 21. eod.* adrogare aut adoptare numquam.

2 *Ex indulgentia Principis* ) *L. 29. §. 3. ff. de inoffic. test. L. 5. C. hoc tit.* Non tamen ut filium habent in potestate, sed ut solatium orbitatis et heredem.

3 *Ad solatium liberorum amissorum* ) Leo simpli- citer id feminis permisit, etiam virginibus. *Nov. 27.* quae in Oriente recepta, ut constat ex Harmenop. *lib. 2. tit. 8. §. 4.*

### *De liberis adrogati.*

### §. XI.

Illud proprium est adoptionis illius, quae  
1 per sacrum oraculum fit, quod is, qui liberos  
in potestate habet, si se adrogandum dederit,  
non solum potestati adrogatoris subiicitur,  
2 sed etiam liberi eius in eiusdem fiunt potesta-  
te, tamquam nepotes. Sic etenim divus Augu-  
stus 3 non ante Tiberium adoptavit, quam is Ger-  
manicum adoptasset; ut protinus, adoptione facta,  
Augusti nepos esse.

1 *Per sacrum oraculum*) Per Principem, L. 2. eod. per Principis rescriptum. L. 6. C. eod. Periphrasis est adrogationis.

2 *Sed etiam liberi eius*) L. 15. L. 40. eod. nimurum tamquam sequela: et una cum patre adrogato capite minuuntur; L. 3. ff. de cap. minut. quod in adoptione non similiter contingit. L. 28. hoc tit.

3 *Non ante Tiberium*) Sueton. in August. cap. 64. et 65. in Tib. cap. 15. in Calig. cap. 4. Tac. Annal. 4. cap. 57. Simile exemplum habemus apud Capitol. in Anton. cap. 4.

### *De servo adoptato, vel filio nominato a domino.*

#### §. XII.

Apud <sup>1</sup> Catonem bene scriptum refert antiquitas, servos, si a domino adoptati sint, ex hoc ipso <sup>2</sup> posse liberari. Vnde et nos eruditi, in <sup>3</sup> nostra constitutione etiam eum servum, quem dominus <sup>4</sup> actis intervenientibus filium suum nominaverit, liberum esse constituimus: licet hoc ad ius filii accipiendum ei non sufficiat:

1 *Catonem*) Credo intelligi M. Catonis principis Porciorum familiae filium. Vid. L. 2. §. 38. ff. de orig. iur. Gell. lib. 13. cap. 19.

2 *Posse liberari*) Inutilis itaque adoptio hic vim manumissionis habet.

3 *Nostra constitutione*) L. unic. §. 2. C. de lat. lib. toll.

4 *Actis intervenientibus*) Id est, apud acta, testato coram magistratu: non si extra iudicium filii nomine servum suum benigne compellans. Fabrot.

TITVLVS XI.  
DE ADOPTIONIBVS.

§. CLXX.

**D**E adoptione hic agitur , quia *hic tertius est modus adquirendi patriam potestatem*. Quia itaque de duobus prioribus egimus , nempe de nuptiis et legitimatione tit. X. , proximum est , ut hoc titulo XI. agamus de adoptione. Ea apud Romanos frequentissima erat , \*\* apud nos paulo rarer , nec tamen plane ignota. Iam de definitione primum dispiciemus.

\*\* Cur inventa a Romanis sit *adoption* , et cur ea Romae frequentius , quam usquam terrarum , sit usurpata , paulo altius est reperendum , quum alias universa huius instituti ratio satis intelligi nequeat. Observavimus iam supra ( tit. X. §. CXLII. ) , Romanas familias habuisse sua sacra privata , suos focos , et aras domesticas , suas porro ferias , de quibus conferri merentur Macrob. *Saturn.* 1. cap. 16. Iac. Guther. *de iure Pontific.* 2. cap. 5. Vinc. Gravina *ad XII. Tab.* n. 77. seq. De iis sacris quum esset lege decemvirali constitutum : *sacra privata perpetuo manento* : omnia sane agebant Romani , ne sacra illa gentilicia interirent. Quare Clodium etiam hoc nomine graviter reprehendit Cicero *pro Domo* cap. 13. quod efficerit , *ut sacra Clodiae gentis interirent*. Hinc , si qui ex iustis uxoribus liberos haud sustulissent , ii adoptabant extraneos , qui tunc in *sacra et gentem transire dicebantur*. Brisson. *de verb. signific.* ( pag. 1216. edit. nostr.) Conf. Vopisc. *Valer.* cap. 14.

Deinde altera accessit ratio , poenae nimirum orbitati , praemiaque τῆς πλευρᾶς proposita , qualia et ante legem Papiam Poppaeam in libera republica fuisse , patet ex Dione Cass. 56. cap. 6. Ne ergo parentes ἀπαιδεύουσι , aut orbi , vel praemissis istis exciderent , vel poenas darent ; alios adoptabant , idque iam sua aetate reprehendit P. Scipio , censor , in oratione apud C. M. Arr. c. cap. 19. Quin adeo fraudulenter postea hac

## §. CLXXI.

*Adoptio* duobus modis accipitur, vel in sensu latiore vel in sensu strictiore. Si in *latiore*, tunc complectitur sub se duas species, *adrogationem* et *adoptiōnem*: sin *strictō*, tunc *adrogationi* opponitur. Nos iam in latiore sensu sumimus vocabulum, et hinc hoc loco quaeritur, quid sit *adoptio* in sensu generali et latiore accepta? Resp. *Est actio solemnis*, qua in locum filii vel nepotis adsciscitur *is*, qui *natura talis non est*. Dicitur *actio solemnis*, quia aut coram populo in comitiis fiebat, aut coram quinque testibus, antestato et libripende, per aes et libram, ut paulo post videbimus. Et hodie quoque, quia vel coram Principe fit, vel coram magistratu, *actio solemnis* dici potest. Dicitur, qua in locum filii vel nepotis, cet. Vbi notandum, sub filio etiam comprehendi filiam, sub nepote neptem; tam enim filius quam filia possunt adoptari. Additur, *is*, qui *natura talis non est*. Sic e. g. Moses natura non erat filius filiae Pharaonis, sed adoptio-

berorum parentes reliquis in honorum petitione praeferruntur, ii, quibus iste liberorum numerus deerat, per adoptionem sibi tot quaererent liberos, eosdemque deinde, ne oneri essent, ubi honoribus potiti erant, statim emanciparent. Vnde, condito denique SCto cautum est, ne simulata adoptio in ulla parte muneric iuvaret. Tacit. Annal. 15. cap. 19. Vlpian. L. 2. §. 2. ff. de vac. et excusat. munerum. Accedebat tertia ratio aequae fraudulenta. Si quis enim patricii ordinis tribunitiam potestatem ambiret, ut voti fieret compos, plebeio cuidam se adoptandum dabat. Exemplum huiusmodi fraudulentae adoptionis praebuit P. Clodius, cuius de absurda adoptione videri possunt Suet. Tiber. cap. 2. Dio Cass. 38. cap. 12. Cicer. Orat. pro domo cap. 13. Simile dedit Dolabella, qui ob eamdem causam in gentem Liviam plebeiam transiit. Dio Cass. 42. cap. 29. Et hae sunt verae illae ac genuinae causae, cur tam frequentes essent Romae adoptiones.

ne fiebat filius. Ex hac ergo definitione fluit axioma, quod per totum titulum regnat, *adoptio imitatur naturam*, idque totidem verbis habemus in §. 4. *Inst. hoc tit.* Sensus vero huius axiomatis est, quod is, qui per naturam pater vel filius esse non posset, nec possit etiam esse per adoptionem. E. g. puer 10. annorum per naturam non potest esse pater, ergo nec adoptione talis potest fieri. Filius per naturam non potest maior natu esse patre, ergo nec per adoptionem natu maior potest natu minoris filius fieri; *adoptio enim imitatur naturam*. Ex hoc egregio axiomate fluunt plures insig-  
nes conclusiones, quas §§. CLXXII. CLXXIII. ex-  
pendemus.

## §. CLXXII.

Nimirum inde facile solvitur quaestio, quinam possint adoptare? Quilibet, qui possunt parentes esse et generare. An ergo (1) castrati? Minime: et absurdum est *Novella Leonis* 26. quae et eunuchis permittit ius adoptandi; *adoptio enim imitatur naturam*. (2) An impuberes? Minime: quid enim iis opus liberis, qui ipsi adhuc pueri sunt? Impuberes generare nequeunt, ergo nec adoptare; *adoptio enim imitatur naturam*. (3) An feminae? Negatur. *Adoptio imitatur naturam*, atqui naturales liberi non sunt in feminae potestate, ergo nec per adoptionem fieri possunt alieni. Per privilegium tamen ius adoptandi concessum feminis in solarium liberorum amissorum. §. 10. *Inst. hoc tit. L. 5. C. hoc tit.* (4) An natu minores maiorem adoptare possunt? Minime. *Adoptio imitatur naturam*, quumque secundum hanc non temere ante annum 18. quis pater esse possit, ante annum 36. avus: sequitur, ut adoptans adoptivum saltim plena pubertate, id est, annis 18. praecedere debeat, si velit filium adoptare: dupli puberte-  
te plena, id est, annis 36. si nepotem. §. 4. *Inst. hoc tit.*

*tit.* Sed quum supra dixerimus , castratum adoptare non posse , aliudque obtineat in spadone , quem adoptare posse traditur §. 9. *Inst. hoc tit. L. 2. §. 1. L. 40.* §. 2. *ff. hoc tit.* quaeri potest , quomodo differant spadones , et eunuchi vel castrati? Resp. Spadones hic sunt , quorum impedimentum est temporarium , veluti e morbo: eunuchi vel castrati , qui in perpetuum impediuntur ob exsectionem.

### §. CLXXXIII.

Vidimus etiam , (§. CLXXI.) in definitione hunc exprimi adoptionis finem , in solatium eorum , qui liberos non habent , inventam esse adoptionem ; quod nobis novum dat axioma , unde tres conclusiones fluunt. 1) Quod adoptare ordinarie nequeant , qui nondum sunt annorum 60. *L. 15. §. 2. ff. hoc tit.* 2) Quod nec iis facile permittatur adoptare , quibus iam sunt liberi naturales. *L. 17. §. 3. ff. eod.* 3) Quod si quis in locum nepotis adoptare velit , filii consensus requiratur. *L. 6. ff. hoc tit.* Postremae conclusionis ratio in promtu est. Nam nepos mortuo avo recidit in potestatem patris , adeoque , si pater meus adoptat nepotem , tunc patre meo mortuo is adoptivus fit filius meus : si filius , erit etiam heres. Sic heres mihi invito obtrudetur. Quod quum principia iuris Romani non ferant , omnino dicendum , filii consensum requiri in adoptione nepotis. At de prioribus duabus conclusionibus res est paulo difficilior. Nam v. c. Henr. Bernard. Reinold *in Variis cap. 42. pag. 307.* pluribus Principum exemplis docuit , saepe et minores 60. annis adoptasse , saepe et illos , qui iam liberos haberent , alios adoptione quaesivisse ; sed res nihilominus salva est. Nam a) leges allegatae clarae satis sunt et perspicuae. b) Quod Principibus licuit , non ideo statim concessum fuit privatis. c) Perizon. *animadv. hist. cap. 3. pag. 125.* docuit,

ne in Principibus quidem huiusmodi adoptiones reprehensione populi caruisse: an aequiore animo eum tulisse dixerimus adoptiones privatorum, si contra has leges fierent? d) Ex Cicer. *Orat. pro domo cap. 13.* patet, Ciceronem ideo impugnasse adoptionem P. Clodii, quod pater eius adoptivus iam liberos naturales habeat, eamque ideo vocat fictam et simulatam. Quo iure et quae fronte id dicere potuisset Cicero, si licuisset ordinarie adoptare iis, qui iam erant parentes? Maneat ergo hoc fixum et firmum, adoptionem ordinarie non concessam vel minoribus 60. annis, vel iis, qui iam liberos procrearant. Quae vero extra ordinem aliquando facta, et tamquam privilegia ad exemplum non trahuntur.

### §. CLXXIV.

Hactenus adoptionem accepimus in sensu latiore. Et in hoc sensu duplex est, vel *adrogatio*, vel *adoptio strictius accepta*. ( vid. §. CLXXI. ) Differunt haec species bifariam:

1) *Subiecto*. Nam adrogantur homines sui iuris in nullius potestate patria constituti: adoptantur filiifamilias, adeoque homines alieno iuri subiecti.

2) *Forma vel modo*. Nam adrogatio fit beneficio Principis per eius rescriptum: adoptio imperio magistratus, quo praesente si pater declareret, se hunc filium alteri in adoptionem dare, et adoptans contra, se illum filii loco habere velle, res transacta est. De adrogatione agimus §. CLXXV. ... CLXXVIII. de adoptione §. CLXXIX. ... CLXXXII.

### §. CLXXV.

Inde itaque facile intelligetur *adrogationis* definitio. Adrogatio est *actus*, quo homo sui iuris auctoritate summi imperantis in patriam alterius potestatem redigi-

*gitur.* Ast quaeritur hic praecipue , cur , quum olim populus in comitiis calatis de adrogationibus statuere debet , et quidem auctoritate Pontificum , postea Princeps sibi id ius adrogavit? Sane olim adrogatio fiebat in comitiis. \*\* Pater adrogans ibidem declarabat , se hunc sibi

\*\* Cur in comitiis curiatis de adrogatione , tamquam de publica populi causa , actum sit , eius rei hanc rationem designat Vinc. Gravina ad XII. Tab. n. 85. quod interfuerit populi , fraudes , supra §. CLXX. in nota relatas , prohiberi. Sed prius procul dubio adrogationes in comitiis factae sunt , quam fraudum istarum extarent exempla. Melior ratio videtur , quia adrogati sperabant hereditatem. De hereditate vero in alios transferenda solum populum cognovisse , vel inde patet , quod et testamenta olim in calatis comitiis fierent. Accedit , quod per adrogationem caput e tabulis censualibus eximeretur , et in alterius redigeretur potestatem ; id quod , inconsulto populo fieri , iniquum videbatur. Hinc in legibus Decemviralibus Tab. IX erat lex : *de capite civis , nisi per maximum comitatum , ne ferunto.* Cicer. de Legib. 3. cap. 4. in qua lege , capitnis appellatione , non modo vitam , sed et libertatem , civitatem , familiaeque ius exaudiri debere , eleganter demonstrat in Notis Iac. Gothofred. Hinc ergo in comitiis res erat explicanda , et quidem in curiatis. Gell. 5. cap. 19. Et hinc adrogatio fieri dicebatur *lege curiata.* Tacit. Hist. 1. cap. 15. Pontificum vero auctoritate opus videbatur , non ob iurisjurandi religionem , quo adrogatio ab omni calumnia et fraude pura praestaretur , ut coniicit idem Vinc. Gravina loc. cit. sed quia adoptivi , relictis sacris familiae , in alterius gentis sacra transibant. Cicero pro domo cap. 13. Quid? sacra Clodiae gentis cur intereunt , quod in te est? quae omnis notio Pontificum , quum adoptare , esse debuit.

Dispiciebant ergo Pontifices , an adoptans ea esset aetate , ut alterum filium habere posset? an nulla ei spes prolii superesset? an , coniugio inito , foecunditatem fuerit expertus? quae causa sit adoptionis? Gell. Noft. Attic. 5. cap. 19. Cicer. pro domo cap. 13. et seq. Vlpian. L. 15. §. 2. 3. et L. 17. princ. de adopt. An adoptatus saltim plena pubertate filium antecederet? L. 40. §. 1. ff. de adopt. Et hinc veteres rident adoptionem Alexandri Imp. ab Elagabalo factam , quum ille duodecim , hic quatuordecim circiter annorum esset. Herodian.

velle filium esse. Interrogabatur filius , an auctor fieret et in hanc adrogationem consentiat? Si affirmaret , porro ex Pontificibus quaerebatur , an id fieri parentur , ut hic homo sui iuris in sacra alterius et potestatem re-

*Hist. 5. cap. 7.* Praecipue autem providendum sibi existimabantur adoptio vel adrogatio filio esset exitio , aut ei aliquid afferret detrimenti. Et inde est , quod tutori fas non esset , pupillum adrogare , *L. 17. pr. ff. eod.* nisi quod cognati a tutore propinquos; *L. 17. §. 1. ff. eod.* et privigni a tutore vitrico ex rescripto Antonini Pii possent adrogari. *L. 32. §. 1. ff. eod.* Exemplum Voconii Romani , a vitrico adoptati , est apud Plin. 10. epist. 5. Eundem tamen vitricum et tutorem fuisse privigni sui , quod suspicatur Cuiac. *Obs. 2. cap. 38.* ex isto quidem loco non constat. Formulam qua ii , qui adrogantur , auctores siebant , prodit Cicero *pro Domo cap. 29.* *Credo enim , quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil , tamen te esse interrogatum : Autorne eses , ut in te P. Fonteius vitae necisque potestatem haberet , uti in filio?* Neque tamen has interrogations et responsiones stipulationes fuisse , recte notat Cuiac. *Observ. 9. cap. 37.*

Causa cognita , in comitiis curiatis sequebatur solemnis rogatio : *Velitis iubeatis , Quirites , uti L. Valerius L. Titio tam iure legeque filius sibi siet , quam si ex eo patre , matreque familias eius , natus esset : utique ei vitae necisque in eo potestas siet , uti patri endo filio est : haec ita , uti dixi , ita vos , Quirites , rogo.* Gell. *Noct. Attic. 5. cap. 19.* Hinc adnuente populo , et triginta curiis in suffragia missis ita iubentibus , perfecta erat adrogatio. Cicer. *pro Domo ibid.* Et id quidem in antiqua illa liberaque republica obtinuit. Postea variae sensim acciderunt mutationes. Et primo quidem , comitiis cessantibus , Principes rescriptis suis adrogationes solebant concedere pariter , et confirmare. (Cuiac. *Observ. 12. cap. 15.*). Quod vel ideo iure facere poterant , quia simul erant Pontifices maximi , quorum erat , de adrogationibus dispicere. Raevard. *de auctor. prudent.* *cap. 6.* Factum id esse exemplo Galbae , qui primus veterem ritum neglexit , non abs re suspicatur Ant. Schulting. *ad Vlp. Fragm. tit. 8. §. 2. pag. 589.* Certe iam Antonini Pii tempore adrogationes factas esse auctoritate Principum , patet *ex L. 38. ff. hoc tit.* Hac vero mutatione semel admissa , etiam feminae (*L. 21. ff. hoc tit.*) et pupilli (*Vlp. Frag. tit. 8. §. 5.*) , et quidem plures simul (*L. 15. §.*

digeretur? His quoque consentientibus magistratus recitabat formulam solemnem: *Velitis, iubeatis, Quirites, ut hic ..... sit lege et iure L. Titii filius, aequa ac si ex eo eiusque matrefamilias esset natus?* Tum porro populus mittebatur in suffragia, et si plura suffragia in id conspirarent, tunc adrogatio pro perfecta habebatur. Iam si ergo olim penes populum et Pontifices fuit adrogationis arbitrium, quo iure id postea Principes sibi vindicarunt? Resp. (1) Quia populus omnne ius ei et in eum transtulit lege Regia. §. 6. Inst. hoc tit. (2) Quia Principes simul erant Pontifices maximi, ut luculenter docuit Andr. Bosius *de Pontifice max. Imper. Roman.* qui liber a Ge. Graevio primum separatim recusus, et postea *thesauro antiquit. Roman.* tom. 5. insertus est. Quum itaque Principes, et populi et Pontificum iura ad se solos traxissent nullo adversante, non mirum sane est, eosdem adrogationibus suam interposuisse auctoritatem.

### §. CLXXVI.

Iam quaeritur, quaenam sit adrogationis natura? Videlimur in definitione, per eam ex homine sui iuris fieri aliquem hominem alieno iuri subiectum. Inde sequitur eam esse speciem capitis deminutionis et quidem minima. Quum autem nemini invito iura sua adimi possent; recte inde collegerant veteres: 1) consensum filii adrogandi requiri. Auctor fieri debet adrogandus, et hinc interrogandus est primum, an patiatur hoc fieri. *L. II. ff. de his, qui s. cet.* 2) Sequebatur porro, liberos et bona adrogati transire in potestatem et domi-

*S. 3. ff. hoc tit.*), poterant adrogari. Sed non sine causae cognitione, et observatis requisitis quamplurimis. Desierunt etiam antiquae solemnitates et formulae, quas tamen novo edito, nescio an actum agens, sustulit Iustinianus. *L. ult. C. de adopt.*

nium

nium adrogatoris. Nam in cuius potestate est persona principalis , in eius etiam sunt omnia accessoria , adeoque et liberi et bona adrogati transeunt tamquam accessoria in potestatem adrogatoris. Hinc veteres adrogationem vocarunt modum adquirendi universalem ; *princ. Inst. de adquis. per adrog.* quia adrogator cum adrogato omnia eius bona iuraque acquirebat , praeterquam quae capitis deminutione tollebantur. §. 1. eod. 3) Sequebatur , impuberem adrogari non potuisse. Quum enim non sit tantum eius animi iudicium , ut sciret , quid ei expediret , adeoque nec consentire vel auctor fieri posset , nec poterat profecto adrogari. *Posses obiicere* , tutorem potuisse auctoritatem interponere. Ast resp. *tutela est vis et potestas in capite libero , ad tuendum eum , qui per aetatem se defendere nequit.* Potest ergo pupillum tutor tueri , non autem eum in adrogationem dare , quod sane potestatem tutoris excedit. *Enim vero quum olim pupillus absolute adrogari non posset , Antoninus Pius , Imperat. hoc quidem indulxit , sed hanc tamen adrogationem impuberum tot circumscripsit limitationibus , ut non facile quemquam repertum iri existimem , qui his legibus adrogare velit.* Videbimus eas conditions.

## §. CLXXVII.

*Antoninus Pius nimirum requirit 1) consensum propinquorum.* Horum enim maxime interest. Nam quia mortuo impubere certi forent eius heredes , quod impubes testamentum condere nequit , hinc aequum putavit imperator , iis ius succedendi quae situm non invitatis auferri. Iussit itaque eorum consensum adhiberi. 2) *Auctoritatem tutorum* , quia ad supplendum defectum iudicii in pupillo opus est hac auctoritate , maxime ubi periculum laesioris imminent , uti in adrogatione. 3) *Cognitionem causae.* Debet enim magistratus inquirere,

an ex bono animo adrogare velit? an iusta adrogandi causa? an adrogator iam liberos habeat nec ne? an haec adrogatio pupillo expediat? cet. 4) *Fideiussionem vel satisdationem*, qua caveatur (a) *propinquis*, quod mortuo intra pubertatis annos adrogato bona eius omnia illis restituturus sit: (b) *ipsi pupillo*, quod si eum sit emancipatus vel exheredatus, ei, non modo bona, quae ad patrem attulerat, restituturum, verum etiam quartam bonorum suorum. §. 3. *Inst. hoc tit.* De hac quarta maxima quaestio oritur, utrum intelligenda sit quarta omnium bonorum, an quarta portionis legitimae? Nam si verba de omnibus bonis intelligenda videntur, sic melior conditio erit adrogatorum quam naturalium liberorum, qui non nisi portionem legitimam ex bonis paternis possunt praetendere. Quid ergo statuendum? Resp. Omnia bonorum quarta intelligenda, (1) quia ita expresse dicitur §. 3. *Inst. hoc tit.* L. 2. C. de adopt. L. ult. ff. *si quid in fraud. patron.* (2) quia quarta haec non petitur querela inofficiosi, uti portio legitima, sed potius iudicio familiae erescundae. L. 8. §. 15. ff. *de inoffic. test.* L. 2. §. 1. fam. ercisc. Atqui ita melior erit conditio adrogatorum liberorum, quam ipsorum naturalium? Resp. Non erit. Nam quum supra dixerimus, adrogare non posse ordinarie, qui liberos naturales habet, facile patet, nec iis praeiudicium inferri posse, si vel maxime adrogatus accipiat quartam omnium bonorum. Ita optime rem exposuit Vinnius *in comment. ad Inst. hoc tit.*

## §. CLXXVIII.

Iam de adrogationis effectibus. De istis regula: *Eodem iure gaudent adrogati, quo ipsi naturales.* Nam rediguntur in patriam potestatem. Hinc 1) adsumunt nomen adrogatoris, sed tamen apud Romanos et suum retinebant leviter inflexum. Sic quum Augustus ante ad-

optionem vocaretur Octavius, postea dici coepit Iulius-Caesar Octavianus. Sic quoque P. AEmilius, post adoptionem a Scipione factam, dictus P. Cornelius Scipio AEmilianus. 2) Adrogatus a nobili fiebat nobilis, a plebeio plebeius: \*\* quod hodie cessat, quia nobilitas non est in arbitrio privatorum, sed a summa potestate in praemium virtutis conceditur. Sed 3) id singulare et probe observandum, quod adrogatio quidem tribueret iura agnationis, non autem iura sanguinis vel cognationis. *L. 23. ff. hoc tit.* Id est, adrogatus quidem fiebat propinquus patri adroganti, omnibusque, qui ex eius familia erant, non autem uxori adrogatoris, vel familiae. Hinc uxor adrogatoris non erat ipsi mater, eius frater non erat ipsi avunculus, eius soror non fiebat adrogati matertera. Contra adrogator fiebat pater, adrogatoris frater patruus, eius soror fiebat amita cet. Inde sequebatur demum 4) ut adrogatus et patri adrogatori succederet et omnibus eius propinquis tamquam agnatus: non autem matri, non matris propinquis. *§. 2. Inst. de legit. agn. success.* Haec de adrogatione: proximum est, ut de adoptione stricte dicta agamus.

\*\* Id tametsi neget Io. Corasius *ad L. 35. ff. de adopt.* tamen demonstratur exemplo Cn. Cornelii Cossi, qui ex Licinia, plebeia familia, adoptatus in patriciam Corneliam, tribunus militum consulari potestate fuit, ad quam dignitatem anno demum sequente plebeii via patuit, teste Livio *5. cap. 12.* Demonstratur idem exemplo Liviae, quam Tacitus *Annal. 5. cap. 1.* Nobilitatis per Claudiarn familiam, et adoptione Liviorum Iuliorumque clarissimae fuisse ait, et Augusti de quo Ovidius *Fast. 4. vers. 21.*

*Hic ad te magna descendit imagine mensis,*

*Et fit adoptiva nobilitate tuus.*

Corasio fraudi fuit *L. 6. §. 1. ff. de Senator.* ubi negatur, senatoris filium esse desinere, qui a plebeio sit adoptatus. Quamvis enim senatoria dignitas adrogatione et adoptione non amitteretur: ea tamen illa adquirebatur. *L. 5. L. 6. pr. ff. eod.* Et alia est dignitas senatoria, et alia nobilitas, tam gentis, quam imaginum.

## §. CLXXIX.

Haec tenus de adrogatione ; iam de *adoptione* proprie-  
sic dicta , quam ita *definimus*. Adoptio est actio legis,  
qua liberos , qui in parentum potestate sunt , adopta-  
mus imperio magistratus. Dicimus 1) *actionem legis*.  
Supra enim ( §. LXIX. ) vidimus , actiones legis vo-  
cari , quae (a) coram certo magistratu , (b) solemni ri-  
tu et formula , (c) sine procuratore , conditione et die  
erant explicandae. Talis vero erat adoptio. Nec enim  
privatum fieri poterat , sed coram magistratu , apud quem  
legis erat actio , quales erant consules , proconsules , praetores ,  
praesides provinciarum. Explicanda etiam erat so-  
lemni ritu et formula : nam filius a patre alteri adop-  
tanti ter vendebatur per aes et libram seu mancipatio-  
nem , et emtor utebatur formula , *hunc ego hominem*  
*meum esse aio , est enim mihi emtus hoc aere , hac*  
*aeneaque libra*. \*\* Ita et paulo post videbimus , ad-

\*\* Erat haec *adoptio* actio legis , et hinc inter praesentes ,  
adhibitis certis solemnitatibus , peragenda apud Praetorem , aut  
Praesidem , aut quemcumque magistratum , apud quem erat le-  
gis actio . Vlp. *Frags.* tit. 8. §. 2. L. 4. ff. de *adopt.* Gell. *Noft.*  
*Attic.* 5. cap. 19. A principibus , quos multa sibi in adrogationi-  
bus indulsisse probat Dodwel. *praelff.* 18. ad *Sparian.* pag.  
553. et domi adoptari poterat per aes et libram. Suet. *Aug.*  
cap. 64. *Caium et Lucium adoptavit domi per aes et libram emtos*  
*a patre Agrippa.* Fortassis et privatis idem licebat , si ad eos  
venire velleat magistratus. Adoptio enim erat actus voluntariae  
iurisdictionis , quales actus nec tribunal , nec locum certum  
requirunt. L. 36. pr. ff. de *adopt.* Et tunc adoptionis solemniti-  
tas aut in cubiculo , aut in atrio , coram lecto geniali perficiebatur.  
Quod patet ex loco Plin. *Paneg.* cap. 8. *Itaque non tui*  
*in cubiculo , sed in templo ; nec ante genialem torum , sed ante*  
*pulvinar Iovis optimi maximi , adoptio peracta est.* Erant vero  
geniales lecti , qui in nuptiis sternebantur in honorem ge-  
nii , unde et geniales appellati. Festus voce *genialis*.

Ritus adoptandi consistebat in tria venditione , adhibito  
FF 2 aere

optionem nec per procuratorem fieri potuisse , nec sub conditione , nec in diem. Adeoque quum omnia adsint requisita actionum legis , adoptio recte ita definitur. Ad-dimus , *qua liberos , qui in parentum potestate sunt , adoptamus imperio magistratus* ; quibus verbis adop-tio ab adrogatione discernitur. Hac enim , ut supra vi-dimus , adoptantur homines sui iuris , vel patresfamilias: adoptione contra filiifamilias. Deinde adrogatio fit impe-rio Principis : adoptio imperio magistratus , et quidem cuiusvis , quamvis non sit competens , quia est actus vo-luntariae iurisdictionis.

### §. CLXXX.

Ex hac ergo definitione facile responderi potest ad quaestiones : 1) qui adoptentur ? 2) quomodo adoptio fiat ? 3) quis eius effectus sit ? *Ad primam quaestionem*

aere et libra. Scilicet , praesentibus patre naturali et adoptivo, filioque adoptando , nec non libripende , antestato et quinque testibus , primo pater filium patri adoptivo mancipabat , ver-bis : *mancupo tibi bunc filium , qui meus est*. Tum pater adopti-vus , aes tenens , simulque apprehendens filium adoptivum: *bunc ego hominem , inquit , iure quiritium meum esse aio , isque mibi emtus est hoc aere , bac acneaque libra*. Tum aere , seu ut olim vocabatur , raudusculo , id est , sestertio nummo percutie-bat libram , illudque aes dabat patri naturali , quasi pretii lo-co. Caius apud Boët. Comm. in Cicer. Topic. lib. 3. Anr. Schulting. Iurispr. ver. anteius. pag. 54. Ea mancipatio ter erat repe-tenda si scilicet filii loco deberet esse adoptivus. Nam si quis in locum nepotis adoptaret , unica mancipatione actus absolvebarunt. Vlp. Fragn. tit. 10. §. 1. id quod etiam deinde in feminis obser-vatum. Cuiac. Enarrat. ad L. ult. C. de adopt. Hoc facto, pater naturalis in iure cedebat filium , et tum adoptio erat perfecta. Gell. loc. cit. Adoptantur autem , quum a parente , in cuius potestate sunt , tertia mancipatione in iure ceduntur , atque ab eo , qui adoptat , apud eum , apud quem legis actio est , vin-dicantur. Et hoc quidem ritu per aes et libram adoptavit Au-gustus Caium et Lucium. Suet. Aug. cap. 64.

quod

quod attinet, quinam adoptentur, ex definitione responderemus: *liberi, qui in potestate parentum sunt.* Ex quo colligimus, 1) *patris consensum sufficere.* In adrogatione aliter se res habet, ubi et adrogandus debet consentire et auctor fieri. (§. CLXXVI.) Hic autem perinde est, sive filio placeat adoptio, sive displiceat, modo pater, cuius in potestate est, consentiat. L. 5. ff. *hoc tit.* Ratio haec est. Filius in patria potestate constitutus a patre ter poterat venundari; (§. CXXXIV.) adoptio autem nihil aliud erat, quam tria venundatio imaginaria, ut superiore §. docuimus. Quemadmodum itaque in venditione non requirebatur filii consensus, ita nec in adoptione. 2) *Infantes etiam in adoptionem dari et adoptari posse.* L. 42. *hoc tit.* Adrogari non poterant impuberes, nisi multis adhibitis cautionibus, de quibus §. CLXXVII. actum: adoptari vero possunt etiam infantes. Cur? quia modo vidimus, eorum consensum non requiri in adoptione. Poterat pater et infantem sanguinolentum venundare, L. 2. C. *de patr. qui fil. distrax.* ergo et infantem in adoptionem dari nihil prohibebat. 3) *Adoptari non posse liberos ex concubina natos.* L. 7. C. *de nat. lib.* Quia enim adoptantur liberi in potestate constituti, secundum definitionem nostram §. antecedente expositam, liberi autem extra matrimonium ex concubina nati non sint in patria potestate, quippe quae tantum ex iustis nuptiis nascitur; (§. CXL.) facile patet, liberos naturales vel ex concubina natos adoptari non posse.

## §. CLXXXI.

Deinde II.) *quaeritur, quomodo fiat adoptio?* Resp. ex definitione, 1) eam fieri debere imperio magistratus, apud quem erat legis actio, quam iam §. CLXXIX. explicavimus. 2) Eam nec ad tempus, nec per tabulas scilicet epistolam, nec sine solemini iuris ordine fieri pos-

posse. Nam hoc natura legis actionum requirit. Nec diem illae admittunt, nec procuratorem, sed a quolibet in propria persona sunt explicandae. Ritum antiquum supra vidimus: hodie illis ambagibus et venditionibus non amplius opus est. Sufficit enim, a) si pater naturalis et adoptivus adeant iudicem quemcumque, quamvis non sit competens; b) si declarent coram eo, se velle in adoptionem dare et adoptare hunc puerum; c) rogentque, ut hoc in acta referatur. Eo enim actu totum negotium perfectum habetur. Sustulit enim Iustinianus veterem ritum, et hunc novum introduxit. *L. ult. C. de adopt.*

## §. CLXXXII.

Superest III.) tertia quaestio, *quis sit huius adoptionis effectus?* Hic vero sciendum, ias vetus et novum hac in re maxime differre. *Iure vetere* adoptionis et adrogationis effectus erat unus idemque, nempe patria potestas. Hinc Caius et Lucius, Caesares, quos Augustus adoptaverat, non minus erant eius filii, quam Tiberius, quem postea adrogabat. Adoptio enim omnis erat modus adquirendi patriam potestatem. *Princ. Instit. hoc tit.* At *ius novum* a Iustiniano in *L. pen. C. hoc tit.* inventum, rem plane mutavit. Hinc enim imperator distinguere nos iubet, utrum adoptio facta sit ab aliquo adscendentium, veluti ab avo materno, an ab extraneo? Si quis adscendentium adoptat, ille adquirit patriam potestatem; et hinc est, quod haec adscendentium adoptio a doctoribus *plena* et *perfecta* dicitur. Sin extraneus adoptat, patria potestas non transfertur ad adoptantem, sed penes matrem naturaliem manet, adeoque adoptivus hoc casu magis *alumnus* fit, quam filius; unde et *imperfectam* vel *minus plenam* hanc adoptionem vocant doctores. Existimare quis posset, ita nullum esse adoptionis minus plenae vel

iam-

imperfectae effectum , quia ea non adquiratur patria potestas. Sed respondetur , illam non omnino carere effectu. Nam adoptivus , quamvis non fiat filius familias , etiam tamquam filius succedit ab intestato. §. 2. *Inst. hoc tit.* Dico , *ab intestato*. Nam nihil prohibet , quominus adoptans , condito testamento , eum praetereat , et a sperata hereditate excludat. Regula enim , quod liberi sint aut instituendi aut exheredandi , tantum ad suos vel in potestate constitutos pertinet , non ad extra-neos , quorum in numero etiam est imperfecte adoptatus. Vnde et id singulare est , quod , quum alias iura successionis sint reciproca , id hic non observetur : adoptivus enim hic succedit patri ab intestato , sed non adoptans adoptivo succedit. Quia enim hic in potestate patris naturalis manet , hic in filii sui hereditate adoptanti praefertur. \*\*

\*\* Praeter hucusque relatos adoptionis modos erat et modus *adoptandi per testamentum* , non ab Imperatoribus demum , ut vulgo putant , inventus , sed iam tum libera adhuc republi-ca receptus. Iam ab antiquissimis enim temporibus solempne erat Romanis , heredes suos non in bona tantum , sed et no-men adsciscere. *Adsciscere* autem erat vocabulum adoptionis , de quo Io. Frider. Gron. *Diatr. ad Stat.* pag. 26. Cicero *de Offic.* 3. cap. 18. Basilii meminit , qui M. Satrium , sororis filium , nomen suum ferre voluerit , eumque fecerit heredem. Et in *Bruto* cap. 58. laudat Crassum , Liciniae filium , Crassi testamento adoptatum. Eodem exemplo Augustus Liviam et Tiberium , heredes testamento scriptos , nomen suum ferre iussit. Suet. *OEtav.* cap. 101. Ex eo tempore frequentissima occurruunt eiusmodi adoptionum exempla. Sed ea heredis institutio proprie adoptio dici vix poterat , quum nemo ea redigeret in patriam potestatem. Cuiac. *Obs.* 7. cap. 7. Nominis heredes erant : sed eos liberti paterni , et alia familiae iura non sequebantur , quod tamen in aliis adoptionibus fiebat. Cuiac. *Obs.* 7. cap. 1. Vnde mirum non est , quod adoptio per testamentum facta non numquam repetita , et more maiorum , vel lege curiata , vel per aces et libram iterum facta legitur. Augustus sane testamento adoptatus a Caesare , eam adoptionem lege curiata confirmandan-

dam curavit, ut auctoritates legis accederent, quae testamento natus non erat. Appian. *Bell. Civil.* 3. pag. 586. Imo quum libera republica mulieres adoptare nondum possent, solebant eae tamen iam eo tempore heredes ea lege instituere, ut nomen suum ferrent. Exemplum est apud Cicer. 7. *Epist. ad Attic.* 8. quod sane cum aliis argumento est, non veram fuisse hanc adoptionem, sed adoptionis simulacrum quoddam, quod praeter nomen et hereditatem nihil iuris in adoptivum devolvit.

## TITVLVS XII.

QVIBVS MODIS · IVS PATRIAЕ  
POTESTATIS SOLVITVR.

DIG. LIB. I. TIT. VII.

*Scopus et nexus. De morte.*

**V**Ideamus nunc, quibus modis ii qui alieno iuri sunt subiecti, eo iure liberentur. Et quidem quemadmodum liberentur servi a potestate dominorum, ex iis intelligere possumus, quae de servis manumittendis superius exposuimus. Hi vero, qui in potestate parentis sunt, <sup>2</sup> mortuo eo sui iuris fiunt. Sed hoc distinctionem recipit. Nam <sup>3</sup> mortuo patre, sane omnimodo filii filiaeve sui iuris efficiuntur: mortuo vero avo, non omnino nepotes neptesve sui iuris fiunt; sed ita, si post mortem avi in potestatem patris sui <sup>4</sup> recasuri non sunt. Itaque si moriente avo pater eorum vivit, et in potestate patris sui est, tunc post obitum avi in potestate patris sui fiunt. Si vero is, quo tempore avus moritur, aut iam mortuus est, aut <sup>5</sup> per emancipationem exiit de potestate patris: tunc ii, qui in potestatem eius cadere non possunt, sui iuris fiunt.

1 *Ius patriae potestatis*) Abest *patriae* a vet.  
Cod. teste Fabroto; et Theophil. simpliciter ~~et in~~ ~~emancipato.~~

2 *Mortuo eo sui iuris*) Quum paterfamil. moritur,  
quotquot capita ei subiecta fuerunt, singulas familias  
incipiunt habere: singuli enim patrumfamil. nomen sub-  
eunt, etiamsi pupilli sint et infantes; *L. 195. §. 2. ff.*  
*de verb. sign.* quod notandum.

3 *Mortuo patre*) Intellige, in cuius potestate filii  
erant. Nam si ipse pater sit in potestate patris sui, eo  
moriente, liberi eius non fiunt sui iuris, sed remanent  
in potestate avi sui, cui et quasi agnascendo fiunt sui  
heredes. *§. 2. infr. de exher. lib.*

4 *Recasuri non sunt*) Nepotes ex filio, mortuo  
avo, solent in potestatem patris sui recidere: *L. 5. ff.*  
*de his qui sui vel alien. iur.* sed hoc ita, nisi ipse  
pater aut mortuus sit iam ante, aut emancipatus a pa-  
tre suo. *L. 41. ff. de adopt.* Vlpian. tit. 10. *§. 2.*  
Caius 1. Inst. tit. 6.

5 *Per emancipationem exiit*) Hoc Glossema esse ex  
libris vet. notant Cuiac. Hotom. Fabrot.; nam et aliis  
modis exire de potestate potest. Nec Theophil. agnoscit.

### *De deportatione.*

#### §. I.

Quum autem is, qui ob aliquod maleficium  
1 in insulam deportatur, 2 civitatem amittit: se-  
quitur, 3 ut qui eo modo ex numero civium Ro-  
manorum tollitur, perinde 4 quasi eo mortuo, de-  
sinant liberi in potestate eius esse. 5 Pari ratione  
et si is, qui in potestate parentis sit, in insulam  
deportatus fuerit, desinit esse in potestate paren-  
tis. Sed si 6 ex indulgentia Principis restituti fue-  
rint, per omnia pristinum statum recipiunt.

1 *In insulam deportatur*) Deportatio in insulam in locum aquae et ignis interdictionis successit. L. 2. §. 1. ff. de poen. L. 3. ad leg. Iul. pecul. L. pen. in fin. de extraord. cogn. Brisson. lib. 3. sel. antiquit. cap. 5.

2 *Civitatem amittit*) Vnde deportati dicuntur peregrini: L. 6. §. 2. ff. de her. inst. L. 1. C. eod. et antedictis. L. 1. §. 2. de legat. 3. L. 17. §. 1. ff. de poen.

3 *Vt qui eo modo ex numero, cet.*) Constructio constabit, si cum Hotom. legas: ut eo, qui eo modo ex numero civium tollitur, perinde quasi mortuo, cet.

4 *Quasi mortuo*) Nam intereunt homines non solum morte, sed etiam maxima et media capitis deminutione; L. 63. §. ult. ff. pro soc. quae ob id vulgo mors civilis.

5 *Pari ratione*) Nam non magis civis Roman. peregrinum in potestate habere potest, quam peregrinus civem. Vlpian. tit. 10. §. 3.

6 *Ex indulgentia restituti*) Nempe plenissime et in integrum: L. 1. C. de sent. pass. nam simplex et generalis restitutio poenae tantum gratiam facit, et redditum in patriam concedit. L. 2. 6. 7. 9. C. eod. Cuicac.

### *De relegatione.*

#### §. II.

1 Relegati autem patres in insulam, in potestate liberos retinent. Et ex contrario, liberi relegati in potestate parentum remanent.

1 *Relegati*) L. 4. L. 7. §. 3. ff. de interd. et rel. Relegatio igitur est exsilium salvo iure civitatis. Ali quando tamen exilio opponitur. Ovid. 5. de Tristib. eleg. II. vers. 21.

*Ipse*

*Ipse relegati, non exsulis, utitur in me  
Nomine. . . . .*

*De servitute poenae.*

§. III.

<sup>1</sup> Poenae servus effectus, filios in potestate habere desinit. Servi autem poenae efficiuntur, <sup>2</sup> qui in metallum damnantur, et <sup>3</sup> qui bestiis subiiciuntur.

<sup>1</sup> *Poenae servus effectus*) Vel alio modo libertate amissa, §. 1. *infr. de cap. demin.* nam qui una cum civitate libertatem amittunt, vel magis pro mortuis habendi, quam qui civitatem tantum. *L. servitutem 209. de reg. iur. et uxor.*

<sup>2</sup> *Qui in metallum, cet.*) Vid. *L. 8. §. 4. 6. 11. L. 17. ff. de poen.* Cuiac. 13. *Obs. cap. 10.* Pet. Fab. 2. semest. 11. Tertull. *Apolog. cap. 12.* *In metallum Christiani damnabantur, aut bestiis subiiciebantur.* Iure novissimo servitus poenae sublata. *Nov. 22. cap. 8. Auth. sed hodie C. de don. int. vir.*

<sup>3</sup> *Qui bestiis subiiciuntur*) Passim ad bestias damnati, et dati dicuntur, *οἱ τοῦ ὄντος ἐκ ταῦτας δεδουλεῖσθαι.* Dio *Hist. lib. 59. cap. 10.*

*De dignitate.*

Novell. 81. Cap. 1.

§. IV.

Filiusfamilias <sup>1</sup> si militaverit, vel si <sup>2</sup> Senator, vel Consul factus fuerit, remanet in potestate patris. Militia enim, vel <sup>3</sup> consularis dignitas,

tas, de patris potestate filium non liberat. Sed ex Constitutione nostra 4 summa Patriciatus dignitas illico, Imperialibus 5 codicillis praestitis, filium a patria potestate liberat. Quis enim patiatur, patrem quidem posse per emancipationis modum potestatis suae nexibus filium liberare; imperatoriam autem celsitudinem non valere eum, 6 quem sibi patrem elegit, ab aliena eximere potestate?

1 *Si militaverit*) *L. 35. de rit. nupt. L. 5. et 6. de castr. pec. L. 7. C. de patr. pot.*

2 *Senator*) *L. 18. in fin. ff. de iudic. L. ult. de her. pet. Quint. declam. 286.*

3 *Consularis dignitas*) *L. 1. §. ult. ff. ad SC. Mac. Dionys. Halic. lib. 2. pag. 96. sed hodie liberat Nov. 81. ubi et aliae dignitates excipiuntur, in princ. cap. 1. et 3.*

4 *Summa Patriciatus dignitas*) Summa non quidem gradu, nam consulatus maior est, sed quia ad magnitudinem accedit dignitatis perpetuitas. Baro et Cont. Exstat Constitutio in *L. ult. C. de consul.* add. *L. 3. C. eod.*

5 *Codicillis praestitis*) Princeps per codicillos, id est, diplomata sive literas, honores deferebant. *L. 41. ff. de excusat. L. 12. C. de dignitat.* Suet. in *Claud. cap. 29. Synes. epist. 127.*

6 *Quem sibi patrem elegit*) Cassiod. in formula *patriciatus*. Imperatores Constantinopolitani soliti erant ex Senatoribus, qui curulibus magistratibus functi erant, sibi Consiliarios et quasi patres legere, quos patricios dici placuit, quasi patres communis Reipub. Suid.

*De captivitate et postliminio.*

Dig. Lib. 49. Tit. 15. Cod. Lib. 8. Tit. 51.

## §. V.

Si ab hostibus captus fuerit parens, quamvis servus hostium fiat, tamen <sup>1</sup> pendet ius liberorum, propter ius postliminii: quia hi, qui ab hostibus capti sunt, si reversi fuerint, omnia <sup>2</sup> pristina iura recipiunt: idcirco reversus etiam liberos habebit in potestate; quia postliminium fingit, eum, qui captus est, <sup>3</sup> in civitate semper fuisse. Si vero ibi decesserit, <sup>4</sup> exinde, ex quo captus est pater, filius sui iuris fuisse videtur. <sup>5</sup> Ipse quoque filius neposve, si ab hostibus captus fuerit, similiter dicimus, propter ius postliminii, ius quoque potestatis parentis in suspenso esse. Dictum est autem postliminium <sup>6</sup> a limine et post. Vnde eum, qui ab hostibus captus est, et in fines nostros postea pervenit, postliminio reversum rete dicimus. Nam limina, sicut in domo finem quemdam faciunt, sic et imperii finem esse limen, veteres voluerunt. Hinc et limen dictum est, quasi finis quidam et terminus. Ab eo postliminium dictum est, quia ad idem limen revertebatur, quod amiserat. <sup>7</sup> Sed et qui captus viatis hostibus recuperatur, postliminio rediisse existimatur.

<sup>1</sup> Pendet ius liberorum ) In pendent, in incerto est. L. 1. §. 1. ff. ad SC. Mac. L. 12. §. 1. de capt. et postl. Non igitur tam captivitate patria potestas amissa restituitur, quam liberi finguntur in potestate etiam tem-

tempore captivitatis mansisse. Vlpian. tit. 10. §. pen. Boëth. in Top. Cicer. lib. 4.

2 *Pristina iura*) Puta civitatem, familiam, bona sive eorum dominium. L. 5. §. 1. L. 22. §. 1. de capt. et postl. rev. Quae autem facti sunt, qualis est possessio, postliminio non continentur. L. 19. ex quib. caus. mai. Sicut autem postliminio reversus iura recipit, ita et in ipsum iura restituuntur. L. 6. dict. L. 12. §. 3. de capt. et postl.

3 *In civitate semper fuisse*) Non est levis momenti haec fictio. Pone filium medio tempore quaedam acquisivisse. Haec pater reversus, ob hanc fictionem, tamquam sibi quaesita occupare poterit iure peculii, etiam defuncto pridem filio. L. pen. de suis et legit. Alia effecta vid. in L. 1. §. 1. ff. ad SC. Mac. L. 6. §. ult. ff. de tutel. L. 22. §. 1. de capt. et postl. L. 13. eod.

4 *Exinde ex quo captus*) Haec fictio est legis Corneliae; L. 12. ff. qui test. fac. §. ult. infr. quib. non est perm. fac. test. eaque in omnibus partibus iuris servatur. L. 18. de capt. et postl.

5 *Ipse quoque filius*) L. 9. L. 10. L. 12. C. de postl. rev. Et igitur, e. g. si in potestate fuit filius, quem capiebatur, medio tempore patre mortuo, reversus suus heres patri erit. Dict. L. 9.

6 *A limine et post*) De notatione nominis postliminii vid. Cicer. in Top. cap. 8. Scal. in annot. in Fest. Grot. de Iur. bell. lib. 3. cap. 9. §. 1.

7 *Sed et qui captus*) L. 26. de capt. et postl. ubi etiam Florentinus ait, nihil interesse, utrum captivus dimissus, an vi, vel fallacia hostium potestatem evaserit, sive ut Homerus Odyss. 14. ἡ δέλλω, ἡ βῆ, ἡ ἀμφαδὸς, ἡ κευφηδὸς. Ita tamen, si ea mente fuerit, ut illo non reverteretur. Et ideo responsum est Attilium Regulum non esse postliminio reversum, quia iuraverat Carthaginem reversurum. L. 5. §. 3. dict. tit. Adde Grot. dict. cap. 9.

*De emancipatione: et primum de modis emancipandi,  
et effectibus emancipationis.*

Cod. Lib. 8. Tit. 49. Novell. 81.

### §. VI.

Praeterea <sup>1</sup> emancipatione quoque desinunt liberi in potestate parentum esse. Sed emancipatio antea quidem vel per antiquam legis observationem procedebat, quae <sup>2</sup> per imaginarias venditiones, et <sup>3</sup> intercedentes manumissiones celebrabatur, vel <sup>4</sup> ex Imperiali Rescripto. Nostra autem providentia etiam hoc in melius per Constitutionem reformat: ut fictione pristina explosa, recta via ad competentes <sup>5</sup> iudices, vel magistratus, parentes intrent: et filios suos, vel filias, vel nepotes, vel neptes, ac deinceps, a sua manu dimittant. Et tunc ex edicto Praetoris in bonis huiusmodi filii, vel filiae, vel nepotis, vel neptis, qui quaeve <sup>6</sup> a parente manumissus, vel manumissa fuerit, eadem iura praestantur parenti, <sup>7</sup> quae tribuuntur patrono in bonis liberti. Et praeterea si impubes sit filius, vel filia, vel ceteri; ipse parens ex manumissione <sup>8</sup> tutelam eius nanciscitur.

<sup>1</sup> *Emancipatione*) Emancipatio hodie definiri potest actus legitimus, quo liberi a manu patris apud competentem iudicem dimittuntur.

<sup>2</sup> *Per imaginarias venditiones*) Lege XII. Tabb. cautum fuit, ut si pater filium ter, ceteros liberos semel emancipasset, manumissi postea ab emtore, sui iuris efficerentur, illi tria manumissione, hi unica. Vl- pian.

pian. tit. 10. §. 1. et L. 8. §. 1. de iniust. rupt. L. ult. C. de emanc. lib. Caius Inst. lib. 1. tit. 6. §. 3. Dion. Halic. lib. 2. pag. 97. Boët. in Topic. Cicer. lib. 3. Ad cuius emancipationis imaginem postea institutum, ut simulato et dicis causa haec intervenirent.

3 *Intercedentes manumissiones*) Solebat autem pater naturalis sibi cavere de liberis sibi remancipandis, ut ipse potius eos manumitteret, et iura patroni conserueretur: quae species dicitur fieri contracta fiducia. §. ult. infr. de leg. agn. succ. L. 2. §. 15. ad Sen. Tertyll.

4 *Ex Imperiali Rescripto*) Anastasii, quia etiam neglecta antiquae emancipationis fabula, ex rescripto Imperatoris liberos emancipari permisit. L. pen. C. de emanc. lib.

5 *Iudices vel magistratus*) εξηγιασθεντες. Ne quis putet iudices hic intelligi pedaneos, apud quos lege agi non potuisse constat. Exstat Constitutio Iustiniani in L. ult. C. de emanc. lib.

6 *A parente manumissus*) Id est, emancipatus. Tit. si a par. quis man. Redigebantur enim liberi prius in servilem causam, licet postea in imaginariam dumtaxat. L. 3. §. 1. ff. de cap. min.

7 *Quae tribuuntur patrono*) Emancipatus a parente liberti exitum patitur; L. 1. ff. si a par. quis man. puta in contra tabulas bonorum possessione, dict. L. 1. et successione legitima: §. ult. infr. de leg. agn. succ. sed hoc mutatum. Nov. 118. cap. 4.

8 *Tutelam eius nanciscitur*) De qua infr. tit. de leg. par. tut.

*Si alii emancipentur, alii retineantur in potestate.*

## §. VII.

1 Admonendi autem sumus, liberum arbitrium  
es-

esse ei , qui filium , et ex eo nepotem vel neptem in potestate habebit , filium quidem de potestate dimittere , nepotem vero vel neptem retinere : et e converso , filium quidem in potestate retinere , <sup>2</sup> nepotem vero vel neptem manumittere : vel omnes sui iuris efficere . Eadem et de pronepote et pronepte dicta esse intelligantur .

<sup>1</sup> *Admonendi sumus* ) Ex Caio L. 28. ff. de adopt.

<sup>2</sup> *Nepotem manumittere* ) Notandum est , in filio-famil. idem esse , manumittere , ex potestate dimittere , sui iuris efficere , emancipare .

### *De adoptione.*

#### §. VIII.

Sed et si pater filium , quem in potestate habet , avo vel <sup>1</sup> proavo naturali , secundum <sup>2</sup> nostras Constitutiones super his habitas , in adoptionem dederit : id est , si hoc ipsum actis intervenientibus apud competentem iudicem manifestaverit , praesente eo , qui adoptatur , <sup>3</sup> et non contradicente , <sup>4</sup> nec non eo praesente , qui adoptat , solvitur quidem ius potestatis patris naturalis : <sup>5</sup> transit autem in huiusmodi parentem adoptionis , in cuius persona et adoptionem esse plenissimam , antea diximus .

<sup>1</sup> *Proavo naturali* ) Nam si extraneo in adoptionem dederit , iura patris naturalis integra manent . §. 2. *supr. de adopt.*

2 *Nostras Constitutiones*) *L. pen. et ult. C. de adopt.*

3 *Et non contradicente*) *Dicit. L. ult. L. 5. ff. eod.*

4 *Nec non praesente, qui adoptat*) *L. 25. §. 1. eod.* et hoc pertinet *L. nemo 123. de R. I. nemo alieno nomine lege agere potest.* Nam adoptio est legis actio, ut dictum supra.

5 *Transit in huiusmodi parentem adoptivum*) Per adoptionem igitur non efficitur filiusfamil. sui iuris, sed vel in alienam familiam transit, vel remanet in potestate patris naturalis.

*De nepote nato post filium emancipatum vel  
in adoptionem datum.*

§. IX.

Illud autem scire oportet, quod si nurus tua ex filio tuo conceperit, et filium postea emancipaveris, vel in adoptionem dederis, praegnante nuru tua; nihilominus, quod ex ea nascitur, in potestate tua nascitur. Quod si post emancipationem vel adoptionem conceptus fuerit; patris sui emancipati, vel avi adoptivi potestati subiicitur.

1 *Praegnante nuru tua*) Nepos non ex nativitate, sed ex conceptionis tempore familiam sortitur, quia ex eo tempore iam in rerum natura esse creditur. *L. 7. L. pen. de stat. hom. Vlpian. tit. 5. §. 10.* Et sic alias etiam spectatur tempus conceptionis. *L. 7. §. 1. de senat. L. 17. §. 5. ad SC. Trebell.*

*Vtrum*

*Vtrum parentes cogantur liberos suos  
de potestate dimittere.*

### §. X.

Et quidem neque naturales liberi, neque ad-  
optivi, ullo pene modo possunt cogere parentes,  
de potestate sua eos dimittere.

I *Vllo pene modo*) Ex Marciano *L. 31. de adopt.*  
Ait *pene*, quia excipiuntur quidam casus. *L. ult. si a  
par. quis man. L. 92. de cond. et dem. L. 32. de ad-  
opt. L. 12. C. de episc. aud.* Patre incestas nuptias con-  
trahente, liberi ex priore matrimonio, suppicio patris,  
sui iuris fiunt. *Nov. 12. cap. 2.*

## TITVLVS XII.

### QVIBVS MODIS IVS PATRIAЕ POTESTATIS SOLVITVR.


#### §. CLXXXIII. CLXXXIV.

**Q** Via opposita iuxta se posita eo rectius intelligun-  
tur, hinc recte, postquam de modis acquirendi  
patriam potestatem actum, etiam agitur de mo-  
dis, quibus ea solvitur, vel finitur. Modos illos deri-  
vamus ex uno principio: *Quibuscumque modis dominium*  
*Quiritarium destinit, iisdem et ius patriae potestatis*  
*solvitur.* Illud demonstramus hunc in modum. Patria  
potestas erat dominium in liberos (§. CXXXII.) quum-  
que nulli sint homines, qui tali potestate utantur in li-  
beros, quali utebantur Romani, §. 2. *Inst. de patr.*  
Hh 2 potest.

*potest.* erat dominium civibus Romanis proprium , ad eoque Quiritarium. Ergo quibus modis solvit̄ dominium Quiritarium , iisdem et patria potestas solvit̄ur.

### §. CLXXXV.

Videbimus ergo iam modos singulos , qui ex hoc principio fluunt. Talis est I.) *mors naturalis*. Mortuus non amplius est in mundo , non potest ergo quidquam habere propriae. Mors omnia solvit. Distinguendum tamen est inter liberos primi et ulteriorum graduum. Primi gradus liberi morte patris statim liberantur patria potestate : ulteriorum graduum non liberantur , si aliquis supersit , in cuius potestatem possint recidere. E. g.



Moritur primus relictis duobus filiis , secundo et tertio, ex secundo duobus nepotibus , quarto et quinto , ex quarto pronepote , sexto. Iam hi omnes in primi potestate erant tempore mortis , moriente ergo illo , secundus et tertius patria potestate liberantur , quia sunt primi gradus : quartus , quintus , sextus non liberantur, quia sunt ulteriorum graduum , sed recidunt in potestatem secundi. Fingamus iam et secundum mori , tunc sane quartus et quintus exhibunt a patria potestate , utpote primi gradus ; sextus in quarti potestatem recidet, non prius liberandus quam quarto mortuo. II.) *Mors civilis* , id est , capitis deminutio maxima et minima,

quae

quae morti aequiparatur. L. 209. ff. de reg. iur. Per maximam enim quis siebat servus , per medium peregrinus. Atqui nec servus nec peregrinus poterat aliquem habere in potestate , ergo illa his capitis deminutionibus solvebatur. III.) Etiam minima capitis deminutione solvi dicitur patria potestas , *per adoptionem plenam* , si adscendens descendenter adoptat , et per *emancipationem* , si quis filium suum e potestate sua dimittit. Sed prior modus magis transfert patriam potestatem quam solvit : posterior proprie eam solvit ; sed de ea paulo post.

### §. CLXXXVI.

Vidimus , patriam potestatem solvi media capitis deminutione , qua civitatis iura amittuntur ; id quod iure Romano fit per aquae et ignis interdictionem , deportationem vel exsilium. Sic in exsilium a P. Cladio actus Cicero omnia iura civitatis amisit et peregrinus factus est , adeoque et patriam potestatem iuris Romani non amplius exercuit in filium et filiam , donec suffragiis populi restitueretur. Quaeritur itaque , an et *relegatio* solverit patriam potestatem ? Id vero negandum. Inter exsilium enim et relegationem multum interest. Illud iura civitatis adimit et exsulem redigit ad peregrinitatem ; haec quidem ius in urbe commorandi adimit , sed salvo iure civitatis. Sic e. g. Ovidius ab Augusto ob delictum , nescio quod , relegatus fuerat in Pontum , sed non ideo desinebat esse civis Romanus ; unde ipse exsilium et relegationem accurate distinguit , sibique gratulatur , quod non exsulem eum fecerit , sed tantum relegari imperator. Hinc lib. 5. Trist. eleg. 11. vers. 15.

*Nec vitam , nec opes , ius nec mihi civis ademit , ....*

*Nihil nisi me patriis iussit abesse facis. ....*

*Ipse relegati , non exsulis , utitur in me....*

*Nomine. ....*

Quum itaque per relegationem iura Quiritium non adi-  
me-

merentur, ea nec dominium iuris Quiritium tollebatur, adeoque nec patria potestas solvebatur relegatione, id q. e. d. Ex eodem patet, nec per dignitatem sublatum esse ius patriae potestatis. Hinc sive consul esset filius, sive praetor, sive sacerdos, manebat tamen filiusfamilias, et ratione officii quidem pro patrefamilias habebatur, sed domi erat in potestate patris, et quidquid adquirebat, patri adquirebat. Luculentus id docet Dionys. *Halicarn. lib. 2. Antiq. Roman.* pag. 97. \*\* ubi refert, saepe filios magistratum gentes et cum plausu publice concionantes e rostris detractos fuisse a patribus, et per servos verberibus affectos, si quid turbarum in republica dare viderentur. Maneat lege fixum et firmum, non solvisse potestatem patris filii dignitatem.

### §. CLXXXVII.

Sed et haec mutavit Iustinianus, qui ob aliquot dignitates patriam potestatem finiri voluit. Et 1) initio quidem id privilegium concessit *patriciis*. *L. ult. C. de consul.* Per patricios autem hic non intelliguntur, qui ex gente patricia nati, uti olim id discrimen observatum Romae novimus a tempore Romuli: sed a tempo-

\*\* Quamvis Dionysius *Halic. loc. cit.* nullam dignitatem patria potestate liberasse contendat: iam ab antiquissimis tamen temporibus Flamines Diales, et Virgines Vestales patria potestate liberabantur. *Vlpian. Fragn. tit. 10. §. 5.* Gell. *Noct. Attic. lib. 1. cap. 12.* Id quod tamen non tam ob dignitatem, quam ideo potius factum videtur, quia tum Flamines Diales, tum Vestales Virgines a pontificibus manu capiebantur. Quum ergo capti, ex principiis iuris Romani capite deminui dicentur, et hinc iure patriae potestatis exirent: mirum non est, utrumque etiam hoc sacerdotium eam potestatem solvisse. Quin et flaminicae, id est, uxores flaminum Dialium patria potestare exibant, quod SCto demum coarctatum tempore Tiberii. Tacit. *Annal. lib. 4. cap. 16.*

ribus Constantini M. ita vocari solebant *primarii Principis administris*, quibus imperatores tamquam patribus utebantur, et quales superiore saeculo in Gallia fuere Cardinales Richelieu et Mazarin. Hos, si filiifamilias essent, patria potestate liberavit Iustinianus, absurdum esse ratus, eum privati potestati subesse, quem ipse Princeps pro patre habeat. 2) Quemadmodum autem fieri solet, ut honor uni habitus mox ab aliis ambiatur, ita paulo post simile privilegium impetrarunt Episcopi, tamquam spirituales patres, *Nov. 81. cap. 3.* nec non consules, praefecti praetorio, praefecti urbi, magistri militum et patroni fisci. *Nov. 81. cap. 1.* iuncta *L. ult. C. de decur.* Quaeri potest, an hoc privilegium et beneficium dici potuerit, si quis patria potestate libera-  
retur? Videri posset, quod non: quia filiifamilias pa-  
renti ab intestato succedebant, non autem emancipati,  
et hinc potius onus erat quam beneficium, potestate pa-  
tria liberari. Sed respondeatur, omnino id fuisse benefi-  
cium. Nam a) ita fiebat, ut, quidquid adquirerent,  
non patri sed sibi adquirerent, quum alias filius adqui-  
rat patri. b) Iustinianus *di&t. L. ult. C. de consul. et Nov. 81. cap. 2.* iis expresse reservaverat iura familiae.  
Ergo, quamvis patria potestate excederent, nihilominus  
tamen retinebant ius succedendi. Itaque in favorabilibus  
manebant iura familiae, in odiosis illa cessabant.

### §. CLXXXVIII.

Diximus §. CLXXXV. *emancipatione* etiam tolli  
patriam potestatem. De ea igitur iam agitur paulo pro-  
lixius. *Mancipare* Romanis erat vendere aliquid per aes  
et libram, adhibitis nempe quinque testibus civibus Ro-  
manis, antestato et libripende. Ergo et *emancipare* li-  
beros nihil aliud est, quam liberos per solemnem hu-  
iusmodi venditionem triplicem ex potestate sua dimit-  
tere. Quotiescumque ergo pater sponte filium e po-  
te-  
sta-

state sua hoc ritu dimittebat , toties dicebatur emancipare. Et sane id principio nostro ( §. CLXXXIV. ) quam maxime est consentaneum. Quemadmodum alias res in dominio nostro constitutas per venditionem possumus abdicare , ita et liberos. Est tamen haec emancipatio triplex , *vetus* , quae est ex XII. Tabb. derivata ; *Anastasiana* , inventa ab Anastasio , Imperatore L. 5. C. de *emancip. lib.* et *Iustinianea* , quam Iustinianus introduxit. *L. ult. C. de emancip. lib.* Iam de singulis seorsum.

## §. CLXXXIX.

Prima est *vetus* , qua pater praesentibus quinque testibus libripende et antestato vendebat filium ter , et toties tamquam servum manumittebat. Nimirum primo pater filium alteri praesentibus quinque testibus vendebat , emtorque nummo in libram iniecto dicebat , *hunc hominem iure Quiritium meum esse aio , est enim mihi emtus hoc aere , hac aeneaque libra.* Eo facto antestatus tangebat quinque testium auriculas , eosque monebat , ut memores essent huius venditionis. Hinc porro filius ita venditus tamquam servus manumittebatur. His peractis iterum eodem modo vendebatur et manumittebatur , idemque et tertium repetebatur iisdem ritibus. Et tunc ter venditus totiesque manumissus filius erat sui iuris. \*\* Rationem huius ritus ex XII. Tabb. di-

\*\* Quum leges Romuli ac Decemvirorum ter venumdandi filios potestatem indulsissent patribus , statuisseruntque simul , ut tertium manumissus filius sui iuris fieret ; commodissimum vi sum est Romanis , trina venditione imaginaria liberos e potestate dimitti. Quum vero omnes venditiones rerum mancipi per mancipationem fierent , id est , adhibito aere et libra : vid. Aleand. et Schulting. ad Caii Instit. 1. tit. 6. §. 3. pag. 50. seq. consequens erat , ut et illa liberorum , quamvis imaginaria , venditio eodem ritu fieret. Ritus in hac venditione adhiberi

xi arcessendam. Illis enim cautum fuerat , ut pater posset ter filium venundare , ( §. CXXXIV. ) 2) Ergo ter venundatus in speciem et ter manumissus patria potestate exibat. Observandum adhuc , filiam quoque et nepotes emancipari potuisse , sed in illarum et horum emancipatione semel tantum factam esse venditionem. Ceterum iste ritus duravit usque ad tempora Anastasii , Imperatoris , quibus temporibus exspiravit.

## §. CXC.

Tunc enim novus invaluit emancipandi modus , quia Anastasius , Imperat. L. 5. C. de emanc. lib. sanxerat , ut si pater liberos emancipare vellet , is tantum rescriptum a Principe impetraret , eaque emancipatio eiusdem esset effectus ac illa vetus per venditiones imaginarias

solitos , recensuimus supra in nota §. CLXXIX. quare illud tantum animadvertere oportebit , quod ubi postrema fiebat mancipatio , contractus fiduciae accedebat , paterque naturalis haec verba addebat : *ego vero hunc filium meum tibi mancupo , ea conditione , ut mibi remancipes , ut inter bonas bene agier oportet , ne propter te tuamque fidem frauder.* Cicor. de Officiis 3. cap. 15. ad famil. 7. epist. 12. Sigon. de Iudic. 1. cap. 5. Ille contra statim , recepto sestertio , filium patri naturali remancipabat. Quod ideo a Romanis excogitatum fuerat , ut ne , si a fiduciario manumitteretur , hic iura patronatus retineret , et naturalem patrem hereditate excluderet. Cai. Instit. 1. tit. 6. pag. m. 59. Remancipatum ergo sibi filium pater naturalis denique manumittebat , et quidem ordinario vindictae ritu , additis alapis. Vnde emancipatio olim μεστίβης ή πατιομάτης cum iniuriis et alapis facta dicitur. Nov. 81. praef. Horum rituum omnium notitiam debemus Caio Instit. 1. tit. 6. §. 3. sed pessime habito ab Aniano , unde pleraque ex doctorum virorum notis , et maxime Fr. Brummeri victuro opere de lege Cincia , vel emendanda , vel supplenda fuerunt. Poterant porro trinae istae mancipationes vel eodem die , iisdemque testibus , vel interiectis aliquot diebus , aliisque adhibitis testibus , seorsum fieri. Paul. Recept. Sent. 2. n. 25. §. 2.

Tom. I.

II

f2-

facta. Hic ergo requirebantur 1) literae supplices , Principi a patre offerendae , 2) rescriptum Principis , quo filium pro emancipato declararet. Sed et hoc non parum videbatur molestum. Nam si quis e. g. civis in Africa habitans vellet filium emancipare , is literas supplices Constantinopolin tenebatur mittere et ibi impestrare rescriptum ; id quod fieri non poterat sine magno temporis et pecuniarum dispendio. Visum ergo est Iustiniano et hoc emendare , et invenire modum emancipandi longe facillimum , de quo §. seq. agitur. Eius materiae sedes est in *L. ult. C. de emancip. liber.*

## §. CXCI.

Nimirum *Iustinianea emancipatio* fit non coram Principe , sed coram iudice , et quidem non coram iudice competente , sed coram quocumque , quia est actus voluntariae iurisdictionis. Requiritur itaque , 1) ut aedatur iudex qualiscumque sive die feriato sive judiciali , sive pro tribunali sedeat index , sive domi sit. Nam actus voluntariae iurisdictionis , quia nec citationem nec causae cognitionem requirunt , et diebus feriatis et extra iudicium possunt explicari. *L. 2. L. 8. C. de ferriis* ; §. 2. *Inst. de libertinis*. 2) Ut et filius adsit et consentiat. Hodie enim emancipari non potest invitus sed consentiens. *L. 5. C. de emanc. lib. Nov. 89. cap. 11.* 3) Ut declaret pater , se hunc filium velle e patria potestate dimittere , et filius declaret , sibi hanc voluntatem patris placere. 4) Ut iudex haec referat in acta , vel , uti hodie loquuntur , ut inscribat Protocollo. Eo enim facto statim perfecta censetur emancipatio. *Per L. ult. C. de emanc. lib.*

## §. CXCII.

Quaeritur autem , an et invitus pater ad emancipandum cogi possit ? Id ordinarie negatur ex eodem nostro principio (§. CLXXXIV. ) Patria enim potestas est dominium in liberos. Quemadmodum ergo invitus nemo cogitur ad alienandum et abdicandum dominium suum: ita et pater cogi non potest ad emancipandos liberos in potestate sua constitutos. Sed *in §. ult. Inst. hoc tit.* dicitur , *pater nullo pene modo cogitur* , non dicitur absolute , eum cogi non posse , sed nullo pene modo cogi posse , ex quo patet , esse quasdam ab hac regula exceptiones , id est , quosdam casus , quibus et invitus pater cogitur emancipare liberos. Eos videbimus. Doctores plures numerant , eosque memoriae causa his versiculis includunt:

- (a) *Si genitor saevus sit , (b) prostituatque pudorem Natae , (c) aut pupillo forsan damnosus adoptet:*
- (d) *Legatum aut (e) nummos capiat si hac conditione , Invito solvi poterit genitore potestas.*

Sed nos in nota huic §. subiuncta notavimus , aliquos horum casuum falsos esse , et tres tantum causas esse , ex quibus pater cogi possit ad emancipationem. Earum 1) prima est , si pater filiae pudorem prostituat , id est , si pater agat lenonem et filiam cogat , ut quaestum turpissimum corpore faciat. Quum enim huiusmodi nebulo non dignus sit nomine patrio , leges etiam illum cogunt , ut filiam e potestate sua dimittat. L. 12. C. de episc. audient. L. 6. C. de spectac. 2) Secunda ; si pater exponat vel exponi patiatur infantem , tunc , si infans iste ab alio nutriatur et educetur , pater tam *ἄγογες* non gaudet ulla potestate in illum , adeoque nec eius heres erit , si vel immensas divitias adquisiverit exposititius. L. 2. C. de inf. exposit. 3) Si pater incestas nuptias contraxerit , e. g. si materteram , amitam , socrus sororem

rem uxorem duxerit ; tunc enim liberi ex superiore matrimonio superstites ex eius potestate liberantur , etiam invito patre. *Nov. 12. cap. 2.* Reliqui casus a doctoribus additi in legibus , ut iam praemonui , et in nota \* demonstravi , nullum reperiunt fundamentum.

## TITVLVS XIII.

## D E T V T E L I S.

DIG. LIB. XXVI. TIT. I. NOV. LXXII.

*De personis sui iuris.*

**T**RANSEAMUS nunc ad aliam divisionem personarum. Nam ex his personis , quae in potestate non sunt , quaedam vel in tutela sunt , vel in curatione , quaedam neutro iure tenentur. Videamus ergo de his , quae in tutela vel in curatione sunt. Ita enim intelligemus ceteras personas , quae neutro iure tenentur. Ac prius dispiciamus de his , quae in tutela sunt.

I. *In potestate non sunt* ) Patria scilicet vel dominica : nam *potestatis* verbum plura significat ; *L. 215. de verb. sign.* et tutela quoque species quaedam est *potestatis* , §. 1. *infr. eod.* sed quae ad caput eius , qui in tutela est , non pertinet. Pupillus est sui iuris , non est in manu aut familia tutoris ; sed non est suae auctoritatis , ut loquitur Spartan. *in Adrian. cap. 18.*

De-

*Definitio tutelae.*

## §. I.

Est autem tutela ( ut Servius definivit ) <sup>1</sup> vis  
ac potestas <sup>2</sup> in capite libero , ad tuendum eum,  
qui <sup>3</sup> per aetatem se ipse defendere nequit , iure  
civili <sup>4</sup> data ac permissa.

**1 Vis ac potestas** ) Ita et §. seq. et Servius *L. I.*  
*hoc tit.* Haec duo quoque iunguntur , §. 3. *infr. de interd.* *L. 17. de legib.* *L. 7. C. de codic.* Cic. 3. *de nat.*  
*Deor. cap. 36.* Gloss. Basil. δικαστής καὶ ἀξονία. Theophil.  
δικαστὴς καὶ ἀξονία , ius et potestas. Significatur autem ver-  
bis istis facultas et ius pro auctoritate quid faciendi.

**2 In capite libero** ) Ἀρχαιώς , pro *in caput liberum*. Ut in XII. Tabb. *in eo pecuniaque eius potestas esto* , item in formula adrogationis. Gell. *Noct. Att. 5. cap. 19.* et Cic. *pro dom. cap. 29.* Caput autem liberum pro pupillo et persona , quae sui iuris est. *Dicit. cap. 19.*

**3 Per aetatem** ) In Florent. est , *propter aetatem L. I. ff. hoc tit.* *Propter aetatis infirmitatem* , Vlp. *tit. II. §. I.* οὐ τὸ τῆς ἡλικίας ἀπελάτης. Theophil.

**4 Data ac permissa** ) Datur , id est , defertur immediate lege XII. Tabb. tutela legitima : *L. 5. pr. L. 6. de leg. tut.* permittitur , quae prius data est aut testamento , aut a magistratu ; illa lege XII. Tabb. *L. I. de test. tut.* haec aliis legibus *infr. de Attil. tut.*

*Definitio et etymologia tutoris.*

## §. II.

Tutores autem sunt , qui eam vim ac potesta-  
tem

tem habent, exque ipsa re nomen acceperunt. Itaque appellantur tutores, quasi tuitores atque defensores: sicut <sup>1</sup> aeditui dicuntur, qui aedes tuentur.

<sup>1</sup> *AEditui*) AEeditus est aedis sacrae tutor, id est, curam agens. Fest. Σκαινόλαχος *Scaevola* vocat *L.* 20. §. 1. de ann. leg. Veteribus *aeditumus*. Gell. lib. 12. cap. 10.

*Quibus testamento tutor datur, et primum  
de liberis in potestate.*

### §. III.

Permissum est itaque parentibus, <sup>1</sup> liberis im-  
pueribus <sup>2</sup> quos in potestate habent, <sup>3</sup> testamen-  
to tutores dare. Et hoc in filios filiasque proce-  
dit omnimodo: nepotibus vero neptibusque ita  
demum parentes possunt testamento tutores da-  
re, si post mortem eorum <sup>4</sup> in potestatem patris  
sui non sunt recasuri. Itaque si filius tuus mor-  
tis tuae tempore in potestate tua sit, nepotes ex  
eo <sup>5</sup> non poterunt ex testamento tuo tutores ha-  
bere, quamvis in potestate tua fuerint: scilicet,  
quia mortuo te, in potestatem patris sui recasu-  
ri sunt.

<sup>1</sup> *Liberis impuberibus*) Etiam exheredatis. *L.* 4.  
*de test. tut.* Nec obstat *L.* 73. §. 1. *de reg. iur.* quo-  
niam exheredatio non extinguit ius sui heredis, aut  
impuberem facit suae potestatis. §. 4. *infr. de pupil.*  
*subst.*

<sup>2</sup> *Quod in potestate habent*) Tutela iure patriae  
potestatis mandatur. *L.* 40. *de adm. tut.* *L.* 1. *de test.*  
*tut.*

*tut. dist. L. 73. §. 1.* Itaque nec pater filio emancipato, nec mater liberis tutorem iure dare potest; sed opus est confirmatione. *Tit. de conf. tut.*

*3 Testamento*) Codicillorum usu recepto, etiam codicillis testamento confirmatis dari tutores cooperunt. *L. 3. de test. tut.*

*4 In potestatem patris*) *L. 1. §. ult. eod.* Quippe tutorem habere non potest, qui est in potestate patris: nec dari nisi suo heredi. *L. 73. §. 1. de reg. iur. iunct. §. 2. infr. de her. qual.*

*5 Non poterunt ex testamento, cet.*) Est tamen causus, ubi tutor utiliter datur nepoti, cuius pater superstes et in potestate. *L. 10. §. 2. de test. tut.*

### *De posthumis.*

#### §. IV.

Quum autem in compluribus aliis causis posthumi pro iam natis habeantur, et in hac causa placuit, non minus posthumis, quam iam natis testamento tutores dari posse: si modo in ea causa sint, ut si vivis parentibus nascerentur, <sup>2</sup> sui heredes, et in potestate eorum fierent.

*1 Pro iam natis*) Quoties de eorum commodo quaeritur, ut hic: *L. 7. L. pen. de stat. hom.* aliis autem non prosunt, nisi nati. *L. 231. de verb. sign.* Exemplum in *L. 2. §. 6. de exc. tut.*

*2 Sui heredes, et in potestate*) *L. 73. §. 1. de reg. iur.* Nec minus tamen utilis est tutoris datio, si nati sint vivo patre. *L. 16. §. ult. de test. tut.*

*De*

*De emancipatis.*

## §. V.

Sed et si <sup>1</sup> emancipato filio tutor a patre datus fuerit testamento , confirmandus est ex sententia Praesidis <sup>2</sup> omnimodo , id est , <sup>3</sup> sine inquisitione.

<sup>1</sup> *Emancipato filio*) Idem est , si etiam non emancipato datus sit codicillis non confirmatis. *L. I. §. I. de confirm. tut.*

<sup>2</sup> *Omnimodo*) Ita *ιται τοι αλεσσοι*, ut plurimum. *Dicit. L. I. §. 2.* Interdum enim a voluntate patris recedet Praetor. *L. 8. et 2. seqq. eod. L. 4. de test. tut.*

<sup>3</sup> *Sine inquisitione*) Et sine satisdatione. *Dicit. L. 4. dicit. L. I. §. 2. L. 3. L. 6. eod.* A matre autem datus filio instituto ( nam exheredato a matre dari non potest. *Dicit. L. 4.*) non satisdat quidem , sed ex inquisitione confirmatur. *L. 2. de conf. tut. dicit. L. 4. Ex L. 4. C. de test. tut. tollenda est negatio in illo loco , quando autem eos heredes , ( non ) instituerit.* Cuiac. Fabrot.

## TITVLVS XIII.

## DE TUTELIS.

## §. CXCIII.

**S**Vccedit ultima hominum divisio scilicet subdivisio potius. Prima erat , quod homines sint vel liberi, vel servi ; liberi vel ingenui vel libertini : et de hac di-

vi-

visione prima actum a tit. III. usque ad VII. Deinde homines alii erant vel *sui iuris*, vel *alieno iuri subiecti*. Qui alieno iuri subiecti erant, vel in *dominica potestate*, de qua actum tit. VIII. vel in *patria potestate*, de qua a tit. IX. usque ad tit. XII. Iam porro homines *sui iuris* vel sunt *in tutela*, vel *in curatione*, vel *neutro iure* tenentur. Hinc iam sequitur materia elegans et vere practica, *de tutela et curatela*. Et quidem consideratur, 1) quid sit tutela? tit. XIII. 2) Quotuplex sit? tit. XIV. ... XX. 3) quod sit tutorum officium? tit. XXI. 4) quid curatela? tit. XXIII. 5) quomodo tutela et curatela finiatur, tit. XXII. usque ad finem huius libri.

## §. CXCIV.

I. Quid sit tutela? tit. XIII. *Tutela* est iuris naturae et gentium. Interest enim reipublicae, interest societatis humanae, ut qui se ipsos regere et tueri non possunt, illi alieno auxilio regantur. Hinc non modo Romani, sed et Graeci; imo omnes omnino gentes, sola recta ratione duce, tutores constituerunt iis, quibus opus erat aliorum tuitione et auxilio. Et quidem quod ad Romanos attinet, illi praeficiebant tutores 1) *imperibus* vel *pupillis*. In hac enim aetate tam infirmum et lubricum esse solet hominum iudicium, ut facile possint labi, decipi, res suas prodigere, nisi ab aliis regantur. Nota sunt illa Horatii *in art. poët. vers. 161.*

*Imberbis iuvenis, tandem custode remoto  
Gaudet equis, canibusque, et aprici gramine campi,  
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.*

Iam deme his omnibus tutores, et frenum demes equo feroci: da ipsis libertatem, et gladium dabis furioso. Opus ergo pupillis erit tutoribus. 2) *Feminis*. Nam et hic sexus fragilis est, varium et mutabile semper femina,

*Tom. I.*

Kk

na,

na , facile decipi se patitur , maxime , si nox et amor vi-  
numque nihil moderabile suadent. Volebant itaque Ro-  
mani , \*\* ut mulieres essent sub tutela proximorum agna-

\*\* Antiquitatum studiosis est observandum , non solum  
*pupilos* tutelae , iure veteri Romano , subfuisse , sed et *femi-  
nas*. Et Athenis quidem idem fieri consueverat , ubi noti mu-  
lierum tutores , quos *xupi*s appellabant. Vid. Guil. Budaei.  
*Comment. Graec. ling.* pag. 44. Pfeiffer. *Antiq. Graec.* 4. cap.  
5. Salmas. de mod. usurar. cap. 4. Sane enim in negotiis o-  
mnibus a feminis Graecis adhibendi erant tutores , Cicer. pro  
*Flacc.* 30. ( *Dissert. nostr. de marito tut. vel curat. legit.* §. 8.  
seq. ) adeo ut conerahene non possent sine illis *κέρα μεδιπτε  
χριστῶν* ultra modium bordei , ceu testantur Dio Chrysost. *Orat.*  
74. et alii veteres , quos excitarunt Meurs. *Them. Att.* 2.  
cap. 9. et Salmas. de modo usur. cap. 10. Nec agere , vel con-  
veniri Athenis poterat mulier sine tute , et hinc illa vox  
praeconis in judiciis Atticis : ἡ δῆμος γέ τοι ξύπος , citatur haec  
mulier , eiusque tutor. V. C. Ev. Otto *Diss.* 4. cap. 1. §. 6.  
Inde est , quod nonnulli istam mulierum tutelam e iure  
Attico in Romanum permanasse existimant. Schilter. *Exerc. ad  
Pand.* XXXVIII. 227. Vinc. Gravina *de Leg. et Senatusc.* cap. 34.  
Sed praeterquam quod illam tutelam plane diversam a Roma-  
na fuisse , probatur a Meursio *Attic. Lett.* 3. cap. 24. vide-  
tur etiam Romana propter infirmitatem consilii iam inde ab  
ipsa urbis origine recepta. Quamvis enim id non sequatur ex  
loco Plutarchi *in Numa* pag. 66. ubi Vestalibus id privilegii  
concessisse Numa dicitur , ut a tutela essent immunes ( ex  
quo loco alias colligunt , mulieres iam tum ab eo tempore  
sub tutela fuisse ) certius tamen id colligere licet ex loco  
Catonis *apud Liv.* 34. cap. 2. *Maiores nostri nullam , ne pri-  
vatam quidem rem , agere feminas sine auctore voluerunt ; in ma-  
nu esse parentum , fratrū , virorum.* Adde et alterum locum  
Ciceron. *pro Muraena* cap. 12.

Erat vero haec mulierum tutela vel *pupillaris* , vel *perpetua* ,  
Boët. *in Topica* Cicer. lib. 4. quarum hanc illi præferebant ve-  
teres , teste Gellio *Noct. Attic.* 5. cap. 13. *Pupillarem* pubertas  
finiebat ; *perpetua* ne maiorenitate quidem exspirabat. *Pupilla-  
rum* tutores et gerebant , et auctoritatē interponebant. *Adul-  
tarum* vero negotiis tutores tantum auctoritatē interponebant ,  
non vero gerebant. Hinc verbi causa recte mulieri adultae  
poterat solvi. Cicer. *Topic.* cap. 11. At auctoritate tutorum  
opus

torum. Et in eo quidem deterior erat mulierum quam pupillorum conditio , quod , quum hi puberes facti tutela liberarentur , feminae essent in perpetua tutela , nisi vel (a) nuptiis in manum viri convenientrent , vel (b) tres liberos essent enixaæ , tunc enim iure trium liberorum

opus erat , si illa lege , aut legitimo iudicio agere vellet , si se obligaret , si negotium civile gereret , si rem mancipi alienaret . Cicer. pro A. Caecin. cap. 25. Vlpian. Fragm. tit. 11. §. 25. 27. Quin et nuptias contrahere , vel in manum convenire sine tutorum auctoritate non poterat . Cicer. pro Flacc. cap. 34. Erat porro perpetua illa tutela mulierum vel *testamentaria* , vel *legitima* , vel *praetoria*. Ista erat in potestate mari- ti , qui moriens uxori , quae in manum convenerat , tam- quam filiae familias , tutorem dabat testamento. Id quod non solum ex loco Ciceronis paulo obscuriore pro Mur. cap. 12. sed et ex hoc testimonio clarissimo Livii 39. cap. 19. patet , ubi Hispalae Fecenniae SC. data dicitur *gentis enuptio* , et *tutoris optio* , quasi ei vir testamento dedisset . Vid. Comm. ad L. Iul. et Pap. lib. 2. cap. 11. Illa erat ordinaria ; haec a praetore urbano , et tribunis plebis dabatur , si femina cum tutele legiti- mo lege , aut legitimo iudicio agere vellet , ut eo auctore ageret , Vlp. Fragm. tit. 11. §. 24. vel tutorem legitimum non haberet , vel is pupillus esset . Nam et pupillis tutelam legiti- mam iure veteri delatam esse , iam Cuiac. Obs. 17. cap. 28. demonstravit . Quum vero legitima tutela , quasi res iure Qui- ritium propria , in iure posset cedi : is , cui tunc cedebatur , vocabatur *tutor cessius* , cuius administratio tamen cessabat , si- mul ac legitimus qui cesserat , vel obiisset , vel capite esset deminutus . Vlpian. Fragm. tit. 11. §. 7. Fiebat autem illa ces- sio , ne agnatus eo onere perpetuo obrueretur , et quidem ple- rumque alteri agnato , si recte coniecit Iac. Gothofred. ad L. 2. C. Thed. de tutor. et curat. creand.

Quaeri etiam solet , an et mariti tutelam uxorum susci- re potuerint ? Affirmat Scipio Gentilis ad Apuleii Apolog. n. 1020. Sed Domitiana erit quaestio , sive proponatur de iis , quae in manum convenerant , sive de illis , quae tantum erant in ma- trimonio . Illae non erant in tutela , sed in manu et manci- pio maritorum , adeoque non magis poterant tutores habere , quam filiae familias , quum non essent capita libera ( vide su- pra in nota §. CXLI. ). Hæ sui iuris et rerum suarum do-

illa tutela finiebatur. Hae itaque personae in tutela erant apud Romanos. Sub curatoribus autem erant 3) *puberes*, qui vel ob aetatem vel alias causas res suas administrare non poterant, veluti *minorennes*, *furiosi*, *perpetuo morbo laborantes*. Ita iure vetere Roman. se res

minaे erant, ast in tutela non maritorum, sed agnatorum, vivebant, quia sine horum auctoritate nihil poterat de tutela legitima deminui. Hinc apud Gruter. *Inscript. pag. 552. 2.* occurrit monumentum, quod mulier fecit sibi, coniugi, et tutori suo. Si uxores in tutela maritorum esse dicerentur, procul dubio id intelligendum esset improprie de iis, quae in manum convernerant, quemadmodum et hodie nonnumquam parentes a ICtis satis inconcinne naturales filiorum tutores appellantur. Ex loco sane Ciceronis *pro Flac. cap. 34.* maritalis ista tutela frustra colligi videtur a Schiltero *Exerc. XXXVII. 229.* Imo posterioribus temporibus tantum abest, ut maritus esse posset uxoris tutor, ut ne curationem quidem minorennis vel furiosae suspicere possit. Orationem D. Marci factumque eam in rem SC. huic curationi obstitisse, novimus *ex L. 14. ff. de cur. fur. L. 4. et L. 17. C. de excus. tut. L. 2. C. qui dare tutor.*

Sed obsolevit sensim ista mulierum tutela. Et primo quidem privilegium illustrioribus quibusdam feminis concessum, ut sine tutorum auctoritate res suas gererent. Virginibus Vestalibus eam libertatem indulserat non Numa (ut ex Plutarcho in *Numa pag. 66.* colligunt) sed Augustus, Dio Cass. lib. 56. cap. 10. quo imperante etiam Octaviae et Liviae idem beneficium praestitit Senatus. Dio Cass. 49. cap. 38. Neque tamen eo ipso plane sublata tutela mulierum: siquidem lege Papia Poppaea caverat Augustus, ut a Praetore urbis tutor daretur ei mulieri, virgini, quam ex hac ipsa lege nubere oporteret, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve, si legitimum tutorem pupillum haberet. Vid. *Comm. nostr. ad L. Iul. et Pap. lib. 2. cap. 13.* Imo postea et Senatus censuit, in provinciis a praesidibus ex eadem causa dandos esse tutores. Vlpian. *Fragm. tit. 11. §. 20.* Eadem tamen lege Papia Poppea inventum est ius trium et quatuor liberorum, quod etiam a tutela liberabat ingenuas, quae ter; libertinas, quae quater peperissent. Dio lib. 56. cap. 10. Vlpian. *Fragm. tit. 29. §. 2. et 3.* Id vero ius quum saepius etiam steriles et orbi utriusque sexus beneficio Principis impetrarent: Dio Cass.

habebat : an et novo ? Omnino , nisi , quod Iustinianus tutelam feminarum plane abrogavit , adeo ut hodie in toto corpore iuris nec vola nec vestigium huius tutelae occurrat. Saltim usque ad tempora Iustiniani mansisse illam , demonstravimus in *Antiq. nost. Rom. hoc tit.*

### §. CXCV.

Iam sequitur *definitio tutelae*. Servius Sulpicius , Princeps ICtorum tempore Ciceronis , ita definit tutelam : tutela est *vis et potestas in capite libero ad tuendum eum , qui per aetatem ipse se tueri nequit , iure civili data vel permissa*. *L. 1. pr. ff. §. 1. Inst. hoc tit.* In hac definitione , ut fit , multa desiderant doctores . Nam 1) putant eam esse obscuram , quia dicit , est

*55. cap. 2. Paul. Sent. 4. tit. 9. §. 9. facile patet , rariores ex eo tempore factas esse mulierum tutelas.*

Successit SCtum Claudianum , quo tamen non omnis in universum sublata est tutela mulierum , ceu visum est Iac. Cuiac. *ad tit. C. de legit. tut.* et Marco Vetran. Mauro *de Iure liber. cap. 31.* sed tantum *cessitia*. Nolebat enim Claudio tutelas mulierum aliis cedi , id quod antea fieri consueverat ; sed oportebat proximos agnatos eas ipsas administrare. Et ita intelligenda verba Vlpiani *Fragm. tit. 11. §. 8.* erudite docet Ant. Schultingius in *Adnot. pag. 596. seq.* Mansit ergo ea mulierum tutela sub Antoninis , quorum temporibus exemplum exstat Pudentillae , uxor Apuleii , quae , tute ore auctore , praedium emerat. Apulei. *Apolo. 2. pag. 327.* Mansit tempore Vlpiani , quem ad Alexandri Severi tempora vixisse constat. Mansit sub ipso Constantino , ceu appetet *ex L. 2. C. Theod. de tut. creand.* Mansit denique sub Leone Imperat. cuius constitutionem de tutela mulierum *L. 3. C. de legit. tut.* a Triboniani interpolationibus vindicavit Schilter. *Exerc. XXXVII. 239.* Sensim tamen ex eo tempore obsolevit , adeo ut Iustiniani temporibus illius nec vola , nec vestigium supererset. Vnde et multa in Pandectis et Codice latent fragmenta , quae , quum de tutela mulierum loquerentur , a Triboniano in sensum prorsus alium detorta videntur.

vis

vis et potestas *in capite libero*. Quid caput liberum? Cur non clarius dixit, est vis et potestas *in pupillo*? 2) Eam esse ambiguam dicunt. Nam sensum horum verborum esse posse, quod tutor debeat esse caput liberum, et, quod pupillus esse debeat caput liberum. Ergo eloquutionem hanc esse aequivocam. 3) Esse eam verbosam sine ratione. Nam vis et potestas esse vocabula *ovis*, et alterutram suffecisse. Sed definitio omnino est optima, modo recte intelligatur. Nimurum *caput liberum* est *homo sui iuris*. Gell. lib. 5. cap. 19. Vlpian. *Fragm. tit. II. §. 5.* Eo autem vocabulo generali usus est Servius, quia eius aetate non modo pupilli, sed et feminae erant in tutela. Deinde non abs re iunxit *vim et potestatem*, quia *vis* significat potestatem cum coercitione coniunctam, *potestas* eam, quae sine coercitione est. Iam in feminas tutores habebant potestatem, non vim. In pupillis adhuc infantibus exercabant vim, in pubertati proximis potestatem. Sensus ergo definitionis hic est: *Tutela est vis* (in infantibus) et *potestas* (in adultioribus) *in capite libero* (id est, femina et pupillo) *ad tuendum eum* (additum fuisse videtur: *eamve*) *qui* (additum procul dubio fuit: *quaeve*) *propter aetatem* (additum fuit: *vel sexum*) *se sponte defendere nequit*. Talis olim fuisse videtur Servii definitio, sed videtur Tribonianus, quia eius temporibus seminarum tutela ab usu recesserat, ea, quae in parenthesi posuimus, resecasse.

## §. CXCVI.

Fluit iam ex hac definitione axioma: tutela est munus publicum. *Pr. Inst. de excus. tut.* Id recte intelligendum. Non dicimus tutelam esse officium publicum, nam tutor nec partem reipublicae administrat, nec dignitate aliqua fulget, nec salarium accipit, sed est manetque persona privata. At dicimus, tutelam esse *munus*

*nus publicum.* Munus autem publicum est onus, quod omnes cives publica auctoritate et publico iussu subire tenentur. *L. 214. pr. ff. de V. S.* Quum ergo et tutribus hoc onus imponatur publica auctoritate, nempe per legem et magistratus, quumque illud subire omnes teneantur, quibus non est iusta excusatio, hinc recte tutela dicitur munus publicum.

### §. CXXVII.

Iam videbimus, quid ex hoc axiomate fluat. Inde nimirum duae fluunt conclusiones: (1) *Quod filiifamilias recte constituantur tutores. Pr. Inst. qui test. tut. dar. poss.* Cur vero? Ratio est in §. CXXXV. in nota \* quia nimirum filiusfamilias in muneribus publicis pro patrefamilias habetur. *L. 9. ff. de his qui sui vel, cet.* Ergo et tutelam, quippe quae est munus publicum, gerere possunt. (2) *Quod nec servi, nec peregrini, nec mulieres, tutores esse possint.* Non servi et peregrini, quia tutela est munus publicum, cuius non sunt capaces, nisi cives. Nec mulier, quia ipsa olim erat sub tutela, adeoque alios regere non poterat. Accedit, quod nec mulieres habiles sint ad subeundum munus publicum et personale. Sed haec posterior tamen regula admittit exceptionem. Nam Iustinianus *Novell. 118. cap. 5.* sanxit, ut non modo ad tutelam admitterentur mater et avia, sed etiam reliquis agnatis omnibus anteferrentur. Ratio, quae Iustinianum movit, est insignis amor, quo complecti liberos et nepotes solent mater et avia; qui tantus esse solet, ut in eas vix cadat suspicio malae administrationis. Sed tamen hae quoque feminae non fiunt tutrices liberorum, nisi his observatis conditionibus: (1) ut renuncient secundis nuptiis et (2) privilegio SC. Velleiani, ex quo alias, mulieres pro aliis fideiubentes non obligantur.

§.

## §. CXCVIII.

Vidimus, qui tutores esse possint: iam dispiciendum, quibus casibus tutores dati vel impedianter, vel eorum administratio suspendatur? Id vero ex fine tutelae iudicandum, qui est, *ut tutor tueatur eum, qui per aetatem se sponte defendere nequit.* (§. CXCV.) Quicumque ergo id praestare nequeunt, illi nec tutores esse possunt. Tales vero sunt: (1) *minorennes.* Minorennes enim quum ipsi subsint curatoribus, quomodo alios tueantur? (2) *Furiosi et mente capti*, qui nesciunt ipsi, quid agant, quomodo hi aliis prospiciant. (3) *Surdi et muti*, qui si vitium hoc coniunctum sit, ut simul et surdi et muti sint, parum differunt a furiosis et mente captis, ideoque tutores esse non possunt. Quamvis vero haec verissima sint, tamen distingendum est inter tutelam testamentariam, legitimam et dativam. Si enim tutores testamento dati sint minorennes, furiosi, surdi et muti, tunc ob haec vitia tutela non finitur, sed suspenditur, id est, manent tutores, sed administratio ipsis non conceditur. Potius interea curator constituitur, donec fiant maiorennes, vel resipiscant, vel audire et loqui coeperint. Quod si autem tutor legitimus vel dativus minorennis sit, vel furiosus, vel surdus et mutus, non fit tutor: vel, si factus sit, et postea incipiat insanire, vel surdus mutusve fieri, statim finitur tutela, et alius tutor constituitur. Haec differentia probe observanda, quae fundamentum habet in L. 10. §. 7. ff. de excus. tutor.

## §. CXCIX.

Vidimus, qui tutores dari possunt: iam quaeritur, *quibusnam dentur tutores?* Ex definitione nostra §. CXCV. respondemus: *capitibus liberis, quae se sponte*

*te defendere non possunt.* Inde vero fluunt quatuor conclusiones : (I.) *Tutor datur primario personae , non rebus , §. 4. Inst. qui test. tut. dar. pos.* et in eo *tutor differt a curatore* , qui primario rei , non personae datur. Dico autem , tutores *primario* dari personae ; nam *secundario* etiam res et patrimonium pupilli administrant. Sed cur hoc receptum est principium ? Quia in definitione tutela diserte vocatur vis et potestas in capite , non in eius rebus , vel patrimonio. (II.) *Patrem habenti tutor non datur. L. 239. ff. de V. S.* Cur hoc ? (a) quia , dum pater vivit , filius satis defenditur , (b) quia , dum pater vivit , filius in eius potestate vivit , adeoque non est caput liberum , scilicet homo sui iuris , ad quos solos tutela pertinet. (III.) *Servo tutor non datur , L. 17. ff. de tut. dat.* ob eamdem rationem , quia servus est in potestate dominica heri , adeoque non est caput liberum , ergo nec tutorem habere potest. (IV.) *Peregrino tutor non datur.* At , inquis , hic quoque , si pupillus est , defensione indiget et est sane caput liberum , quia non omnes peregrini servi sunt. Sed respondeo : indigent etiam aliorum defensione peregrini , sed non praecise indigent tutela iuris Romani. Sunt etiam libera capita , sed in patria sua , non Romae , quum non gaudeant libertate Quiritium. Cic. *pro Caecin. cap. 33.* Ergo tutorem quidem accipiunt peregrini , sed ex iure patriae suae , non ex iure Romano ; quemadmodum et nuptias faciunt peregrini , testamenta condunt , hereditates legitimas adeunt , sed non ex iure Romano , cuius peregrini non sunt participes.

## §. CC. CCI.

Superest vero ultima quaestio , quotuplex sit tutela ? Respondemus , esse triplicem : *testamentariam* , quando pater liberis tutorem dat testamento : *legitimam* , quando tutelam suscipiunt personae , quas ipsa lex ad

Tom. I.

Ll

tu-

tutelam vocat, quales potissimum sunt agnati, patroni, parentes, fratres. Et *dativam*, quando magistratus pupillis tutorem constituit. Ergo *testamentarios* ad tutelam vocat testator, *legitimos* lex, *dativos* magistratus vel praetor. Inter has species tutelae is ordo observatur, ut 1) omnibus praferantur tutores testamentarii, adeoque, quamdiu hi adsunt, legitimi non admittuntur. 2) Vt, si nullus sit tutor testamentarius, tunc legitimi tutelam suscipere possint. 3) Vt, si alterutra tutela deficiat, magistratus tutorem constituat.

Fundamentum huius divisionis repetendum est ex XII. Tabb. In illis occurrebat lex : *Paterfamilias uti legassit super pecunia tutelave suae rei, ita ius esto.* Inde colligebant veteres, tutelam similem esse hereditati. Iam (1) quemadmodum testamentarius heres omnes alios excludit, ita et tutor testamentarius. (2) Quemadmodum, ubi heres institutus non est, ibi succedunt heredes legitimi, vel ab intestato : ita et deficiente tute ore testamentario legitimi vocantur. (3) Quemadmodum praetor in subsidium quibusdam dabat bonorum possessionem, ita et in subsidium dat tutorem iis, quibus nec testamentarius, nec legitimus tutor est. Hoc est fundamentum huius divisionis. Iam de singulis huius tutelae speciebus agitur singularibus titulis, et primum quidem *de testamentaria*.

## TITVLVS XIV.

QVI TESTAMENTO TUTORES  
DARI POSSVNT.

DIG. LIB. XXVI. TIT. II. COD. LIB. V. TIT. XXVIII.

*Qui tutores dari possunt. De patre  
vel filiofamilias.*

**D**ari autem tutor potest testamento non solum paterfamilias, sed etiam filiusfamilias.

I. *Etiam filiusfamil.*) Filiusfamil. in publicis causis pro patrefamil. habetur, veluti ut magistratum gerat, ut tutor sit. L. 9. de his qui sui vel alien. iur. L. 14. ad SC. Treb.

*De servo.*

## §. I.

Sed et servus proprius testamento cum libertate recte tutor dari potest. Sed sciendum est, eum et sine libertate tutorem datum, tacite libertatem directam accepisse videri, et per hoc recte tutorem esse. Plane si per errorem, quasi liber, tutor datus sit, aliud dicendum est. 5 Servus autem alienus pure inutiliter testamento datur tutor: sed ita, *quum liber erit*, utiliter datur. 6 Proprius autem servus inutiliter eo modo tutor datur.

I. *Servus proprius cum libertate*) Veluti, *Servus meus Davus liber et tutor esto.*

2 *Sine libertate*) Hoc modo, *Davus servus meus tutor esto.*

3 *Libertatem directam*) *L. 32. §. 2. de test. tut. L. pen. C. de nec. serv. her. inst.* Imo fideicommissariam. Cuiac. Vult. Bach. per *L. 9. C. de fideic. libert. Resp. diit. L. 9.* accipienda de eo casu, quo servus tutor datus est codicillis, vel verbis precariis, veluti, *Peto a te heres, ut Davus sit tutor liberis meis, ut in L. 1. §. 1. de conf. tut.*

4 *Per errorem*) Eo quod testator liberum esse putabat, quum esset servus. *L. 22. de test. tut. L. 24. §. 9. de fideic. lib. ἐπειδὴ ἐπωλάντο τεστὶ τύχη ἀντὶ οἱ διαθέματα, ut ibi Graeci.*

5 *Servus alienus pure inutiliter*) Intellige quoad verba et sententiam: nam illa datio, *Davus tutor esto,* non est pura quoad sententiam, quum subaudiatur conditio, *quum liber erit.* Ita Cont. ne obstet *L. 10. §. ult. de test. tut.*

6 *Proprius inutiliter eo modo*) Nec heres eo modo recte instituitur, *L. 21. de cond. inst.* quoniam quod in nostra potestate est, in casum conferri non oportet. *L. 22. diit. tit.*

### *De furioso et minore 25. annis.*

#### §. II.

Furiosus vel minor vigintiquinque annis tutor testamento datus, tutor tunc erit, <sup>1</sup> quum compos mentis, aut maior vigintiquinque annis fuerit factus.

1 *Quum compos mentis*) *L. 10. §. 3. L. 32. in fin. de test. tut.* Medio autem tempore curator a magistratu dabatur. *L. 10. §. 7. de excus. tut.*

Qui-

*Quibus modis tutores dantur.*

§. III.

Ad certum tempus , vel <sup>1</sup> ex certo tempore,  
vel sub conditione , vel <sup>2</sup> ante heredis institutio-  
nem posse dari tutorem , non dubitatur.

<sup>1</sup> *Ex certo tempore vel sub conditione* ) *L. 8. §.*  
*I. et 2. de test. tut. L. 14. §. 3. et ult. de tutel.* Et  
medio tempore locus erit Attilano. *L. 11. de test. tut.*  
Haec autem propria sunt tutelae testamentariae ex in-  
terpretatione verborum legis XII. Tabb. *Vti quisque*  
*legassit , cet.* Magistratibus non eadem libertas data.  
*L. 6. §. 1. de tut.*

<sup>2</sup> *Ante heredis institutionem* ) Apparet hoc favore  
pupilli iam olim receptum fuisse. Vid. §. 34. *infr. de*  
*legat.*

*Cui dantur.*

§. IV.

<sup>1</sup> Certae autem rei vel causae tutor dari <sup>2</sup> non  
potest : quia <sup>3</sup> personae , non causae , vel rei tu-  
tor datur.

<sup>1</sup> *Certae rei* ) Ex Vlpiano *L. 12.* et Marciano *L.*  
*14. de test. tut.* *Certae rei* , nec deductis rebus. *Dicit.*  
*L. 12. οὐτε ἐξεμινέτω, περιγράψασθαι* , ut vertunt Graeci. Et  
si datus fuerit , tota datio non valebit. *L. 13. eod.*  
Aliud iuris est , si quis heres certae rei scribatur. *L.*  
*1. §. 4. de her. inst.*

<sup>2</sup> *Non potest* ) Vniverso tamen patrimonio alicuius  
loci utiliter datur. *L. 15. hoc tit.*

3 Personae ) Principaliter scilicet , nam per consequentiam etiam rebus pupilli dari intelligitur. L. 12.  
§. pen. de adm. tut.

*De tute rato filiabus, vel filiis, vel liberis,  
vel nepotibus.*

§. V.

1 Si quis filiabus suis vel filiis tutores dederit, 2 etiam posthumae vel postumo dedisse videtur: quia filii vel filiae appellatione et posthumus et postuma continentur. Quod si nepotes sint, an appellatione filiorum et ipsis tutores dati sint? Dicendum est , ut et ipsis quoque dati videantur , si 3 modo *liberos* dixerit : ceterum , si *filios*, non continebuntur : 4 aliter enim filii , aliter nepotes appellantur. Plane si 5 posteris dederit , tam filii posthami , 6 quam ceteri liberi continebuntur.

1 *Si quis filiabus* ) Ex Vlpiano L. 5. et L. 6. de test. tut.

2 *Etiam posthumae* ) In legatis contra ; L. 17. de legat. 1. quia legata liberis , non ut liberis , relinquuntur , sed ex affectione singulari erga hos vel illos : at tutor liberis , ut liberis , datur iure potestatis.

3 *Modo liberos dixerit* ) L. 6. de test. tut. Liberorum enim appellatione omnes , qui ex nobis descendunt , continentur. L. 220. de verb. sign.

4 *Aliter filii, aliter nepotes* ) Natura filium a nepte distinguit : et hic naturalem propriamque appellationem sequimur ; quia ut ab ea recedamus , nulla iusta est ratio : alias filii appellatione et nepos continentur , iusta scilicet interpretatione. L. 84. L. 201. L.

220. de verb. sign. Exempla in L. 59. de rit. nupt. L. 2. §. 28. ad SC. Tertyll. L. 14. de senat. Mac. Filias tamen appellatione filiorum hic quoque venire placet. L. 16. de test. tut.

5 *Posteris*) Leg. posthumis dict. L. 6. et ita Theophil. et alii.

6 *Quam ceteri liberi*) Id est, non tantum posthumi primi gradus, verum etiam secundi, et ulteriores: quia vox *posthumi* non distinguit gradus. Bald. in dict. L. 6.

## TITVLVS XIV.

### QVI TESTAMENTO TVTORES DARI POSSVNT.

#### §. CCII.

**P**rima itaque tutelae species est testamentaria, \*\* cuius ante omnia origo et ratio explicanda est. Descendit autem ex XII. Tabb. in quibus lex: *Paterfamilias*

\*\* *Tutela impuberum* tam antiqua est, ut et sub Regibus eius exemplum reperiamus. Ancum enim Marcium filiis tutorem dedisse L Tarquinium Priscum, patet ex Liv. 1. cap. 34. Quum ergo Tarquinius nec agnatus fuerit, nec eo tempore leges de tutela dativa exstarent, adeoque ea tutela procul dubio testamentaria fuerit: sequitur, ut haec sit reliquis antiquior. Sane testimenti factio et ante Romam conditam in Italia viguit. Sic Proca, Rex Albanus, Numitori filio, qui stirpis maximus erat, regnum vetustum Silviae gentis legasse dicitur Livio 1. cap. 3. Exemplum Lucumonis in Tuscia, temporibus Romuli, vel Numiae viventis et testamento praeter-euntis posthumum nepotem, habet idem 1. cap. 34. Dein et legibus XII. Tabularum ea tutelae species firmata est, prospectumque, ut patri de liberorum tutela in testamento disponendi facultas esset.

uti

*uti legassit super pecunia tutelave suae rei, ita ius esto.* Iam supra diximus, liberos ratione patris iure Romano esse res, non personas. §. CXXXI. Quum itaque permittat lex patribusfamilias legare, id est, testamentum condere super tutela suae rei, consequi videbatur, ut testari etiam posset de tutela suorum liberorum. Habetis originem huius tutelae. Iam inde fluit axioma: *Pater liberis, in potestate sua constitutis et in alterius potestatem non recasuris, potest tutores testamento, vel codicillis testamento confirmatis, dare.* 1) Dico, *pater* id potest. Nam lex dixerat: paterfamilias *uti legassit*, cet. Non ergo haec potestas competit matri, aviae, fratri, sorori, sed soli patri. Dico 2) *liberis in potestate sua constitutis* potest dare tutorem. Testari enim ex leg. XII. Tabb. debet de tutela suae rei, non ergo de extraneis, sed de liberis suis, quos ratione patris res esse diximus. §. CXXXI. Dico 3) *et in alterius potestatem non recasuris.* Tales sunt nepotes, qui mortuo avo in patris sui potestatem recidunt, his vero tutor dari non potest, propter regulam, quam habuimus §. CXCIX. *patrem habenti tutor non datur.* Hic sensus est axiomatis: haec eius ratio. Iam ex eo facile potest iudicari, quodnam sit verum huius tutelae testamentariae fundamentum.

### §. CCIII. CCIV.

Fundamentum nimirum non aliud est huius tutelae testamentariae, quam *patria potestas*. Ergo qui liberos habet in sua potestate, is illis potest tutores dare: qui non habet, non potest. Ex hoc ergo principio iam facile reddimus rationem, 1) cur mater, avia aliaeque personae extraneae non possint tutorem testamento dare, quia nimirum pater solus vel avus habet liberos in potestate, non mater, non avia; multo minus aliae personae extraneae. Ergo nec avus maternus potest tuto-  
rem

rem dare nepoti ex filia , quia nec ad hunc pertinet patria potestas , sed ad solum patrem et avum paternum. 2) Cur tutorem dare possimus liberis in potestate nostra constitutis , non emancipatis , quia emancipati non amplius sunt in patria potestate. 3) Cur et exheredatis possit tutor testamento dari , quia nimurum exhereditatio quidem admit hereditatem , sed non est modus solvendi patriam potestatem. Posset dicere : ad quid opus est exheredatis tutoris datione , quum nihil habeant , cuius administratio suscipi possit a tutore ? Sed respondetur : (1) si vel nihil haberent , tutorem habere possunt , quia tutor primario personae datur. (§. CXCIX.) (2) Exheredati etiam habere possunt bona , v. g. a matre , vel a aviave materna profecta. 4) Cur posthumis etiam testamento detur tutor , quum tamen illi nondum nati adeoque nec in potestate patria constituti sint : quia nimurum posthumi , quoties de eorum commodo agitur , pro iam natis habentur. L. 7. ff. *de statu hom.* Si ergo pro natis habentur , haberi etiam debent pro liberis in potestate patris constitutis , ergo et pater iis potest tutorem dare ; quod erat demonstrandum. Adde §. 4.  
*Inst. de tut.*

## §. CCV.

Quaeritur porro : quomodo dari possit tutor ? Respondemus ex axiomate §. CCII. dandum eum esse 1) *testamento*. Nam quia hereditati comparabatur tutela , hereditas autem non nisi testamento dari potest , hinc et tutor datur testamento. 2) Postea permissum , ut tutor etiam dari possit codicillis testamento confirmatis. Id ideo videtur introductum , quia dum tutor datur a testatore , hic velut eius fidei committit tutelam. Atqui fideicomissa et in testamentis et in codicillis relinqui possunt. *Pr. Inst. de codicill.* 3) Tutores dari posse omnes , quibuscum est testamenti factio , modo sint muneris pu-

*Tom. I.*

Mm

bli-

blici capaces , e. g. servi cum libertate dati , filii familias , non autem mulieres. Imo id probe notandum , plus potestatis dare leges patri tutorem testamento danti , quam praetori tutorem danti ex officio. Nam praetor non potest dare furiosum , minorenem , surdum et mutum ; ita tutoris datio ipso iure nulla futura esset : at testator et furiosos , minorennes , surdos mutosque dare potest; quamvis enim dati non administrent , sed interea alias a magistratu detur , sunt tamen ipso iure tutores , et , simul ac maiorennes fiunt , vel ad sanam mentem redeunt , vel auditum et loquela recipiunt , statim ipsis permittenda est administratio ; qua de re diximus ad §. CXCVIII. Adde L. 10. §. 7. ff. *de excus.* Denique ex eodem fluunt : 4) nec personam incertam tutorem dari posse a testatore. L. 20. pr. L. 30. ff. *hoc tit.* Ratio olim erat , quia persona incerta nec heres institui poterat. §. 25. *Inst. de legat.* Et quamvis id postea in heredum institutione mutatum sit , tamen retinuerant ius vetus in tutela testamentaria. Ratio est , quia , qui tutorem dat liberis , id facit ex fiducia erga personam constitutam. Quomodo vero quis fiduciam collocare potest in persona incerta ? Non valet ergo haec tutoris datio : *Qui futuro anno eligetur consul , tutor liberorum meorum esto.* Denique et id observandum , 5) tutorem testamento dari posse *pure , sub conditione et in diem;* quod denuo fieri non potest a praetore , qui semper tutorem dat pure. Cur ergo hac in re plus licet testatori privato , quam praetori ? Resp. quia tutoris datio a praetore facta , est actus legitimus : L. 77. *de R. I.* actus legitimus non admittit conditionem et diem. (§. LXX. ) At talis actus legitimus non est constitutio tutoris per testamentum , ergo et sub conditione et in diem fieri potest. L. 8. §. 2. ff. *hoc tit.*

## §. CCVI.

Stabilivimus hactenus principium , quod tutela sit similis hereditati. Hinc etiam nova sequitur regula pro-  
be observanda : *Quamdiu speratur tutela testamentaria , tamdiu locus non est legitimae. L. II. princ. ff. hoc tit.* Ratio in promtu est. Quemadmodum enim non admittitur heres legitimus , vel ab intestato , quando testamento institutus adest : ita , si semel adest tutor testamentarius , vel adhuc speratur tutela testamentaria , tamdiu legitima tutela non admittitur. Nemo enim , ut saepe inculcabis infra , potest pro parte testatus , pro parte intestatus decidere. *L. 7. ff. de R. I.* Fingamus exemplum : testator dat *Titium* tutorem liberis , mortuo testatore *Titius* incipit furere , quaeritur : an proximus agnatus tamquam legitimus tutor possit admitti ? Negatur , quia , quamdiu speratur tutela testamentaria , tamdiu legitima non admittitur ; hic autem adhuc spe-  
ratur , quia furiosus resipiscere potest. Ergo praetor in-  
terea dabit tutorem. ( §. CXCVIII. )

## §. CCVII.

Altera huius tituli parte agitur de confirmatione tu-  
torum a magistratu fieri solita. Sed cavendum , ne hanc confundamus cum confirmatione hodierna. Differentia haec est : 1) hodie omnes tutores confirmantur a magi-  
stratu , olim tantum testamentarii , et quidem non omnes , sed aliqui. 2) Hodie confirmantur etiam , qui rite et iuste tutores dati : olim tantum illi , qui vitiose dati fuerant testamento. Ex quo fluit definitio : *Confirmatio est actus , quo magistratus tutorem testamentariorum vi-  
tiose datum confirmat.* Opus ergo est confirmatione ma-  
gistratus , quoties vitium in tutoris testamentarii consti-  
tutione observatur. Illud vitium aut est in testatore vel

in modo dandi. (1) In testatore est vitium , si is tuto-rem dat , qui non habet patriam potestatem in liberos, e. g. mater , avus maternus. Supra enim diximus , fund-a-mentum huius tutelae testamentariae esse patriam pot-estatem ( §. CCIII. ) Ergo qui tutorem dat pupillis in potestate sua non constitutis , is vitiose dat. (2) In modo dandi tutorem est vitium , si non detur tutor testa-mento vel codicillis simplicibus. Vtique casu tutoris datio quidem est ipso iure nulla , sed tamen , quia te-stator in persona constituta insignem collocasse videba-tur fiduciam , aequum existimavit praetor illos tutores, licet vitiose constitutos , a se confirmari , eaque confir-matione tolli hoc vitium.

## §. CCVIII.

Fit autem confirmatio duplice : vel sine inquisi-tione vel cum inquisitione. *Sine inquisitione* fit confir-matio , si pater quidem tutorem testamento dedit , sed vitiose ; quod fit tripliciter : 1) si tutorem dedit filio emancipato , 2) si dedit naturali filio , quia neuter est in patria eius potestate , 3) si dedit codicillis testamen-to non confirmatis. His casibus absolute praetor confir-mat tutoris dationem , nec opus putat esse inquisitione, quia pater semper praesumitur liberis bene prospicere. Contra *cum inquisitione* praetor confirmat tutores : 1) si mater dedit tutorem liberis institutis heredibus ; 2) si pater liberis naturalibus non institutis dedit , *L. 4. ff. hoc tit. L. I. §. 2. L. 7. de confirm. tut.* 3) si ex-traneus , e. g. patruus , avunculus , tutorem dedit. Quia enim his omnibus casibus non locus est tutoris da-tioni propter defectum patriae potestatis , praetor qui-dem confirmat tutores datos , sed non nisi praemissa in-quitione. Inquirit autem hoc casu praetor : (1) an uti-lis sit pupillo haec tutela ? (2) An tutor sit bonus vir? an improbus? an pupillo inimicus? cet.

§.

## §. CCIX.

Quod ad usum forensem huius tituli attinet, observandum est: 1) posse hodiernum patrem pupillo filio tutorem testamento dare, adeoque omnia iura hactenus explicata, etiamnum in viridi observantia esse. 2) In eo tamen mores differre a iure Romano, quod hodie non modo vitiouse dati tutores sint confirmandi, quemadmodum iure Romano: (§. CCVII.) sed omnes omnino, etiam recte dati, imo etiam ipsi legitimi. De Friesia tamen observavit B. Huberus *praelett. ad Pand. hoc tit.* exceptam hic esse legitimam tutelam matris et aviae, quae non soleat a magistratu confirmari. Sed aliis locis omnes promiscue confirmandi sunt. Sunt, qui ideo negant, hodie illam divisionem tutorum *in testamentarios, legitimos et dativos* adhuc usum habere, quia per confirmationem omnes sint dativi. Thomas *Not. ad Inst. hoc tit. pag. 93. et ad ff. pag. 247.* Sed hac quidem in re ratio fugit virum celeberrimum. Quamvis enim omnes hodie tutores confirmentur: manet tamen discri-  
men ratione originis, quod alii testamento dentur, alii lege vocentur, alii *ἀμέρος* vel immediate constituantur a magistratu, adeoque haec differentia eiusque usus nihilominus manet.

## TITVLVS XV.

## DE LEGITIMA AGNATORVM TVTELA.

DIG. LIB. XXVI. TIT. IV. COD. LIB. V. TIT. XXX.

*Summa.*

**Q**Vibus autem testamento tutor datus non est, his ex lege duodecim tabularum agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi.

<sup>1</sup> Ex lege XII. Tabb. ) L. 1. de leg. tut. ubi id summa providentia constitutum dicitur, ut qui sperarent successionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. Lege autem Solonis tutela non deferebatur agnatis, nisi remotioribus, Laërt. in Solon. segm. 56. contraria videlicet ratione, quod fere quisque conetur, eum, quem proximus heres insequitur, expungere, ut ait. Pers. satyr. 2. vers. 12. seq.

*Qui sunt agnati.*

### §. I.

<sup>1</sup> Sunt autem agnati, cognati per <sup>2</sup> virilis sexus cognitionem coniuncti, quasi a patre cognati: veluti frater ex eodem patre natus, fratris filius, neposve ex eo; item patruus, et patrui filius, neposve ex eo. At qui per feminini sexus personas cognitione iunguntur, agnati non sunt, sed alias <sup>3</sup> naturali iure cognati. Itaque amitae tuae filius non est tibi agnatus, sed cognatus: et invicem tu illi eodem iure coniungeris: quia qui ex ea nascuntur, patris, non matris familiam sequuntur.

<sup>1</sup> Sunt autem agnati ) Ex L. 7. de leg. tut. L. 10. §. 2. de grad. et aff. L. 2. §. 1. de suis et legit.

<sup>2</sup> Virilis sexus cognitionem coniuncti ) Modo non sint capite minutti. §. ult. infr. hoc tit. Nihil autem refert natura quaesita sit agnatio, an adoptione. Dicit. L. 2. §. 3.

<sup>3</sup> Naturali iure cognati ) Cognitionis nomen per se generale est: sed oppositum agnationi ad eam speciem cognitionis contrahitur, quae per feminas copulatur. L. 4. §. 2. de grad. et aff.

*Quis*

*Quis dicatur intestatus.*

§. II.

Quod autem lex duodecim tabularum ab intestato vocat ad tutelam agnatos , non hanc habet significationem, si omnino non fecerit testamentum is , qui poterat tutores dare : sed si, <sup>1</sup> quantum ad tutelam pertinet, intestatus decesserit : quod tunc quoque accidere intelligitur, quum is , qui datus est tutor , vivo testatore decesserit.

<sup>1</sup> *Quantum ad tutelam* ) Diserte , quantum ad tutelam , ut et Paulus L. 6. hoc tit. unde haec sumta. Ad hereditatem enim quod attinet , nemo intestatus decessisse intelligitur , qui facto testamento , unde heres postea exstitit , decessit. *Infr. de her. quae ab int. in princ.*

*Quibus modis agnatio vel cognatio.*

§. III.

Sed agnationis quidem ius <sup>1</sup> omnibus modis capit is deminutione <sup>2</sup> plerumque perimitur : nam agnatio iuris civilis nomen est ; cognitionis vero ius non omnibus modis commutatur; quia civilis ratio civilia quidem iura corrumpere potest, naturalia vero <sup>3</sup> non utique.

<sup>1</sup> *Omnibus modis capit is deminutione* ) Id est , quavis capit is deminutione , etiam minima. L. 5. §. ult. de leg. tut. L. 7. de cap. min.

2 *Plerumque*) Additum à τῇ τῷ Ἀναστάτῳ στατῆσι, ut ait Schol. Theophil. qua Constitutione frater emancipatus neglecta capitis deminutione ad fratri vel sororis legitimam hereditatem et tutelam vocatur. *L.* 4. *C. hoc tit.* Iustinianus etiam fratum emancipatorum filios vocat. *L. ult.* §. 4. *C. de legit. her.* et novissime sustulit iuris agnatici et cognatici in utraque causa differentiam. *Nov.* 118. *cap. 4. et 5.*

3 *Non utique*) Theophil. οὐ πάντας, non omnino, non capitis deminutione minima. Pompon. *L.* 8. *de reg. iur. nullo iure civili*, id est, nulla iuris civilis vel fictione vel solemnitate, veluti emancipatione. Vid. §. pen. seq. *tit.*

## TITVLVS XV.

### DE LEGITIMA AGNATORVM TVTELA.

#### §. CCX.

**L**egitima tutela est altera tutelarum species (§. CCI.) eaque ita vocatur, quia tutores hos nec testator, nec magistratus dat, sed ipsa lex eos ad tutelam vocat. Ea quadruplex est: lex enim ad tutelam vocat 1) *proximos agnatos*, unde hoc titulo de legitima agnatorum tutela agitur. 2) *Patronos* ad tutelam libertorum; unde legitima patronorum tutela, de qua tit. XVII. 3) *Patrem* ad tutelam filii emancipati. Haec est legitima parentum tutela, de qua tit. XVIII. Denique 4) *fratrem* ad fratri impuberis emancipati tutelam. Haec dicitur Fiduciaria tutela, de qua tit. XIX. Tres posteriores species hodie extra usum sunt: prima adhuc ubique viget, et hinc expendenda paulo accuratius. Locum habet *legitima haec agnatorum tutela*, si pater intestatus decessit. *Quamdiu enim ex testamento tutor est, legitimus non admittitur.* (§. CCVI.) Ast  
ad-

admittitur , si intestatus pupilli pater decessit. Intestatus autem in hoc titulo dicitur decessisse pater , (1) si plane testamentum non fecit ; (2) si fecit quidem , sed in eo de tutela nihil disposuit. §. 2. *Inst. hoc tit.* Vtique ergo casu legitimae tutelae locus est. Sed quaeritur : cur , non existente tutore testamentario , legitimus vel agnatus tutor fiat ? Ex nostro principio §. CC. explicato res facile poterit explicari. Tutela similis habebatur hereditati , deficiente herede testamento instituto succedit legitimus vel heres ab intestato. Ergo et non existente tutore testamentario , legitimus vel agnatus tutelam accipit.

## §. CCXI.

Iam facile patet , quodnam sit huius tutelae fundatum. Quum enim veteres tutelam hereditati aequi-parent : (§. CC.) formarunt sibi hoc axioma : *Vbicunque est successionis emolumentum , ibi et onus tutelae esse debet.* Quae regula totidem verbis expressa exstat in §. un. *Inst. de legit. patr. tut.* Iam quum proximos agnatos lex vocaret ad successionis emolumentum , eosdem etiam Romani in suscipiendo tutelae onere proximos esse voluerunt.


Quaeri potest , an prudenter ita statuerint Romani ? Sane veteres graeci periculorum existimabant , praesumo heredi tutelam , id est , capro vineam credere. Quid si enim tam cupidus sit hereditatis , ut pupillum sibi creditum veneno tollat , aut alio modo ad orcum mittat ? Ideo facilius ab eo fieri poterit , quia personam pupilli in sua tutela habet. Nec desunt exempla huius sceleris. Vid. Suet. *Galb. cap. 9.* Hinc Atheniensium legislator , Solon , tutelam agnatis , sed remotioribus , non proximis , deferebat : Charondas , Cretensium legislator , agnatis quidem bonorum administrationem , cognatis autem personae curam demandabat. At Romani

proximis agnatis et heredibus deferebant tutelam , quibus , vigente praecipue gentilismo , facile erat , ma-  
ctare pupillos miseros. Vid. Vinn. *Comment. ad §. 3.*  
*Inst. de pup. subst.* Defendit quidem hoc institutum  
B. Huberus *Digress. lib. 3. cap. 5.* sed ita , ut non  
difficile videatur eius argumenta refellere. Ut sit,  
axioma hoc semel receptum in iure : *Vbicunque est suc-  
cessionis emolumentum , ibi et onus tutelae esse debet.*  
Attamen limitatio addenda est , *modo iste proximus sit  
habilis obeundo muneri publico.* Hinc e. g. femina pot-  
est esse proxima agnata adeoque et heres legitima,  
nec tamen tutrix erat , per ea , quae supra diximus  
(§. CXCVII.) excepta matre et avia.


### §. CCXII. CCXIII.

Iam ergo facile ex hoc axiomate intelligimus , qui-  
nam ad legitimam tutelam vocentur ? Distinguendum est  
ius *vetus* et *novum*. *Iure vetere* 1) soli agnati , et his  
deficientibus , *gentiles* ad hanc tutelam vocabantur , quia  
et soli succedebant ab intestato : non autem cognati.  
Vnde explicandum , quinam sint *agnati* ? quinam *gen-  
tiles* ? quinam *cognati* ? *Cognati* generatim vocantur,  
qui eiusdem sunt sanguinis et originis sive paternae si-  
ve maternae. E. g. et *patruus* et *avunculus* et *amita*  
et *materterta* mihi cognati sunt. At *agnati* in specie  
dicuntur , qui e latere paterno vel per virilis sexus per-  
sonas mihi iuncti sunt. *L. 7. ff. hoc tit. §. 1. Inst. hoc  
tit.* Sic e. g. *patruus* mihi *agnatus* est , quia per pa-  
trem mihi iunctus , non autem *avunculus* , qui per ma-  
trem ; hic nimirum cognatus tantum est. Signum agna-  
tionis externum est idem nomen. Sic e. g. omnes Cice-  
ronis agnati vocabantur Cicerones : denique *agnati* et  
*gentiles* ita differunt , quod *agnati* sint eiusdem fami-  
liae , *gentiles* eiusdem gentis. Sic e. g. omnes Cornelii  
Romae erant gentiles , quia omnes erant ex gente Cor-  
ne-

nelia. At Scipiones inter se erant agnati, quia ex eadem familia gentis Corneliae descendebant. Paucis, Romani habebant fere tria nomina, *praenomen*, *nomen*, *cognomen*, e. g. M. T. Cicero. Praenomen erat signum *personae*, nomen signum *gentis*, ex qua quis prognatus erat, cognomen denique signum *familiae*. Iam haec sufficient de hoc discriminé. Ad rem ut redeamus, diximus, vetere iure solos agnatos et gentiles ad tutelam legitimam vocatos esse. *Princ. Inst. hoc tit. 2)* Si plures agnati erant proximi, excludebant remotiores, quia idem in hereditate obtinebat. E. g. Titius pupillus superstitem habet patruum, propatruum et patrui filium: quis ex illis est tutor? Patruus omnes reliquos excludit. Rem ostendit hoc schema:



3) Si plures eiusdem gradus sunt , omnes simul tutelam suscipiunt. E. g. si quis habeat quatuor patruos , hi omnes simul erunt tutores , quia etiam simul sunt heredes. Tale erat ius vetus. Iam *novum* sequitur. Hoc in duobus capitibus differt a vetere. 1) Quod hodie inter agnatos et cognatos nihil est differentiatione. Quia enim *Nov.* 118. *cap.* 4. Iustinianus cognatos et agnatos per omnia aequiparavit in hereditate : aequales etiam hodie sunt in tutela legitima , quia , ubi successionis emolumentum , ibi et onus tutelae esse oportet. ( §. CCXI. ) 2) Et in hoc ius novum differt a veteri , quod quum hoc nullam feminam ad tutelam admitteret , per *Nov.* 118. *cap.* 5. mater et avia omnibus reliquis agnatis praefreruntur ; qua de re diximus supra §. CXCVII.



#### §. CCXIV.

Sub finem huius tituli et aliud *agnatorum* et *cognatorum* discriminem indicatur. Nempe *ius agnationis* per omnem capitis deminutionem tollitur : *ius cognationis* tantum per *maximam* et *mediam* , non autem per *minimam* capitis deminutionem. Ratio est , quia *ius agnationis* est inventum iuris civilis ; *ius cognationis* e iure naturae et gentium est. *Ius civile* per aliud *ius civile* facile tollitur , non autem *ius naturale* , quippe quod immutabile est. Ergo si frater meus in adoptionem datus est Maevio , agnatus meus esse desinit , quia minimam capitis deminutionem passus est : non autem desinit mihi cognatus esse. Iam ergo facile patet , cur iam statim sequatur materia de capitis deminutione ex instituto nunc explicanda.

## TITVLVS XVI.

## DE CAPITIS DEMINVTIONE.

DIG. LIB. IV. TIT. V.

*Definitio et divisio.*

**E**st autem capitis deminutio , prioris status mutatio, eaque tribus modis accidit. Nam aut maxima est capitis deminutio , aut minor (quam quidam medium vocant) aut minima.

1 *Prioris status mutatio*) Graeci *προτίτιτης τριταγώνης*. Apud Gaium in L. 1. hoc tit. non est *prioris*. *Status*, hic est, quod a genere, a civitate, a rerum natura tribuitur, L. 3. de int. et releg. nempe familia, civitas, libertas, L. ult. hoc tit. quae tria complectitur Terent. *Eunuch.* act. 4. scen. 7. vers. 35.

*Eam esse dico liberam, ..... civem Atticam, ...*

*Meam sororem. ....*

2 *Tribus modis*) Auson. *Edyll.* II. vers. 65.

*Triplex libertas, capitisque minutio triplex,*  
nimirum uno ex tribus illis, quae dixi, amisso, continet capitis deminutio. *Dicit.* L. ult. Aliis duplex, magna et minor. Sed illi sub magna comprehendunt maximam et medium, quae hic etiam minor. L. 1. §. 4. de suis et leg. L. 1. §. 8. ad SC. *Tertyll.* L. 5. §. ult. de extr. cogn.

*De maxima.*

§. I.

Maxima capitis deminutio est, quum aliquis simul et civitatem et libertatem amittit: quod ac-

accidit in his, qui servi poenae efficiuntur atrocitate sententiae: <sup>2</sup> vel libertis, <sup>3</sup> ut ingratis erga patronos condemnatis: vel his, qui se ad pretium participandum venundari passi sunt.

**I Simul et civitatem et libertatem**) Hoc semper accidit iis, qui servi efficiuntur: nam sublata libertate tollitur quoque ius civitatis. Sic Regulus *capitis minor* Horatio, id est, servus factus per captivitatem. *Lib. 3. carm. Ode 5. vers. 42.*

**2 Vel libertis**) Libertus ingratus iure libertatis exiuitur, et patrono in servitutem redigitur; *L. 2. C. de libert. et eor. lib.* quod et Attico iure obtainuit. *Plat. 11. de legib.* Val. Maxim. *lib. 2. cap. 6. §. 6.* Vsurpat hoc ius Imper. Claudius. Suet. *in eius vit. cap. 25.*

**3 Ut ingratis**) Hotoman. *ingrati*, ut subaudiatur criminis vel iudicio.

### *De media.*

#### §. II.

Minor, sive media capitum deminutio est, quum civitas quidem amittitur, <sup>1</sup> libertas vero retinetur: quod accidit ei, cui <sup>2</sup> aqua et igni interdictum fuerit: vel ei, qui <sup>3</sup> in insulam deportatus est.

**I Libertas retinetur**) *L. 2. §. 1. L. 17. §. 1. de poen. L. 6. L. 15. de int. et rel.* Vlpian. *tit. 11. §. 12.* Callistratus tamen, *L. pen. §. ult. de extr. cogn.* diserte ait, aquae et ignis interdictione libertatem adimi: sed nulla erit pugna, si pro *veluti*, ibi legas *vel*, quomodo et quibusdam in codicibus legi testatur Accurs.

**2 Aqua et igni interdictum**) De hac poena vid. Ci-

Cicer. pro Caecin. cap. 34. pro Dom. cap. 30. pro Corn. Balb. cap. 11. seqq. Lact. div. inst. lib. 2. cap. 10. Hae duae res, aqua et ignis, humanam vitam maxime continent; ait Fest. in verbo *aqua*.

3 *In insulam deportatus*) Deportatione caput eximitur de civitate, et ad peregrinitatem redigitur, salva libertate. *L. 17. §. 1. ff. de poen. L. 6. L. 15. de int. et rel.* Successit in locum aquae et ignis interdictionis. Vid. supra quib. mod. *ius pat. pot. §. 1.*

### *De minima.*

#### §. III.

Minima capit is deminutio est, quum civitas retinetur et libertas, sed <sup>1</sup> status hominis commutatur. Quod accidit in his, qui quum sui iuris fuerint, coeperunt <sup>2</sup> alieno iuri subiecti esse, vel contra: veluti si filius familias a patre <sup>3</sup> emancipatus fuerit, est capite deminutus.

1 *Status hominis*) Vlpian. tit. 11. §. 13. At idem *L. 1. §. 8. ff. ad SC. Tertyll.* ait hanc capit is deminutionem contingere salvo statu. Solv. contingit salvo statu publico, quem quis ut civis habet, de quo illic, non salvo statu privato familiae, de quo hic. *L. ult. ff. hoc tit. Cuiac.*

2 *Alieno iuri subiecti esse*) Puta adrogati, eorumque liberi; *L. 3. pr. eod. §. pen. Inst. de adopt.* item dati in adoptionem personae non extraneae. *§. 2. supr. dict. tit.*

3 *Emancipatus*) Emancipatus capite minuitur, *L. 8. in fin. cum L. seq. hoc tit.* quia, ut ait Paul. *L. 3. §. 1. eod.* emancipari nemo potest, nisi in servilem imaginariam causam deductus: alibi tamen rationem petit

tit a familiae mutatione , *L. ult. eod.* quod contingit etiam hodie , sublata licet imagine servitutis.

*De servo manumisso.*

§. IV.

**I** Servus autem manumissus capite non minuitur : quia nullum caput habuit.

**I** *Servus capite non minuitur* ) Servile caput nullum ius habet : *Dict. L. 3. §. 1. in fin.* nullum ius , id est , nec familiam , nec civitatem , nec libertatem , sed demum post manumissionem haec consequitur.

*De mutatione dignitatis.*

§. V.

Quibus autem dignitas magis , quam status permutatur , capite non minuuntur : et ideo , a **I** *Senatu motos* , capite non minui constat.

**I** *Senatu motos* ) Senatu moti existimatio quidem minuitur , *L. pen. §. 2. de ext. cogn.* integri tamen capitinis civis manet . *L. 3. ff. de Senat.*

*Interpretatio §. ult. supra tit. prox.*

§. VI.

Quod autem dictum est , manere cognationis ius etiam post capitinis deminutionem , hoc ita est ,  
si

<sup>1</sup> si minima capitis deminutio interveniat : manet enim cognatio ; <sup>2</sup> nam si maxima capitis deminutio interveniat , ius quoque cognationis perit , ut puta servitute alicuius cognati : et <sup>3</sup> ne quidem si manumissus fuerit , recipit cognationem. Sed et si in insulam quis deportatus sit , <sup>4</sup> cognatio solvitur.

<sup>1</sup> *Si minima capitis deminutio* ) E. g. si Titius patruelis meus a patre suo emancipatus sit , agnationis iuria amittimus , cognationis retinemus , et ideo ad mutuam successionem ex edicto *unde cognati* vocamur. §. I. *infr. de succ. cogn.*

<sup>2</sup> *Nam si maxima* ) Maxima et media capitis deminutio etiam ius cognationis perimit , quia morti similis est. L. 63. §. ult. ff. *pro soc.*

<sup>3</sup> *Ne quidem si manumissus* ) Ac proinde ad bonorum possessionem *unde cognati* a Praetore non vocatur. L. 7. ff. *unde cogn.*

<sup>4</sup> *Cognatio solvitur* ) Id est , ius , quod quum adhuc in civitate esset , ut cognatus habebat. Ipsa autem cognatio aut sanguinis coniunctio servitute aut deportatione non tollitur : quae ob id etiam nuptiis post manumissionem impedimento est. §. 10. *supr. de nupt.*

*Ad quos agnatos tutela pertinet.*

### §. VII.

<sup>1</sup> Quum autem ad agnatos tutela pertineat , non simul <sup>2</sup> ad omnes pertinet , sed ad eos tantum , <sup>3</sup> qui proximiore gradu sunt : vel si plures eiusdem gradus sunt , ad omnes pertinet ; veluti si plures fratres sunt , qui unum gradum obtinent , pariter ad tutelam vocantur.

1 *Quum autem ad agnatos*) Ex Caio L. 9. ff. de leg. tut.

2 *Ad omnes*) Ita tamen, ut uni decerni possit administratio. L. 5. §. 2. ff. de leg. tut.

3 *Qui proximiore gradu*) Et hoc aequum est; quia et hi soli vocantur ad legitimam impuberis successionem. *Infr. de leg. agn. succes.*

## TITVLVS XVI.

### DE CAPITIS DEMINVTIONE.

#### §. CCXV.

**Q**Vid sit capitum deminutio, intelligere non possumus, nisi prius interpretetur vocabulum *caput*. Caput vocabatur Romae, cuiuscumque nomen referebatur in tabulas censuales. Hinc phrases: *censa sunt capita civium CCM*; *capite census pro eo*, qui nec rem nec prolem apud censorem profitebatur; *caput de civitate eximere*, id est, eiicere in exsilium. Quia autem in tabulas non referebantur nisi *liberi homines*, *cives et patresfamilias*, hinc caput idem est, ac *status libertatis, civitatis et familiae*. Quicumque ergo nullum horum statuum habet, veluti servus, is *caput non habere* dicitur. §. 4. *Inst. hoc tit.* Qui habuit statum illum triplicem, et illum vel penitus vel ex parte amittit, is *capite minui dicitur*.

#### §. CCXVI.

Iam ergo perspicua erit definitio. *Capitis deminutio* est prioris status mutatio. Quando ergo ex libero homine fit servus, ex cive peregrinus, ex patresfamilias filiusfamilias, *capitis deminutio* fit, non vero vice versa,

sa , si ex servo fit homo liber , ex peregrino civis , ex filiofamilias paterfamilias. Vnde sunt , qui definitioni nostrae addunt verba , est prioris status mutatio *in deteriorius*. Sed ista additio supervacua est , nam liber homo statum habet , servus non habet , civis statum habet , non peregrinus , paterfamilias statum habet , non autem filiusfamilias. Ergo si hi statum vel caput non habent , illum quoque non possunt amittere , adeoque nec capite deminui.

## §. CCXVII.

Quum vero caput vel status sit triplex , *libertatis, civitatis et familiae* : triplex quoque est capitis deminutio , *maxima, media, minima*. *Maxima* est , qua libertas tollitur , adeoque et iura civitatis et familiae. Dum enim aliquis fit servus , necessario et civis et paterfamilias esse desinit : *media* est , qua civitatis ius amittitur ; hic liber quidem homo manet , sed tamen fit peregrinus , et paterfamilias esse desinit : *minima* est , qua iura familiae perimuntur , quamvis et libertas maneat et civitatis ius. Paucis : *maxima* opponitur statui libertatis : *media* statui civitatis : *minima* statui familiae. Addendae adhuc sunt duae observationes : 1) quod *maxima* et *media* in iure nostro vocantur *mors civilis*. L. 209. ff. de R. I. Cur vero ? Quemadmodum enim mortuus nec agit quid , nec patitur , ita et servi et peregrini nec agere , nec beneficio aliquo iuris civilis affici fruique poterant. E. g. nec nuptias iuris Romani faciebant , nec testabantur , testamentove heredes instituebantur , nec contrahebant secundum ius civile , nec liberos in potestate habebant , nec usucapiebant , adeoque plane pro mortuis habebantur , aequa ac illi , quibus caput naturale amputatum. 2) Quod aliquando duplex tantum capitis deminutio occurrit in iure nostro , veluti in legibus notabilibus. L. I. §. 4. ff. de suis et

*legit. et L. i. §. 8. ff. ad SC. Tertyll.* Sed tunc minus accurate loquuntur ICti , et maximam mediumque sub una specie complectuntur. Id quod saepe fieri ab ICtis etiam in aliis tripartitis divisionibus , luculenter docuit V. C. Ger. Noodt *Probab. lib. i. cap. 12. et Observ. lib. 2. cap. 21.*

### §. CCXVIII. CCIX. CCXX.

Vidimus , quid sit illa triplex deminutio capitis: iam dicendum etiam , quinam illam patientur.

*Maximam* patiuntur 1) *capti ab hoste.* Apud nos capti hostes manent liberi , apud Romanos autem statim fiebant servi , adeoque statum libertatis amittebant , nec illum recuperabant , nisi domum reverterentur. Nam tunc omnia iura recuperabant *iure postliminii* , de quo diximus §. LXXXII. 2) *Qui maiores 20. annis dolose et pretii participandi causa venundari se patiebantur* , de qua fraude itidem §. LXXXIII. diximus. Ii enim dum in poenam in servitute manere cogebantur , statum libertatis amittebant , et sic maximam patiebantur capitis deminutionem. 3) *Servi poenae.* Quinam illi ? Romae lege Portia cautum fuerat , ut cives Romani nec flagris coedi aut verberari , nec suppicio capitali affici possent. Hinc quoties talem poenam magistratus civi Romano irrogare audebat , toties clamare solebat: *civis Romanus sum* , eoque facto statim erat dimittendus. Exemplum habemus in sacris literis *Att. Apost. XXII. vers. 25. seqq.* ubi ipse Paulus Apostolus hac formula se a saevitia tribuni militum liberat. Addantur Cicer. *Action. 2. in Verrem lib. 5. cap. 54. 57. 62. seqq.* Euseb. *Histor. Eccles. lib. 5. cap. 1. et Antiquit. nost. Roman. append. cap. 1. §. 28.* Quum itaque tam insigni privilegio gauderent cives , ut suppicio capitali affici non possent , et nulla tamen res publica consistere queat sine suppliciis facinorosorum: hinc

hinc eleganter Romani fingebant, eos, qui eiusmodi supplicio erant afficiendi, per sententiam capitalem fieri servos, nec cives amplius esse. Quia autem servus sine domino non intelligitur; et hic tamen capitum damnatus in nullius dominium redigitur, fingebant, poenam veluti eius dominum esse, et hinc dicebantur servi poenae. Eleganter de hac fictione egit Noodtius *Probab. lib. 3. cap. 12.*

*Medium* capitum deminutionem patiebantur, 1) *ii quibus aqua et igni interdictum.* Quid hoc? Romani cives et hoc gaudebant privilegio, *quod ius civitatis inviti haud amitterent.* Hinc si civem vellent iure civitatis privare, plebiscito cavebatur, non ut in exsilium proficiscatur, (ad id enim, ut dixi, cogi non poterant) sed ut aqua et igni non uteretur. Eo facto ipsi apponebantur custodes, qui illum prohiberent aqua et igni uti. Quum vere sic vitam tolerare non posset, necessario ipsi erat ex urbe in aliam civitatem discedendum, eoque facto statim ius civitatis amitterebat, quia iure Romano nemo poterat duarum civitatum civis esse, teste Corn. Nep. *in vita Attici cap. 3.* \*\* Eamdem medium capitum deminutionem patiuntur 2) *deportati.* Vbi ob-

\*\* Praeclare Cic. *pro domo cap. 30.* *Qui erant rerum capitum condemnati, non prius banc civitatem amitterebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est, mutandi soli causa venerant.* Id autem ut esset faciendum, non ad emptione civitatis, sed testi et aquae et ignis interdictione faciebant. Ergo si accurate loqui velis, non aquae et ignis interdictione eximebatur caput de civitate, ut ait Paulus *L. 2. ff. de publ. iudic.* (poterat enim, si vellet, in civitate mori) sed adscriptione in aliam civitatem, in quam exsul discesserat. Barn. Brisson. *Sel. Antiq. lib. 3. cap. 5.* Quae observatio, ne cui sola λογοτεχνίᾳ videatur, tanti profecto momenti est, ut Cicero oratione laudata neget, se aquae et ignis interdictione civitatis iura amisisse, quia nulli se populo adiunxisset, sed delituisse apud amicos. Addantur Vlr. Huber. *Digress. lib. 1. cap. 3. 8.*

ser-

servandum , aquae et ignis interdictionem proprie non discrepasse a deportatione ; nam et deportatis aqua et igni interdicebatur : differunt tamen effectu. Olim enim quibus aqua et igni interdictum fuerat , ii poterant suo arbitrio se conferre , quocumque vellent. At Augusto, quum ab exsulibus illis in tanta libertate morantibus seditionem metueret , Livia coniux suaserat , ut eos in insulas iuberet abduci et ibi includi ; unde postea *deportati* dicti. Vid. Dio. Cass. *Hist. lib. 55. cap. 20.* \*\* Hi , quibus aqua et igni interdictum , et deportati, coniunctim vocabantur *Exsules* , quos cum *Relegatis* non esse confundendos , iam supra ex Ovidio ostendimus §. CLXXXVI.

*Minimam* denique capit is deminutionem patiuntur 1) *adrogati* , quia ex hominibus sui iuris vel patribusfamilias fiunt filiifamilias. 2) *Adrogatorum liberi*, quia , quum ante essent in potestate patrum suorum, iam cum ipsis patribus in adrogantis potestatem redi-

\*\* Ex eo tempore invaluit deportatio , quam denuo constitutione quadam firmavit Augustus , apud eundem Dion. Cass. 56. cap. 27. Et hinc postea nihil fuit ista in insulas deportatione frequentius. Tacit. *Amal. 3. cap. 68. 6. cap. 30. 4. cap. 21.* Fiebat vero deportatio ita , ut rei compedibus vinciti impositique navibus , servis publicis , qui eos deportarent , tradicerentur. Oisel. *ad Caui Inst. lib. 1. tit. 6. §. 1. pag. m. 47.* Molesta in primis erat vel relegatio , vel deportatio in Gypsum, AEgypti insulam , in quam tempore Iustiniani et Iuridicus Alexandriae et Praeses Thebaidos relegare poterant , Cuiac. *Obs. 20. cap. 31.* itemque in Gyaros , fumo notabiles , Arrian. *Diss. Epict. lib. 1. cap. 25.* Steph. *de urbib. pag. 215.* et ibi interp. et Oasin inter AEgyptum et Cyrenas , muscis et culicibus famosam : de quibus locis Cuiac. *Obs. 8. cap. 27.* Onnes autem exsules teste Lactantio *Div. Inst. 2. cap. 10.* perinde habebantur , ac si essent , qui eam sententiam exceperant , morte multati. Vnde et diem quo ab exilio quis redierat , natalem vocabant , tamquam quo vitam primum recepissent. Cicer. *Orat. 2. post Redit. in Senat. cap. 11.* itemque alterius vitae initium. Idem *Epist. ad Attic. 4. epist. 1.*

gun-

guntur , adeoque familiam mutant . L. 3. pr. ff. hoc tit.  
 3) *Emancipati*. Sed hic dubium oriri potest. Emancipati ex filiisfamilias fiunt patresfamilias , adeoque status eorum non mutatur in deterius , sed in melius , ergo non potest dici capit is deminutio ? Sed Resp. huius capit is diminutionis fuisse singularem rationem , nempe quia olim emancipatio fieri non poterat , nisi per imaginariam venditionem in servitutem. Vnde emancipati ideo dicebantur capite minui , quia deducebantur in imaginariam causam servilem. L. 3. §. 1. ff. hoc tit. Adde supra §. CLXXXIX. Sed id hodie cessat , quia et imaginaria illa venditio in emancipatione cessat , postquam et Anastasiana et Iustinianea emancipatio introducta ; de qua itidem supra actum §. CXC. seq.

## TITVLVS XVII.

## DE LEGITIMA PATRONORVM TVTELA.

DIG. LIB. XXVI. TIT. IV. COD. LIB. V. TIT. XXX.

*Ex ratione legis XII. Tabb. quae tutelas agnatis idcirco defert , quia heredes ab intestato sunt , indu- Etum est , ut patroni libertorum suorum tutelam susciperent : quae ideo legitima dicitur.*

L. 3. ff. de legit. tutor.

**E**X eadem lege duodecim Tabularum , libertorum et libertarum tutela ad patronos liberosque eorum pertinet , quae et ipsa legitima tutela vocatur : <sup>1</sup> non quia nominatim in ea lege de hac tutela caveatur , sed quia perinde accepta est <sup>2</sup> per interpretationem , <sup>3</sup> ac si verbis legis introducta esset. Eo enim ipso , quod hereditates libertorum libertarumque , si intestati decessissent,

sent, iusserat lex ad patronos liberosve eorum pertinere, + crediderunt veteres voluisse legem etiam tutelas ad eos pertinere: quum et agnatos, quos ad hereditatem lex vocat, eosdem et tutores esse iusserit: quia plerumque ubi successio-  
nis est emolumen-tum, ibi et tutelae onus esse debet. Ideo autem diximus *plerumque*, quia si a femina impubes manumittatur, ipsa ad hereditatem vocatur, quum alius sit tutor.

1 *Non quia nominativi*) Specialiter, sive disertis verbis, ut lex vocat agnatos. *L. 3. de leg. tut.*

2 *Per interpretationem*) Per consequentias hereditatum, quae ipsa lege patronis datae sunt. *Vlp. dict. L. 3. et in fragm. tit. II. §. 3.*

3 *Ac si verbis legis*) Legitimum est, tam quod ex legis interpretatione proficiscitur, quam quod ex verbi. Fac. *L. 6. §. 1. ff. de verb. sign.*

4 *Crediderunt veteres*) Recta et iuri naturae con-  
veniens prudentium haec collectio. *L. 10. de reg. iur. L. un. §. 4. C. de cad. toll.*

5 *Quia si a femina*) *L. 1. §. 1. L. 3. §. 4. ff. de leg. tut.* Ratio est, quia tutela officium virile est, et munus publicum, infr. *de excus. tut. in pr. a quibus feminae remotae. L. 2. de reg. iur. L. 16. L. ult. ff. de tutel.* Excipiuntur mater et avia, quibus liberorum suorum tutelam gerere tamdiu permittitur, donec ad secundas nuptias transeant, modo inter gesta Senatus-consulti Velleiani auxilio renuntient. *Auth. matri. cum seq. C. quand. mul. off. tut.*

## TITVLVS XVII.

## DE LEGITIMA PATRONORVM TVTELA.

## §. CCXXI.

**V**Ersamur adhuc in tutela legitima, cuius quatuor species esse diximus, *agnatorum, patronorum, parentum et fiduciariam*. De tutela agnatorum et capitis deminutione, qua perimi illa tutela potest, diximus hactenus. Ergo iam sequitur secunda species, nempe tutela *patronorum*. Quum ergo *patronus* is dicatur, qui servum manumisit, per *tutelam patronorum* intelligitur tutela, quam patronus vel eius liberi in liberto impubere vel liberti liberis habent.

## §. CCXXII. CCXXIII.

Fundamentum huius tutelae patronorum, idem est, quod legitimae agnatorum. Vbicunque est successionis emolumentum, ibi et onus tutelae esse debet. Iam moriente sine liberis liberto patronus eiusve liberi succedebant, quia patronus ob manumissionis beneficium veluti pro liberti patre vel proximo agnato habebatur. (§. CIX.) Vide Vinn. *ad Inst. tit. de success. libert.* Ergo et debuerant tutores legitimi esse. Dicunt ICti, hanc tutelam esse ex XII. Tabb. et tamen in XII. Tabb. ne verbum quidem de hac tutela occurrit. Sed respondeat Iustinianus §. un. *hoc tit.* distinguendum esse inter *τὸ πέλλον*, et *τὴν διάσπολαν*, id est, inter sententiam et verba. Nihil erat in XII. Tabb. de tutela patronorum scriptum: at, quod ad sententiam attinet, omnino haec tutela est ex XII. Tabb. Quia enim iis fuerat cautum, ut patronus liberto succederet: omnino etiam cautum videbatur, ut eius tutelam susciperet; quia, *ubi success-*

*cessionis est emolumenntum, ibi et onus tutelae esse debet.*

Sed quum hodie non habeamus eiusmodi libertos, quibus ab intestato succedat dominus, qui manumisit: tutelam etiam patronorum extra usum hodie esse facile patet, et omnes fatentur.

## TITVLVS XVIII.

### DE LEGITIMA PARENTVM TVTELA.

DIG. LIB. XXVI. TIT. IV.

**E**xemplo patronorum recepta est et alia tutela, quae et ipsa legitima vocatur. Nam si quis filium aut filiam, nepotem aut neptem ex filio, et deinceps, impuberis emancipaverit, legitimus eorum tutor erit.

*i. Quae et ipsa legitima ) Vlpianus fiduciariam appellat, tit. II. §. 5. et revera fiduciaria est. Obtinuit tamen ut legitima potius diceretur, L. 5. C. de dol. mal. quia exemplo legitimae patronorum tutelae introducta est; L. 3. §. ult. ff. de leg. tut. eo quod parens manumissor patroni personam induit, filius manumissus liberti exitum patitur. L. 1. ff. si a par. quis man. §. ult. infr. de leg. agn. succ. Hotom.*

## TITVLVS XVIII.

### DE LEGITIMA PARENTVM TVTELA.

§. CCXXIV.

**L**egitima parentum tutela est tertia legitimae species, quam pater exercet in liberos impuberis eman-

emancipatos. *L. 3. §. ult. ff. de legit. tut.* Cur non dicimus potius, patrem esse legitimum tutorem omnium liberorum? Resp. quia patrem habenti tutores non opus est, imo ne quidem possunt tutores habere liberi in potestate patria constituti, quia non sunt capita libera, ad quae sola tutela pertinet. (§. CXCIX.) Ast emancipati sunt capita libera, quia liberati sunt a patria potestate, et hinc sub tutela esse possunt, et quidem sub tutela patris emancipantis.

### §. CCXXV. CCXXVI.

Fundamentum huius tutelae vere est ius patronatus, de quo superiore titulo diximus. Demonstravimus supra (§. CLXXXIX.) emancipationem factam per tri-nam venditionem et totidem manumissiones. Ultima manumissio plerumque ab ipso patre emancipante fiebat. Iam quum, qui manumittit, fiat patronus: etiam pater emancipans fiebat filii emancipati patronus. Patronus succedit liberto ab intestato, ergo et pater filio ab intestato succedit. *Vbi est successionis emolumentum, ibi et onus tutelae esse debet.* (CCXI.) Ergo et penes parentem onus tutelae in emancipatum esse debet, quod erat demonstrandum. Ita ratiocinabantur veteres ICti, et ita sensim inventa est illa legitima parentum tutela.

## TITVLVS XIX.

### DE FIDVCIARIA TUTELA.

DIG. LIB. XXVI. TIT. IV. LEG. IV.

**E**st et alia tutela, quae fiduciaria appellatur, nam si pater filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps, impuberes manumiserit,

rit, legitimam nanciscitur eorum tutelam. Quo defuncto, si liberi eius virilis sexus existant, fiduciarii tutores <sup>2</sup> filiorum suorum, vel fratrīs, vel sororis, vel ceterorum efficiuntur. Atqui patrono legitimo tute mortuo, liberi quoque eius legitimū sunt tutores: <sup>3</sup> quoniam filius quidem defuncti, si non esset a vivo patre emancipatus, post obitum eius sui iuris efficeretur, nec in frātrum potestatem recideret, ideoque nec in tutelam; libertus autem, si servus mansisset, utique eodem iure apud liberos domini post mortem eius futurus esset. Ita tamen hi ad tutelam vocantur, <sup>4</sup> si perfectae sint aetatis: quod nostra Constitutio in omnibus tutelis et curationibus observari generaliter praecepit.

**1 Quae fiduciaria appellatur**) *L. 4. ff. de leg. tut.* Per abusionem inopia alterius nominis, ut recte coniicit Hotom.

**2 Filiorum suorum**) Igitur et pater filii sui ab avo emancipati, contra quam existimant Cuiac. Hotom. et Fabrot. Nam quum ad patrem, quantumvis heredem, ius patronatus, quod avus in nepote habuit, non transeat, *L. 1. §. 1. si a par. quis man.* nec tutela, cui ius illud causam dedit, transire potest. Consule Bach. et nostra hic in Comm.

**3 Quoniam filius quidem defuncti**) Ratio haec particularis est; vera et generalis haec, quod lex XII. Tabb. non modo patronos, verum etiam liberos eorum ad legitimam successionem libertorum vocat, et consequenter etiam ad tutelam. Supr. *de leg. patr. tut.* Pater vero aut frater filii sui aut fratrīs ab avo vel patre emancipati, legitimū heredes non sunt: nec igitur legitimū tutores; *L. 1. unde legit. L. 5. unde cogn.* qua de re supervacuum plura monere, quum pridem fiducia-

ria tutela sublata sit. *L. 4. C. de leg. tut. Nov. 118.*  
*cap. 5.*

4 *Si perfectae sint aetatis*) *L. ult. §. 4. C. de leg. her.* Id est, 25. annorum. *L. 1. §. 2. ff. de min.* *L. ult. C. de leg. tut.* *L. ult. C. de his qui ven. aet.* *L. 4. L. 8. ff. de leg. tut.* *L. 16. §. 1. ff. de tutel.* Quae hic notat Cuiac. et exscripsit Pac. olim ita ius fuisse, ut minores 25. annis legitimi et dativi tutores fierent, cet. ex errore nata sunt. Bach. *ad §. 13. infr. de exc. tut.*

## TITVLVS XIX.

### DE FIDUCIARIA TUTELA.

#### §. CCXXVII. CCXXVIII.

**Q**Uarta species legitimae tutelae est *fiduciaria*. Vbi observandum, nomen hoc oriri a *fiducia*, quae erat pactum vel contractus, quo quis alteri rem tradebat ex lege, ut sibi illa redderetur. Qua in conventione utebantur formula: *Vt inter bonos bene agier oportet, ne propter te fidemque tuam frauder.* Cic. *de Offic. lib. 3. cap. 15. et 17.* Eiusmodi fiduciae contractus interponi solebat in emancipatione liberorum. Pater enim filium ter venundans in tertia venditione sibi stipulabatur, ut emtor filium hunc traditum sibi redderet vel retrovenderet, et tunc pater illum manunittebat, et sic, ut superiore titulo diximus, fiebat filii emancipati patronus. *Quum ergo leg. XII. Tabb. esset cautum,* ut patronus eoque mortuo filius patroni ab intestato succederet: hinc non modo pater erat tutor filii emancipati, sed et patre mortuo, si filium relinqueret iustae aetatis, et is fratri tutelam suscipiebat. Hinc intelligitur definitio huius tutelae fiduciariae, quod sit tutela, quae post mortem patris emancipantis liberis eius masculis

Iis perfectae aetatis defertur in fratrem emancipatum impuberem. §. un. Inst. hoc tit.

Obiter moneo : Vlpianum *Fragm. tit. II. §. 5.* ipsam legitimam parentum tutelam , de qua superiore titulo egimus , appellare *fiduciariam*. Ex quo patet, Iustinianum hoc nomen , tertiae olim speciei proprium, quartae imposuisse. Vtrum vero id Triboniani errore et inscitia factum sit , ut quibusdam videtur , an studio et quia vocabulum hoc quartae speciei convenientius esse existimabat , equidem in medio relinquo , quippe non admodum proclivis ad perstringendum Tribonianum.

## TITVLVS XX.

### DE ATILIANO TVTORE ET EO , QVI

EX LEGE IVLIA ET TITIA DABATVR.

DIG. LIB. XXVI. TIT. V. COD. LIB. V.  
tit. 34. et 36.

*Ius antiquum. Si nullus sit tutor.*

**S**I cui <sup>1</sup> nullus omnino tutor fuerat , ei dabantur , in urbe quidem a Praetore urbano , et <sup>2</sup> maiore parte Tribunorum plebis , tutor <sup>3</sup> ex lege Atilia ; in provinciis vero a Praesidibus provinciarum , ex <sup>4</sup> lege Iulia et Titia.

<sup>1</sup> *Nullus omnino tutor* ) Neque testamentarius , neque legitimus , aut qui sub illis continentur , confirmandus et fiduciarius.

<sup>2</sup> *Maiore parte Tribunorum plebis* ) Vlpian. tit. II. §. 18. Maiore parte , id est , sex : erant enim decem. L. 2. §. 34. *de orig. iur. Liv. lib. 3. cap. 30.* Halicarn. lib. 10. pag. 657.

3 *Ex lege Atilia*) Duo hic notanda : (1) Ius danni tutores non competere magistratui vi suae iurisdictio-  
nis , sed ex speciali legis concessione. *L. 6. §. 2. ff. de tutel.* (2) Lege Atilia sublatum in hac causa fuisse ius intercedendi collegarum. Hotom.

4 *Lege Iulia et Titia*) Vnica haec lex fuit , ut lex Iulia et Papia. Quando , aut a quibus lata sit , pa-  
rum constat.

*Si spes sit futuri tutoris testamentarii.*

### §. I.

Sed et si in testamento tutor sub conditione,  
aut ex die certo datus fuerat: quamdiu conditio,  
aut dies pendebat , ex iisdem legibus tutor & alius  
interim dari poterat. Item si pure datus fuerat;  
2 quamdiu ex testamento nemo heres existebat,  
tamdiu ex eisdem legibus tutor petendus erat:  
3 qui desinebat esse tutor , si conditio exstiterat,  
aut dies venerat , aut heres exstiterat.

1 *Alius interim dari poterat*) Quia quamdiu te-  
stamentaria tutela speratur , legitima cessat. *L. 11. de test. tut.*

2 *Quamdiu nemo heres*) *Ex L. 10. eod.* Ratio,  
quia tamdiu cetera quoque omnia in suspenso sunt,  
quae scripta sunt in testamento , ita ut hereditate non  
adita simul cum testamento corruant. *L. 9. eod.*

3 *Qui desinebat esse tutor*) Hoc ad modos , qui-  
bus finitur tutela Atiliana , pertinet. *§. 2. et pen. infr.*  
*quib. mod. tut. fin.*

*Si*

*Si tutor ab hostibus captus sit.*

### §. II.

<sup>1</sup> Ab hostibus quoque tute capto, ex his legibus tutor petebatur : qui desinebat esse tutor, si is, qui captus erat, in civitatem reversus fuerat. Nam reversus recipiebat tutelam <sup>2</sup> iure postliminii.

<sup>1</sup> *Ab hostibus tute capto*) Ex Vlpiano L. I. §. 2. *ff. de leg. tut.* propter incertum eventum tutoris redituri.

<sup>2</sup> *Iure postliminii*) Quid si apud hostes decesserit? succedit legitimus. L. II. §. ult. *de test. tut.* L. 9. §. 2. *de tut. et rat. distr.*

*Quando et cur desierint ex dictis legibus  
tutores dari.*

### §. III.

Sed ex his legibus tutores pupillis desierunt dari, posteaquam <sup>1</sup> primo Consules pupillis utriusque sexus tutores <sup>2</sup> ex inquisitione dare coeperunt, deinde <sup>3</sup> Praetores ex Constitutionibus. Nam supradictis legibus, <sup>4</sup> neque de cautione a tutoribus exigenda, rem salvam pupillis fore, neque de compellendis tutoribus ad tutelae administrationem, quidquam cavebatur.

<sup>1</sup> *Primo consules*) Quod a Claudio Caesare institutum tradit Suet. *cap. 23.* Plin. *9. epist. 13.* datum se a Consulibus tutorem Helvidii filiae.

2 *Ex inquisitione*) Apud Theophil. vulgo legitur ~~xerà iurisdictionem~~, ad quem modum etiam Hotom. locum emendat; sed perperam: et in MSS. Theophil. est ~~xerà iurisdictionem~~, teste Fabrot.

3 *Praetores*) Scilicet soli absque Tribunis. Praetorem tutelarem primus fecit M. Antoninus Philos. Capitolinus in eius vita cap. 10.

4 *Neque de cautione*) Vid. infr. *de satisd. tut. pr. et §. 3.*

### *Ius novum.*

#### §. IV.

Sed hoc iure utimur, ut Romae quidem: Praefectus urbi, vel Praetor secundum suam iurisdictionem, in provinciis autem: Praesides ex inquisitione tutores crearent, vel Magistratus iussu Praesidum, si non sint magnae pupilli facultates.

1 *Praefectus urbi*) L. 45. §. 3. ff. *de excus.* De officio huius magistratus consule tit. ff. *de offic. Praef. urb.* Gruch. 2. *de Comit.* cap. 2.

2 *Secundum suam iurisdictionem*) Praetoris imperium muris urbis definiebatur, Praefecti urbis usque ad centesimum lapidem. L. 1. §. 4. *de offic. Praef. urb.*

3 *Praesides*) Hoc nomine hic videntur intelligi omnes, qui provincias regunt, non soli legati Caesaris. L. 1. ff. *de offic. Praes. iunct.* L. 1. ff. *de tut. dat.*

4 *Ex inquisitione*) Quae quibus in rebus consistat, docet Modest. L. 21. §. pen. et ult. *de tut. dat.*

5 *Magistratus*) Intellige municipales. L. 3. dict. tit. L. 2. §. 23. ff. *ad SC. Tertyll.* Graeci ~~εργαστηρίου~~ appellant. Theophil. et Basil.

*Ius novissimum.*

## §. V.

Nos autem per Constitutionem nostram huiusmodi difficultates hominum resecantes, nec exspectata iussione Praesidum, disposuimus, si facultates pupilli vel adulti usque ad quingentos solidos valeant, 3 Defensores civitatum una cum eiusdem civitatis 4 religiosissimo Antistite, 5 vel alias publicas personas, id est, Magistratus, vel 6 Iuridicum Alexandrinae civitatis, tutores vel curatores creare: legitima cautela secundum eiusdem Constitutionis normam praestanda, videlicet eorum periculo, 7 qui eam accipiunt.

1 Constitutionem ) Intelligit L. 30. C. de episc.  
aud.

2 Quingentos solidos ) Id est, aureos. Aureus autem centum continet valetque sestertios. Ergo quingen-  
ti solidi efficiunt quinquaginta H. S. millia. Briss. et Hotom. in com. de verb. sign. Quod si pupilli maiores  
sint quingentenarii, a Praesidibus dabitur tutor.

3 Defensores civitatum ) De defensoribus civitatum  
vid. lib. I. C. tit. 55. Nov. 15. οἱ τῶν ἀδικων. Alciat.  
3. disp. cap. 5.

4 Religiosissimo Antistite ) Εὐλαζετάτῳ ἐποχίπῳ. Theophil. in Constitutione, Θεοφλαζέτῳ, Deo carissimo.

5 Vel alias publicas personas ) Constitutio exigit, ut legamus, vel aliis personis publicis, vel magistra-  
tus, vel iuridicum, cet. Cuiac.

6 Iuridicum ) Cui etiam olim data est legis actio,  
et ius tutores dandi. L. 1. et 2. ff. de offic. iuridic.  
�ιριδέτης exponitur in Basil.

<sup>7</sup> Qui eam accipiunt ) Cautelam sive cautionem rem pupillis salvam fore. Intelligit autem magistratus municipales, qui pupillis in subsidium tenentur. §. 2. inf. de satisd. tut.

### Ratio tutelae.

#### §. VI.

Impuberis autem in tutela esse, <sup>1</sup> naturali iuri conveniens est: ut is, qui <sup>2</sup> perfectae aetatis non sit, alterius tutela regatur.

<sup>1</sup> Naturali iuri ) Tutela ortum a iure naturali sumsit, quippe cui iuri omnino consentaneum, ut alterius prudentia regatur, qui ipse se defendere non potest; Cicer. I. de Offic. cap. 34. incrementum autem et formam a iure civili.

<sup>2</sup> Perfectae aetatis non sit ) Pinguius perfectam aetatem hic appellat, qua tutela finitur. Plerumque enim perfectae aetatis esse dicuntur maiores 25. annis. Vt L. I. §. 2. ff. de min. L. ult. C. de leg. tut.

### De tutelae ratione reddenda.

#### §. VII.

Quum ergo pupillorum pupillarumque tutores negotia gerant, <sup>1</sup> post pubertatem tutelae iudicio rationem reddunt.

<sup>1</sup> Post pubertatem ) Vel alio modo tutela finita. Tit. ff. de tut. et rat. distr. Nisi autem finita sit tutela, tutelae agi non potest. L. 4. pr. L. 9. §. 4. dict. tit.

## TITVLVS XX.

## DE ATILIANO TVTORE ET EO, QVI

EX LEGE IVLIA ET TITIA DATVR.

## §. CCXXIX. CCXXX.

**E**Xposuimus hucusque duas tutelae species, *testamentariam*, tit. XIV. et *legitimam*, tit. XV. ad XIX. Superest tertia, nempe *dativa*, quae ita vocatur, quod hic tutor *datur*, et quidem non testamento, nec ab ipsa lege, sed *a magistratu*. Definivimus ergo tutoris dationem *actum legitimum*, quo *deficientibus testamentariis et legitimis tutores a magistratu ex lege dantur*. Quid sibi haec definitio velit, apparebit ex axiomatibus inde fluentibus, quorum sunt tria: I.) *Tutor hic ex lege a magistratu datur*, nempe ex lege Atilia et ex lege Iulia et Titia. Nam apud Romanos non hoc pertinebat ad officium magistratus, tutorem dare, sed illa potestas tantum magistratibus quibusdam dabatur lege speciali; et praeter hos nullus magistratus poterat tutores dare. Sic e. g. consul erat magistratus, dictator itidem, nihilominus illi non poterant tutores dare, sed praetor cum maiore parte tribunorum plebis, quia his solis ea potestas concessa fuerat per legem Atilliam. Et hinc est, quod *tutoris datio dicitur esse extraordinariae iurisdictionis*, L. 7. §. 2. ff. de offic. Procons. quia non ex officio magistratus, sed ex speciali lege fluit. II.) *Tutor a magistratu datur in subsidium, deficientibus testamentariis et legitimis*. Quemadmodum enim legitimae tutelae locus non est, nisi deficiente testamentaria: ita nec *dativa* habet locum, quamdiu testamentariae et legitimae locus est. Ergo *subsidiaria* est haec tutela. III.) *Tutoris datio est actus legiti-*

*timus.* Ita enim expresse vocatur *in L. 77. ff. de R. I.* Quid sit actus legitimus, exposuimus §. LXX. nempe actus, qui solemniter erat explicandus, et nec procuratorem admittebat, nec conditionem, nec diem. Haec sunt illa axiomata ex quibus, quae fluant conclusiones, iam videbimus.

### §. CCXXXI. CCXXXII.

Primum axioma erat, *tutor hic ex lege a magistratu datur.* Ergo oportet quasdam leges latas esse de hac tutela. Earum sunt duae; *Atilia et Iulia et Titia.* *Prioris* aetatem ita eruimus. Tutoris ex hac lege Atilia dati exemplum iam A. V. C. 557. memorat Livius lib. 39. cap. 9. Ergo est lex nostra illo anno antiquior. Iam quum Atilium quendam auctorem huius legis esse oporteat, et ante hunc annum nullus inter tribunos plebis Atilius occurrat, praeter L. Atilium Regulum, A. V. C. 443. hoc tribunatu functum, teste eodem Livio lib. 9. cap. 30. verosimile est illo anno et ab eo Atilio hanc legem rogatam et cognominatam esse. *Posterior* lex lata est multis saeculis post, A. V. C. 728. et nomen habet a Julio Caesare Octaviano Augusto, et M. Titio, huius anni consulibus. Ignorat hoc vulgus interpretum. Sed nobis id primus detexit Vir doctissimus Henr. Vallesius e Soc. Ies. *in Notis ad Excerpta Peiresciana* pag. 61. Ceterum hae leges ita differunt: 1) prior agit de tutoribus in urbe Roma dandis: posterior de tutoribus dandis in provinciis. 2) Prior iubet tutores dari a praetoribus et maiore parte tribunorum plebis: posterior a praesidibus provinciarum. *Pr. Inst. hoc tit.* 3) A priori lege tutores a praetore in urbe dati vocabantur Atiliani: ex posteriore Juliani Titiani, ut ex rubrica huius tituli patet. Praeter hos magistratus nemo poterat tutores dare usque ad tempora Augusti, sed eius successores rem mutarunt variis constitutionibus. Nam (1) sub Clau-

Claudio Imperatore , teste Suet. *Claud. cap. 25.* cautum est SCto , ut non amplius praetores cum tribunis plebis , sed consules tutores pupillis darent , et quidem ex inquisitione , id est , ut simul in mores et habilitatem tutorum sedulo inquirerent ; §. 3. *Inst. hoc tit.* quod sub Traiano adhuc factum esse discimus ex Plin. 9. *epist. 13.* (2) Sub Marco Antonino singularis constitui coepit praetor *tutelaris* , qui tantum tutores dabant , et causas tutelares cognoscebat. §. 3. *hoc tit.* Iul. Capitol. *in vita M. Antonini Imper. cap. 10.* (3) Paulo post , sub Severo , ut videtur , invaluerat , ut tutores in urbe darent praetores , intra centesimum ab urbe lapidem praefecti urbis , extra Italiam in provinciis magistratus municipales , iussu praesidum , tutores darent. §. 4. *Inst. hoc tit.* (4) Denique et municipalibus magistratibus et episcopis et iuridico Alexandriae id ius datum , ut tutores dare possent. Sed haec historiae tantum causa notanda , nam usus huius rei hodie nullus est , quia hodie tutoris datio est ordinariae iurisdictionis , omnesque iudices , qui iurisdictionem civilem habent , etiam tutores dare possunt.

## §. CCXXXIII.

Iam porro ex primo axiomate fluit , *tutoris datio nem non posse mandari.* Quid hoc ? Sciendum , alias iurisdictionem a quocumque magistratu alii mandari potuisse ; e. g. si praetor ab urbe abesse cogebatur , tunc poterat cuidam collegae iurisdictionem suam mandare. Ita et praeses provinciae , quia non ubique per provinciam praesens esse et ius dicere poterat , iurisdictionem suam mandabat legatis. Qua de re singularis titulus exstat *in lib. I. ff. de officio eius , cui mandata est iurisdictionis.* Quaeritur ergo , an et tutoris datio aliis mandari possit a magistratu ? Id negatur *in L. 8. pr. ff. hoc tit.* Ex qua ratione ? Ex duplici : 1) quia tutoris da-

datio non est ex officio magistratus , sed ex speciali lege. Iam quaecumque sunt ex speciali lege , ea manda-ri non possunt , uti expresse habetur in *L. i. pr. ff. de offic. eius , cui mand. est iurisd. 2)* Quia tutoris datio est actus legitimus. Atqui eorum actuum ea est natura et indoles , ut non admittant procuratorem , *L. 123. ff. de R. I.* ergo nec tutor dari potest per procuratorem vel mandatarium. Obiici posset *L. 15. ff. de offic. Pro-cons.* ubi dicitur : Procons. legatum posse et tutores dare ; quum tamen illi legati non habeant iurisdictionem propriam , sed mandatam. Sed respondetur : legatis pro-cons. iurisdictione mandabatur a proconsule. Eo facto de-inde accipiebant ius tutores dandi ex speciali lege et constitutione Marci Antonini , Imper. *L. i. §. 1. ff. hoc tit.* Ergo tutores dabant non vi mandati , sed ex spe-ciali lege , adeoque haec lex reliquis non repugnat.

### §. CCXXXIV.

Alterum axioma erat , tutor hic datur *in subsidium deficientibus testamentario et legitimis.* Ex eo duas con-clusiones inferimus (1) quod utroque deficiente magi-stratus det tutorem , non si vel testamentarius vel legiti-mus ius habet suscipiendi tutelam. (2) Quod quoties-cumque tutela testamentaria vel impeditur vel finitur, dativae locus est. Exempla impeditae tutelae testamen-tariae supra vidimus (§. CXCVIII. et CCV. ) Si enim tutor testamentarius sit demens , furiosus , mutus , sur-dus , minorenns , non sane tutela privatur , sed tantum administratione tutelae , donec impedimentum cessen. In-terea non legitimus fit tutor , sed a praetore aliquis da-tur , qui administret. Similiter se res habet , si tutor testamen-tarius moriatur , capite diminuatur , tamquam suspectus removeatur. Omnibus enim his casibus tutor a magistratu datur. *L. ii. ff. de test. tut. §. 1. 2. Inst. hoc tit.*

§.

## §. CCXXXV.

Tertium axioma erat, *tutoris datio est actus legitimus*. Quum itaque actus legitimus non admittat conditionem vel diem, (§. LXX.) per se patet, 1) tutorem a magistratu dari non posse sub conditione. E. g. tutor esto, si juris doctor creaberis. 2) Nec id fieri posse in diem vel ex die, e. g. tutor esto per annum, vel, post biennium. Pure ergo dandus est: tutor esto. *L. 6. §. 1. ff. de tut.* Ast testator potest tutorem dare sub conditione, et ex die vel in diem (§. CCV.) *L. 8. §. 2. ff. de test. tut.* *§. 3. Inst. qui test. tut. dari?* Resp. Id verum esse ideo, quia testamento facta tutoris datio non est actus legitimus, sed facta a praetore. Ergo et regula *L. 77. ff. de R. I.* in testamentaria tutela locum non habet.

## TITVLVS XXI.

## DE AVCTORITATE TVTORVM.

DIG. LIB. XXVI. TIT. VIII. COD. LIB. V. TIT. LIX.

*In quibus causis sit necessaria.*

**A**VCTORitas autem tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria: ut ecce, 1) si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris auctoritas; quod 2) si aliis promittant pupilli, necessaria est tutoris auctoritas. Namque placuit, 3) meliorem quidem conditionem licere eis facere etiam sine tutoris auctoritate: deteriorem vero non aliter, quam cum tutoris auctoritate. Vnde in his causis,

sis , ex quibus obligationes mutuae nascuntur, ut in emtionibus , venditionibus , locationibus , conductionibus , mandatis , depositis , si tutoris auctoritas non interveniat , ipsi quidem , qui cum his contrahunt , obligantur : at invicem pupilli non obligantur.

1 *Auctoritas tutoris* ) Tutores vel negotia gerunt ipsi , vel pupillis negotium gerentibus auctoritatem interponunt ; Vlpian. tit. 11. §. 25. id est , negotium confirmant , hoc enim est auctorem fieri. L. 3. hoc tit.

2 *Si quid dari sibi* ) Pupillus , qui iam aliquem intellectum habet , recte sibi dari sine tute stipulatur , L. 9. pr. eod. §. 9. infr. de inut. stip. L. 1. C. de auct. praest. aut aliquid sibi remitti ; L. 2. ff. de accept. et in universum , quantum ad acquirendum non indiget tutoris auctoritate. L. 11. ff. de adq. rer. dom.

3 *Si aliis promittant* ) Aut quid remittant , alienentve , L. 5. L. 9. hoc tit. §. ult. infr. quib. al. lic. aut hereditatem adeant . §. 1. hoc tit.

4 *Meliorem conditionem facere* ) Neque enim eis invidendum , ut rem suam augeant sine tute , qui magis custos datus videtur pupillo , ne rem suam perdat. Fabrot.

5 *Obligationes mutuae* ) Qui contractus cum aliis initi ultro citroque obligationem pariunt , initi cum pupillo sine tutoris auctoritate eos solum obligant , qui cum pupillo contraxerunt , L. 13. §. 29. ff. de auct. empt. L. 33. ff. pro soc. L. 1. §. ult. ff. commod. a parte autem pupilli claudicant *ovisāγματα*.

6 *Non obligantur* ) Nisi in quantum locupletiores facti ; L. 1. L. 5. §. 1. hoc tit. natura enim aequum est , neminem locupletari cum alterius iactura. L. 14. ff. de cond. ind.

*Exceptio.*

## §. I.

<sup>1</sup> Neque tamen hereditatem adire, <sup>2</sup> neque bonorum possessionem petere, neque hereditatem ex fideicommisso suscipere aliter possunt, nisi tutoris auctoritate ( quamvis illis lucrosa sit ) <sup>3</sup> ne ullum damnum habeant.

<sup>1</sup> *Neque hereditatem adire*) Ex Caio L. 9. §. 3. *hoc tit.* cuius rei non alia ratio quaerenda, quam quod facto suo sine tutore se obligare non possunt. *Diit. L. 9. pr. L. 8. ff. de adq. her.* Non pertinet quidem hoc ad suos heredes; beneficio tamen Praetoris abstinentium eadem causa. §. 2. *infr. de her. qual. et diff.* §. 3. *infr. de her. quae ab int.*

<sup>2</sup> *Neque bonorum possessionem, cet.*) Bonorum possessionis et fideicommissi hereditatis eadem, quae hereditatis iure civili aut directo delatae, ratio. *Infr. lib. 3. tit. 10. et lib. 2. tit. 23.*

<sup>3</sup> *Ne ullum damnum habeant*) Leg. nec ullum damnum habeat, et sine parenthesi, ut apud Caium *diit. loc.* idem enim est, etsi nullum damnum, sed lucrum tantum hereditas contineat, ex ratione iam dicta. *Bachov.*

*Quomodo interponi debet.*

## §. II.

Tutor autem <sup>1</sup> statim in ipso negotio praesens debet auctor fieri, si hoc pupillo prodesse existimat. Post tempus vero, vel per epistolam, aut

aut per nuntium interposita auctoritas nihil agit.

**I** Statim in ipso negotio praesens ) Ex Caio L. 9. §. 5. eod. Nota , formam interponendae auctoritatis duo desiderare : ut tutor in negotio sit praesens ; ut statim auctor fiat , id est , illico probet , quod agitur. Vid. L. 1. in fin. L. 2. L. 3. L. 14. eod. L. 25. §. 4. ff. de adq. her.

*Quo casu interponi non potest.*

### §. III.

Si inter tutorem pupillumque iudicio agendum sit : quia ipse tutor in rem suam auctor esse non potest , non praetorius tutor ( ut olim ) constituitur , sed curator in locum eius datur: quo curatore interveniente , iudicium peragitur, et eo peracto , curator esse desinit.

**I** *Iudicio agendum* ) Nec plures sint tutores ; aliqui altero auctore cum altero agi potest. L. 24. ff. de test. tut. L. 1. C. de in lit. dand. tut.

**2** *In rem suam* ) Regula est iuris civilis , in rem suam tutorem auctorem fieri non posse ; L. 1. L. 7. hoc tit. ubi etiam declaratur.

**3** *Non praetorius tutor ut olim* ) Moribus receptum fuerat , ut hoc casu tutorem habenti tutor daretur , Vlpian. tit. 11. §. 24. propter solemnitatem iudiciorum. L. 19. hoc tit.

**4** *Curator datur* ) L. 3. §. 2. ff. de tutel. L. 1. C. de in lit. dand. tut. Postea prohibitum , debitorem aut creditorem pupilli tutorem fieri. Nov. 72. cap. 1. et 2.

## TITVLVS XXI.

## DE AVCTORITATE TVTORVM.

§. CCXXXVI. CCXXXVII.

**V**Idimus hactenus omnes tutorum species: iam de eorum officiis agendum. Quod praecipue in eo consistit, ut negotiis pupilli interponat auctoritatem. Ergo de hac dicendum paulo accuratius. Diximus supra (§. CXCV.) tutelam esse vim et potestatem in capite libero. Monuimus etiam, vim plus esse quam potestatem, et vim tutores exercere in infantes, potestatem in adultiores. *Infantia* autem durat iure Romano usque ad annum 7. aetatis. *L. 14. ff. de sponsal.* Tempus ab anno 7. usque ad pubertatem in duas aequales partes dividitur, et priore tempore aliquis *infantiae proximus* dicitur, posteriore *pubertati proximus*. Hinc

puer est infans usque ad annum . . . . .	7	{
{ infantiae proximus ad annum . . . . .	10½	
{ pubertati proximus ad annum . . . . .	14	
{ pubes completo anno . . . . .	14	
{ plene pubes completo anno . . . . .	18	{
maiorennis completo anno . . . . .	25	
puella infans ad annum . . . . .	7	{
{ infantiae proxima ad annum . . . . .	9½	
{ pubertati proxima . . . . .	12	
{ pubes completo anno . . . . .	12	
{ plene pubes anno . . . . .	14	{
maiorennis anno . . . . .	25	

Hi termini aetatis probe observandi, nec confundendi a studioso iuris. Ut vero iam haec applicemus, facile patet,

tet , maiorem esse tutoris potestatem in pupillum infantem , quam in infantiae vel pubertati proximum. Si pupillus est infans , tunc nihil agere potest , sed omnia eius nomine agit tutor , et sic hic *administrare* dicitur.  
*L. 1. §. 2. ff. de administr. tutor.* Sin vero pupillus est infantiae vel pubertati proximus , tunc pupillus ipse omnia potest agere , modo praesente et consentiente tutore id faciat , qui tunc *auctoritatem* interponere dicitur. *L. 9. ff. de adquir. hered.* Exemplis res fiet clarior. Pupillus infans non potest contrahere , adire hereditatem , solvere : sed haec omnia eius nomine eoque plane inscio agit tutor. Contra , pupillus septennio maior ipse recte contrahit , recte adit hereditatem , recte solvit , modo praesens sit tutor et *auktoritate eius fiat*. Revera itaque *auktoritas* ab *augendo* dicitur , quia tutor auget et supplet , quod personae pupilli deest. Infans enim ob defectum rationis quasi non est persona , ergo eius nomine agit tutor. At infantia maior est persona quidem , sed veluti dimidia , ob infirmitatem iudicii. Quod ergo deest huic pupillo , id supplet tutor eiusque personam *auget* , dum praesens consentit ; et hinc eius consensus dicitur *auktoritas*. Hinc eleganter in *L. 32. §. 2. ff. de adq. possess.* dicitur *infantis iudicium suppleri auktoritate tutoris* ; quamvis ibi infans accipi videatur latiore sensu pro omni pupillo.

### §. CCXXXVIII.

Ex his principiis fluit iam definitio *auktoritatis*. Est nimirum *actus legitimus* , quo tutor , quod pupillus infantia maior gerit , et ex quo deterior eius conditio fieri posset , solemniter approbat. Explicanda erit haec definitio per partes. Dicimus 1) esse *actum legitimum*. Id quidem a priore demonstrare non possumus , nusquam enim in universo iure ita dicitur *auktoritas tutoris* : sed id tamen a posteriori liquet. Omnia enim , quae de actibus

bus legitimis dicuntur in L. 77. ff. de R. I. etiam quadrant auctoritati tutorum. Ea non admittit procuratorem, non admittit conditionem, non diem quoque. Imo et verbis solemnibus in interponenda auctoritate opus fuisse ostendimus in *Antiq. Rom. tit. 21. §. 3.* Ergo quum omnia ad sint actuum legitimorum requisita, nihil prohibet, quominus dicamus, auctoritatem tutoris esse actum legitimum. Dicimus 2) *quo tutor, quod pupillus infantia maior gerit, approbat.* Si enim pupillus adhuc sit infans, nihil gerit, ut ad §§. superiores diximus, sed tutor tunc administrat, et omnia pro pupillo agit, ergo nec auctoritatem interponit. Dicimus 3) *ex quo deterior eius conditio fieri posset.* Nam paulo post videbimus, posse quidem pupillum meliorem facere conditionem suam etiam sine auctoritate tutoris, non autem deteriorem. E. g. si quis pupillo aliquid donat, id valet, etiamsi non praesens sit tutor, nec id approbet: si autem alteri quid promittit pupillus, nulla nascitur ex illa promissione obligatio, nisi praesens tutor factus sit auctor. Denique addimus 4) *solemniter approbat.* Vidimus enim, auctoritatem esse actum legitimum, legitimos autem actus solemniter fuisse explicandos, diximus §. LXX.

Habemus auctoritatis definitionem, ex qua fluunt tria axiomata: 1) *Auctoritas est actus legitimus.* 2) Ea opus est, quoties quid geritur, quo deterior fieri posset pupilli conditio. 3) Tutor hac auctoritate supplet iudicium pupilli. De singulis iam speciatim agemus.

### §. CCXXXIX.

Primum axioma est: *Auctoritas est actus legitimus.* Ex eo duae conclusiones fluunt. I.) Quod tutor praesens interponere debeat auctoritatem, et quidem in ipso negotio. §. 2. *Inst. hoc tit.* Ergo non erat validum negotium, si tutor absens per literas consensisset,  
vel

Vel si rem a pupillo gestam postea ratam habuerit vel confirmarit. *L. 9. §. 5. hoc tit.* Actus enim legitimi non admittebant procuratorem, adeoque in propria persona erant explicandi. *L. 123. de R. I.* His obstarere videntur duae leges. Nam (1) in *L. 9. §. ult. ff. hoc tit.* dicitur: *posse me absenti pupillo aliquid vendere per literas, modo is tutoris auctoritate consentiat.* Sed resp. hanc legem nobis non adversari. Potest enim absens quis contrahere pupillo, sed non debet a pupillo absens esse tutor, sed ei contrahenti coram et praesens consentire. Paucis: is, quocum contrahit pupillus, potest esse absens, sed tutor, cuius auctoritate contrahit, praesens esse debet. (2) Obiici posset *L. 25. §. 4. ff. de adq. vel amitt. hered.* ubi dicitur expresse, *auctoritatem posse perfecto negotio interponi*; quum tamen nos dixerimus, in ipso statim negotio, non eo iam perfecto interponendam esse auctoritatem. Hoc dubium tanti vi- sum est Iacobo Gothofredo, ICto accuratissimo, ut in *Comment. ad L. 29. ff. de R. I.* textum emendare non dubitet et pro, *perfecto negotio, legere, proiecto negotio.* Sed non opus est tam violenta medicina. Auctoritas omnino interponenda perfecto negotio, sed non iam pridem perfecto, verum statim simul ac perfectum est. E. g. simul ac pupillus dixit: *promitto centum, statim perfecta hac promissione tutor debet addere: auctor fio.* II.) Quod tutor auctor fieri debeat pure, non sub conditione, e. g. non debet dicere: *consentio, si id utile erit pupillo meo, sed pure: consentio.* Rationem iam reddidimus, quia actus legitimus non admittit conditio nem. *L. 77. ff. de R. I.*

### §. CCXL. CCXLI.

Alterum axioma est: *Auctoritate tutoris opus est, quoties deterior fieri posset conditio pupilli.* Meliorem enim conditionem suam facere pupillus potest etiam si ne

ne tutoris auctoritate , non autem deteriorem. *Pr. Inst. 1  
hoc tit.* At quando dicitur meliorem conditionem suam reddere ? et quando deteriorem ? Resp. *Meliorem reddit conditionem suam pupillus , quoties alter ipsi obligatur, e. g. quando alias pupillo promittit , donat , commodat: deteriorem autem , quoties pupillus se obligat alii, e. g. si pupillus alteri promittit , donat , commodat.* Inde iam fluunt duae perelegantes conclusiones : (a) quod pupillus sine auctoritate sibi ab alio stipulari et quocumque titulo lucrativo adquirere possit. Sic enim alias pupillo , non ipse alii obligatur. Ergo potest pupillo , absente tute, promitti , donari , cet. (b) Quod contraetus bilaterales cum pupillo initi claudicent , id est , alter pupillo obligatur , sed pupillus non obligatur alteri, si tutoris auctoritas non accessit. E. g. pupillo mercator vendidit horologium aureum pro 100. florenis sine tutoris auctoritate , pupillus tutori indicat , se emisse , tutori placet pretium , mittitque , qui illud numeret. Mercator quem interea venditionis poenituit , negat se 100. florenis venditum , nec ex contractu cum pupillo inito se obligari putat. *Quaeritur , an obligetur ?* Omnitno. Sed si pupillum vellet cogere mercator , ut pretium solvat , recte responderet pupillus , se sine tute non obligari potuisse. At iniustum videtur , mercatorem obligari , pupillum non obligari ex eodem contractu ? Sed resp. id non esse absurdum. Sibi enim imputare debet , qui cum pupillo sine tute initi contractum , adeoque nec aegre ferre , quod contractus hic claudicet, nec sit ex utraque parte obligatorius.

### §. CCXLII.

Sed maxima hic dubitatio oriri posset de aditione hereditatis , an et illa tutoris auctoritatem exigat ? Posset videri supervacua haec auctoritas , quia hereditatem adiens conditionem suam reddere soleat meliorem et hoc

casu opus non sit auctoritate tutoris, secundum regulam nostram expositam §. CCXL. et tamen leges diserte vident pupillum sine tutoris auctoritate adire hereditatem. *L. 9. §. 3. ff. hoc tit. §. 1. Inst. hoc tit.* Quaenam ratio? Plerique dicunt, id ideo prohibuisse leges, quia hereditatis aditio fit periculosa ob latitans aes alienum. Sed haec ratio non sufficit. Nam in §. 1. *Inst. hoc tit.* expresse dicitur, pupillum non adire posse sine tute, licet hereditas lucrosa sit. Alia itaque, et quidem duplex ratio observanda: (1) quia aditio hereditatis est quasi contractus, quo se adiens obligat legatariis et fidicommissariis ad exsolvendum id, quod ipsis testamento relictum. *L. 8. pr. ff. de adq. her.* Atqui obligare se non posse pupillum sine tutoris auctoritate diximus ad §. CCXL. (2) Aditio hereditatis erat actus legitimus. *L. 77. ff. de R. I.* Atqui actus legitimi explicari a pupillo non poterant sine auctoritate tutoris. *L. 19. ff. hoc tit.* Ergo opus erat in adeunda hereditate auctoritate tutoris; quod erat demonstrandum.

### §. CCXLIII. CCXLIV.

Tertium axioma est: *Tutor auctoritate sua supplet iudicium pupilli.* Inde denuo variae conclusiones. 1) Tutor fieri non potest auctor in rem suam, §. 3. *Inst. hoc tit.* id est, non potest tutor interponere auctoritatem in negotio, quod inter tutorem et pupillum intercedit. Ratio haec est: dum tutor supplet iudicium pupilli, ipse et pupillus quasi unam et eamdem personam constituant. Una persona non potest secum ipsa contrahere: ergo nec tutor cum pupillo ita, ut ipse auctor fiat. Ex eo porro sequitur 2) tutorem a pupillo emere non posse. *L. 34. §. 7. ff. de contr. emt.* Sic enim tutor fieret auctor in rem suam, quod fieri non posse diximus. Addita tamen est exceptio: posse nimirum tutorem rem pupilli emere sub hasta, id est, uti nos lo-

*Tom. I.*

Ss

qui-

quimur , al encante , per modum auctionis. *L. 5.*  
*C. de contr. emt.* Ratio est , quia ibi laedi non potest  
 pupillus , quum pretium ibi non conventione definiatur,  
 sed licitatione , ita ut plus licitanti semper res addica-  
 tur. 3) Si lis oriatur inter tutorem et pupillum , *pupillum accipere debere specialem curatorem in litem.*  
 Pupillus enim litem contestans quasi contrahit ; qui qua-  
 si contrahit , se obligat ; obligare se pupillus non pot-  
 est sine auctoritate tutoris ; tutor autem fieri non pot-  
 est in rem suam , ergo aliis dandus est , qui auctor  
 fiat : quod erat demonstrandum. Is olim vocabatur *tut-  
 or praetorianus* , ut appareat ex *Vlp. Fragm. tit. II.*  
 §. 24. Sed Iustinianus eum *curatorem in litem* vocare  
 maluit , quia tutorem habenti dari non soleat tutor.

## §. CCXLV.

Superest , ut de usu huius tituli dicamus ; ubi ob-  
 servamus paucis : 1) hodie non esse auctoritatem actum  
 legitimum , et hinc etiam absente tute per literas imo  
 et peracto iam pridem negotio per ratihabitionem inter-  
 poni posse. Et quis hodie tutori hoc imponeret onus ,  
 ut si e. g. pupillus in academia viveret , et ibi aliquid  
 emeret , tutor cogatur eo proficisci et praesens interpo-  
 nere auctoritatem ? 2) Hodie non magnum discrimen  
 observari inter pupilos infantes et infantia maiores. Nam  
 sane tutores fere omnia hodie sine pupillis agunt , cu-  
 iuscumque sint aetatis , unde magis *administrant* hodie  
 tutores , quam *auctoritatem interponunt* , secundum ea ,  
 quae diximus §. CCXXXVI. seq. Reliqua omnino usu  
 recepta sunt , et hinc nec hodie pupillus obligatur , he-  
 reditatem adit , promittit sine tutoris auctoritate : nec  
 hodie contractus cum pupillo , absente et non consentiente  
 tute , initus obligat ex utraque parte , sed est  
 claudicans tantum , cet.

## TITVLVS XXII.

QVIBVS MODIS TVTELA FINITVR.

COD. LIB. V. TIT. LX.

*De pubertate.*

**P**Vpilli pupillaeque, quum puberes esse coepe-  
rint, a tutela liberantur. Pubertatem autem  
veteres quidem non solum ex annis, <sup>1</sup> sed etiam  
ex habitu corporis in masculis aestimari volebant.  
Nostra autem Maiestas dignum esse castitate no-  
strorum temporum existimans, bene putavit, quod  
in feminis etiam antiquis impudicum esse visum  
est, id est, <sup>2</sup> inspectionem habitudinis corporis,  
hoc etiam in masculos extendere. Et ideo <sup>3</sup> no-  
stra sancta Constitutione promulgata, puberta-  
tem in masculis <sup>4</sup> post decimum quartum annum  
completum illico initium accipere disposuimus:  
antiquitatis normam in feminis bene positam, in  
suo ordine relinquentes, ut <sup>5</sup> post duodecim an-  
nos completos viripotentes esse credantur.

<sup>1</sup> *Sed etiam ex habitu corporis*) Priscus eum pu-  
berem esse dicebat, in quem utrumque concurrit, et  
habitus corporis et numerus annorum. Vlpian. tit. II.  
*in fin.*

<sup>2</sup> *Inspectionem habitudinis corporis*) Sunt, qui ne-  
gent tale quid apud Romanos factitatum, et impudicam  
illam inspectionem corporum Romanis moribus indignam  
esse existimant.

<sup>3</sup> *Nostra Constitutione*) Exstat in L. ult. C. quand.  
tut. vel cur. esse desin.

*4 Post decimum quartum annum*) Haec Proculi sententia fuit, Vlpian. dict. loc. et iam olim recepta fuisse videtur. L. 2. ff. de vulg. et pup. L. 5. ff. qui test. fac. Macrob. 7. Sat. 7. Secundum iura publica duodecimus annus in femina, et quartusdecimus in puerो definit pubertatis aetatem. Et 1. in Somn. cap. 6. Tutela pueris post bis septem annos absolvitur.

*5 Post duodecim annos*) Macrob. diff. lib. I. cap. 6. De tutela, inquit, femina propter votorum festinationem maturius biennio, quam pueri, legibus liberantur.

### *De capitinis deminutione pupilli.*

#### §. I.

*1 Item finitur tutela, 2 si adrogati sint adhuc impuberis, vel 3 deportati: item si 4 in servitutem pupillus redigatur, vel si ab hostibus captus fuerit.*

*1 Item finitur tutela*) Ex Vlpiano L. 14. pr. §. 1. et 2. ff. de tut.

*2 Si adrogati sint*) Quia adrogatus transit in potestatem adrogatoris: nemo autem potest simul esse in tutela et patria potestate. Supr. de tut. in pr.

*3 Deportati*) Quia cives esse desinunt. §. 1. supr. quib. mod. ius pat. pot. Nota, etiam impuberis deportari posse; nempe qui sunt pubertati proximi et doli capaces. L. 111. de reg. iur. L. 14. ff. de SC. Silan.

*4 In servitutem redigatur*) Veluti si pupillus libertus ob ingratitudinem patrono iterum in servitutem tradatur. Theoph.

*De*

*De conditionis eventu.*

## §. II.

Sed et si usque ad certam conditionem datus sit tutor <sup>1</sup> testamento , aequa evenit , ut desinat esse tutor <sup>2</sup> existente conditione.

<sup>1</sup> *Testamento* ) Additum , quia a magistratu ita non datur. *L. 6. §. 1. ff. de tut. L. 77. de reg. iur.*

<sup>2</sup> *Existente conditione* ) Veluti si Titius tutor testamento datus sit , usque dum uxorem ducet , et duixerit.

*De morte.*

## §. III.

Simili modo <sup>1</sup> finitur tutela morte vel pupillorum , vel tutorum.

<sup>1</sup> *Finitur tutela morte vel pupillorum , vel tutorum* ) Nec heredes tutorum in tutela succedunt , nec pupillo mortuo tutela perseverat ratione bonorum , quum sit personalis. *L. 4. princ. ff. de tut. et rat. distr. L. 16. §. 1. ff. de tut. L. ult. §. 1. de mun. et hon.*

*De capitinis deminutione.*

## §. IV.

Sed et capitinis deminutione tutoris , per quam <sup>1</sup> libertas vel civitas amittitur , omnis tutela perit.

rit. Minima autem capitis deminutione tutoris, veluti si se in adoptionem dederit, <sup>2</sup> legitima tantum tutela perit: ceterae non pereunt. Sed pupilli et pupillae capitis deminutio, <sup>3</sup> licet minima sit, omnes tutelas tollit.

**I** *Libertas vel civitas*) Hoc eamdem in tute, quam in pupillo, rationem habet. §. I. *supr. eod.*

**2** *Legitima tantum perit*) Agnatorum scilicet, quia et perit agnatio; §. ult. *supr. de leg. agn. tut. patronorum* non item. Vlpian. tit. II. §. 9. ubi Cuiac. Hodie id non obtinet: quia iure novissimo in totum sublata est agnationis et cognationis hac in parte differentia, pariterque cognati cum agnatis ad legitimam tum hereditatem tum tutelam vocati. *Nov. 118. cap. 5.*

**3** *Licet minima*) Licet pupillus adrogatus sit. Ratio est, quia nemo in tutela esse potest, nisi qui sit sui iuris.

#### *De tempore.*

#### §. V.

Praeterea qui ad certum tempus testamento dantur tutores, finito eo, deponunt tutelam.

**I** *Ad certum tempus*) Verbi causa ad biennium. L. 14. §. 3. *ff. de tutel.*

#### *De remotione et excusatione.*

#### §. VI.

Desinunt etiam tutores esse, qui vel remo-  
ven-

ventur a tutela ob id , quod suspecti visi sunt:  
vel qui ex iusta causa sese excusant , et onus ad-  
ministrandae tutelae deponunt , secundum ea , quae  
inferius proponemus.

I Excusant ) In perpetuum , non ad tempus . §. 5.  
tit. seq. L. 16. ff. de tut. dat.

## TITVLVS XXII.

### QVIBVS MODIS TVTELA FINITVR.

#### §. CCXLVI.

**P**Ertractavimus hactenus tres partes ad tractatum de tutela pertinentes. Vidimus enim (1) in genere, quid sit tutela ? (2) quotplex sit ? (3) quodnam sit tutoris officium ? Sequitur iam quarta pars *de modis, quibus tutela finitur*. Et hic quidem titulus est facillimus. Omnes enim modi nituntur hoc axiomate : *Cessante tutelae causa cessat tutela*. Causa illa tutelae est *tutio eius, qui per aetatem se sponte defendere nequit* ; ut diximus in definitione tutelae §. CXCV. Ergo si defensione vel opus non est , vel ea praestari a tutore nequit , tutelam finiri oportet.


#### §. CCXLVII.

Ex hoc axiomate facile patet , *morte* solvi tutelam, sive moriatur tutor , sive pupillus. Ille enim ubi ad plures abiit , pupillum tueri nequit : hic properantibus fatis extinctus defensione viventis non indiget , ergo cessat utroque casu tutela. Ex eo colligitur quoque , tutelam ad heredes non transire. Est enim munus publicum , ( §. CXCVI. ) et quidem personale. Quod munus

nus personale est , id cum persona exspirat , adeoque non transit ad heredes. Ergo si pater meus fuerit tutor vel a testatore vel a praetore datus , ego illi mortuo non succedo in tutela. Est et alia huius rei ratio , quia tutores a testatore et praetore ex singulari fiducia in personis aliquibus collocatis dantur. Personae ergo fides et industria eligitur. Ea fiducia vero non semper in heredibus quoque ponit potest , nec eorum semper eadem est fides et industria : ergo nec tutela ad heredes transit. Excepta tamen est tutela legitima , quae omnino ad heredes transit , si sint proximi agnati et habiles. In hoc schemate fingamus , primum impuberem accipere debere tutorem. Proximi eius agnati sunt quartus et quintus , ipsi in tertio gradu iuncti.

Ergo hi fiunt tutores , et quidem simul , quia sunt pari gradu. ( §. CCXII. ) Fingamus iam , quartum et quintum ante primi pubertatem diem obire supremum , sic tutores erunt quinti heredes , sextus et septimus , modo ipsi sint maiores et habiles. Cur vero ? Quia extinctis quarto et quinto fiunt agnati proximi , et ita intelligenda. L. 16. §. 1. ff. de tut. L. 46. ff. famil. ercise.

E. g.



## §. CCXLVIII.

Alter modus , quo tutela finitur , est *capitis deminutio*. Quia enim illam morti comparari supra vidimus ( §. CCXVII. ) L. 209. ff. de R. I. eundem etiam effectum tribuunt ICti capitis deminutioni , quem habet mors. Quia ergo morte finitur tutela , ergo et capitis deminutione eam finire censuerunt. Sed probe tamen notanda differentia inter capitis deminutionem *pupilli* et *tutoris*. Pupillo enim capite deminuto tutela finitur , si-  
ve

ve maximam passus sit , sive medium , sive minimam .  
Tutor autem tutelam quidem amittit per capitis deminutionem maximam et medium , non autem minimam .

**§. 1. §. 4.** *Inst. hoc tit.* Ratio est haec : si pupillus maximam capitis deminutionem patitur , fit servus ; si medium , fit peregrinus ; si minimam , fit filiusfamilias per adrogationem . Atqui servus non potest esse sub tutela , quia tutela est potestas in capite libero ( §. CXCV .) nec peregrinus , quia tutela est ius civibus Romanis proprium , ( §. CXCIX .) nec filiusfamilias , quia is est sub patria potestate , et patrem habenti tutor non datur . ( §. CXCIX .) Quod vero tutor capitis deminutionem passus maximam vel medium , amittat tutelam , eam habet rationem , quia servus et peregrinus non possunt esse tutores , quippe incapaces muneris publici , ( §. CXCVII .) minima autem capitis deminutio tutori ideo non nocet , quia et filiusfamilias potest tutor esse et in munib[us] publicis pro patrefamilias habetur .  
**L. 9. ff. de his qui sui vel alieni.** Exceptio quidem olim erat in tutoribus legitimis , qui et minimam passi capitis deminutionem tutela privabantur , quia illius fundatum erat ius agnationis ; id vero omni capitis deminutione tollebatur . ( §. CCXIV .) Sed quum hodie *per Novell. 118. cap. 5.* etiam cognati fiant tutores , ( §. CCXIII .) cognatio autem minima capitis deminutione non tollitur : hinc hodie cessat exceptio , et universalis fit regula , *tutor minimam passus capitis deminutionem , tutelam numquam amittit.*

### §. CCXLIX.

Tertius modus , quo finitur tutela , est *pubertas* . Datur enim tutela , quia pupillus *propter aetatem se ipsum defendere sponte nequit* . Ea vero cessat ratio , si iam iustae sit aetatis , vel pubes . Ergo tunc et tutela finitur . Sed quaeritur , quando quis fiat pubes ? Hic lis

*Tom. I.*

*Tt*

fuit

fuit inter veteres sectas. Proculeiani pubertatem aestimandam putabant ex corporis habitu : Sabiniani ex annis, nempe 14. in masculis, 12. in feminis. Iavolenus Priscus, quasi conciliaturus hos dissentientes, utrumque putabat coniungendum. Qua de re exstant duo loca hic conferenda omnino. Vnus Vlpiani in *Fragm. tit. II.* §. 28. Alter apud Servium in *Schol. ad Virgil. AEneid. lib. 7. vers. 53. et Eclog. 8. vers. 40.* Sed Iustinianus hanc litem definit in *L. fin. C. quando tut. esse desin. et pr. Inst. hoc tit.* et sententiam Sabiniorum confirmavit. Et recte quidem, sed ita tamen, ut non videatur Imperator Proculeianos intellexisse. Dicit enim, saeculi sui pudore indignam esse indecoram corporis inspectionem, qua pubertatem explorandam iudicarint Proculeiani. Sed *habitus corporis*, ex quo Proculus explorari voluit pubertatem, non videtur significare inspectionem partium verendarum, sed externi corporis habitus, an scilicet barba propullulet? an vox fiat mascula? Id explorari iubebant Proculeiani. Evidem V. A. Corn. van Bynkershoeck, *Observat. lib. 3. cap. 24.* et Gundlingius in *Gundlingianis part. 24. diss. 7.* operose probant, inspectionem verendarum partium olim omnino et in exploratione pubertatis receptam fuisse. Sed omnia exempla pertinent ad quaestiones nuptiales, e. g. si lis erat, an sponsus sit habilis ad matrimonium? an inire possit feminam? quibus casibus et hodie aliquando inspectio a indice decernitur. Sed si quaestio erat de finienda tutela, numquam sane factum credo eiusmodi explorationem genitalium, adeoque Iustinianum hic manifesto Proculeianos non intellexisse arbitror. Ut ut se res habeat, hodie pubertas semper ex annis iudicatur, et pueri quidem, si annum 14. superarunt, \*\*

\*\* Sed Tribonianum hic antiquitatis prodere ignorantiam, multi existimant. Neque enim Iustinianus primus istos pubertatis terminos fixit, iam dudum quippe in iure receptos. Sane duodecim annorum puellas iam viripotentes esse Augustus le-

quia tunc exegerunt duos annos climactericos , puellae autem , si annos 12. habent , quia videtur  
*Iam matura viro , iam plenis nubilis annis.*

## §. CCL.

Quartus modus est *veniens dies vel existens conditio*. Sed hunc modum ad solam tutelam testamentariam pertinere monuimus. Solo enim testamento tutor dari potest *in diem vel sub conditione* ; ( §. CCV. ) non autem tutor a praetore constitutus , uti pluribus probatum. §. CCXXXV. Hinc si e. g. pater in testamento scripserit : Titius tutor liberorum meorum esto per quinquennium ; vel , tutor esto , si sine liberis erit : - tunc elapso quinquennio , vel si liberos procreet tutor , tutela cessabit , quia iam venit dies et conditio existit.

## §. CCLI.

Quintus modus , quo finitur tutela , est *excusatio*;

lege Papiae Poppaea censuerat , ut patet ex Dione Cass. lib. 54. cap. 16. δώδεκα ἡ τῆς νοίης εἰς τὴν τέλος γάμου ὥραι ἐπι πλάνην τομήσεται. Duodecim annos puellis ad nupicias sufficere statuit. Adde sis Comm. nostrum ad L. Iul. et Pap. Popp. lib. 2. cap. 5. Quatuordecim vero anni ad pubertatem masculorum iam secundo post Christum saeculo requirebantur etiam ex mente Proculianorum. Tertull. de Veland. virg. cap. 11. et de Anima cap. 38. Macrob. Saturnal. 7. cap. 7. et in Somm. Scipion. 1. cap. 6. Quin et leges id docere poterant Tribonianum , veluti L. 2. pr. ff. de vulg. et pupill. subst. L. 5. ff. qui testam. fac. poss. L. 4. C. eod. ex quibus patet , saltim Vlpiani et Diocletiani temporibus eosdem pubertatis annos fuisse definitos. Neque tamen dubito , quin olim antiquissimis reipub. temporibus quinto decimo demum aetatis anno exacto puberes habiti sint adolescentes. Tunc enim eos togam virilem sumsisse , non anno 17. ut vulgo existimant , nec anno 14. ut visum Lipsio ad Tac. lib. 12. cap. 41. docet Noris. Genotaph. Pisan. Diss. 2. cap. 4.

et sextus *remotio suspecti tutoris*. §. ult. Inst. hoc tit.  
Et de his modis iam agi debuisset, sed quia hi modi  
tutoribus et curatoribus sunt communes, et utriusque tun-  
*excusari*, tum tamquam *suspecti removeri* possunt, hinc  
hanc tractationem imperator reiecit in titulos ultimos hu-  
ius libri, quo et nos rem integrum servabimus.

## §. CCLII.

Iam vero maioris momenti quaestio est, quid tutori  
incumbat finita tutela? Resp. ut rationes reddat et re-  
liqua restituat. Hoc ex ratione tutelae fluit. Datur tu-  
tor primario personae: secundario rei. (§. CXCIX.)  
Qui res alienas administrat, is tenetur ad rationes red-  
dendas, ergo et tutor. Non prius autem iure Romano ra-  
tiones reddit, quam finita tutela, L. 4. L. 9. §. 4. ff. de  
*tut. et rat. distrah.* quia administratio rerum non prius  
cessat. Sed quid si nolit tutor rationes reddere? Tunc  
locus est *actioni tutelae* cum *actionibus de suspectis tu-  
toribus et de rationibus distrahendis* non confunden-  
dae. Differunt enim et *tempore*, quo instituenda sunt,  
et *fine*, quem intendunt. *Actio de suspectis* instituitur  
durante tutela, si tutor non ex fide gerat: *actio tu-  
telae* instituitur *finita tutela et rationibus nondum red-  
ditis*: *actio de distrahendis rationibus, rationibus iam  
redditis* quidem, sed male et fraudulenter redditis. Pri-  
mae actionis finis est, ut tutor *removeatur*, secundae,  
ut *rationes reddat*, tertiae denique, ut rationes ab illo  
redditae *distrahantur*, et si quid *subtraxerit*, eius  
*duplum restituat*. Ceterum de *actione tutelae* observan-  
dum, eam 1) esse vel *directam* vel *contrariam*. *Directa*  
datur pupillo post pubertatem contra tutorem eius-  
ve heredes ad reddendas rationes et reliqua restituenda:  
*contrariam* vero instituit tutor finita tutela adversus pu-  
pillum, ut se indemnem praestet, e. g. si tutor in rem  
pu-

pupilli impensas fecerit , si damnum sine culpa sua ex tutela passus sit , cet.

Observandum de eadem actione , 2) quod directa actio infamat , si tutor propter dolum vel culpam latam fuerit condemnatus . *L. i. ff. de his qui not. infam.* Quo maiorem enim in eo collocamus fiduciam , quem tutorem damus pupillis , eo turpior est dolus , quo pupillum circumvenit , et hinc ille merito infamia coeretur.

## TITVLVS XXIII.

### D E C V R A T O R I B V S.

DIG. LIB. XXVII. TIT. X. COD. LIB. V. TIT. LXX.

*De adultis.*

**M**Asculi quidem puberes , et feminae viripotentestes , usque ad vicesimumquintum annum <sup>1</sup> completum <sup>2</sup> curatores accipiunt : quia licet puberes sint , <sup>4</sup> adhuc tamen eius aetatis sunt , ut <sup>5</sup> sua negotia tueri non possint.

1 *Ad vicesimumquintum annum ) L. i. in fin. ff. de min.* post quod tempus completur virilis vigor , quae Graecis *αρων* , belle Cuiac. *in dict. L. i.*

2 *Compleatum ) Hoc adeo verum , ut et extremum momentum elapsum esse oporteat. Itaque si minor laesus sit nondum exacto anni 25. die extremo , poterit adhuc restitui. L. 3. §. 3. ff. de min.*

3 *Curatores accipiunt ) Nisi aetatis veniam a Principe impetraverint. Tit. C. de his que veniam aetat.*

4 *Adhuc tamen eius aetatis ) Fragile est et infirmum huius aetatis consilium , multis captionibus expostum. L. i. pr. ff. de min.*

*Sua negotia tueri*) Et ideo quamvis qui in tutelam suam venit , sui potens est , *xúgios iawrū* , nondum tamen est *xúgios rō* , *aúrū*. Fabrot. *L. 20. de rit. nupt.* *L. 8. C. eod.*

## §. I.

Dantur autem curatores <sup>1</sup> ab iisdem magistratibus , a quibus et tutores. Sed curator <sup>2</sup> testamento non datur: <sup>3</sup> datus tamen confirmatur decreto Praetoris vel Praesidis.

*1 Ab iisdem magistratibus*) Igitur Romae a Praefecto urbi aut Praetore , in provinciis a Praesidibus , in municipiis a magistratu. *§. 4. et 5. supr. de Atil. tut. L. 3. ff. de tut. dat.*

*2 Testamento non datur*) *L. 7. C. de test. tut. iunct. L. 6. ff. de conf. tut. L. 2. C. eod.* Lege XII. Tabb. permissum parenti , non curatorem , sed tutorem testamento dare.

*3 Datus confirmatur*) *Eἰσθε βεβαιῶσθαι ὅτι τῷ ἡγεμόνῳ. L. 1. in fin. de confir. tut. L. 2. C. eod.*

## §. II.

Item <sup>1</sup> inviti adolescentes curatores non accipiunt , <sup>2</sup> praeterquam in litem. Curator enim et ad certam causam dari potest.

*1 Inviti adolescentes*) Et ideo ipsi soli sibi curatorem petere poterant. *L. 2. §. 4. ff. qui pet. tut. Vbi autem potentibus semel curator datus est , huius curatoris auxilio usque ad annum 25. regi debent. Ita cape L. 1. in fin. ff. de min.*

*2 Praeterquam in litem*) Sive litem intendant , sive ex-

excipient, quia legitimam personam per se standi in iudicio non habent: *L. 2. C. qui leg. pers. standi in iud.* et alias minoribus agentibus aut conventis adversarius elusorio iudicio laederetur, quum sententia adversus minores indefensos lata, nullius momenti sit. *L. 54. de re iud.*

*De furiosis et prodigis.*

§. III.

<sup>1</sup> Furiosi quoque et <sup>2</sup> prodigi, <sup>3</sup> licet maiores vigintiquinque annis sint, tamen in curatione sunt agnatorum ex lege duodecim Tabularum. <sup>4</sup> Sed solent Romae Praefectus urbi vel Praetores, et in provinciis Praesides, ex inquisitione eis curatores dare.

<sup>1</sup> *Furiosi quoque*) *L. 1. ff. de cur. fur.* Vlpian. tit. 12. §. 2. Cicer. 2. *de Inv. cap. 50. et 3. Tusc. cap. 6.*

<sup>2</sup> *Prodigi*) Quibus dissolute viventibus bonis interdictum. *L. 6. de verb. obl. §. 2. infr. quib. non est perm. fac. test.* Vlpian. *ditt. loc.*

<sup>3</sup> *Licet maiores*) Ita tamen lex accepta, ut ad pupilos furiosos non pertineat: et paulatim adolescenti quoque furioso, non ut furioso, sed ut adolescenti curator dari coepit. *L. 3. pr. et §. 1. ff. de tutel.*

<sup>4</sup> *Sed solent Romae*) *L. 1. ff. de cur. fur.* *L. 8. §. ult. de tut. dat.* Non solet tamen Praetor administrationem dare, nisi agnati aut nulli sint, aut inhabiles; *L. 13. de cur. fur.* ut non absolute haec cura ex legitima facta sit honoraria.

*De*

*De mente captis , surdis , mutis , perpetuo  
morbo laborantibus.*

#### §. IV.

Sed et mente captis , et surdis , et mutis,  
et qui perpetuo morbo laborant , ( quia rebus suis  
superesse non possunt ) curatores dandi sunt.

I *Mente captis* ) Mente captus seu demens ple-  
rumque a furioso separatur. L. 8. §. 1. de tut. dat.  
L. 6. de cur. fur. L. 2. de inof. test. Mente captus est,  
*ανόντος*, furiosus, *μανιάσης*. De reliquis est in dict.  
L. 8. §. 3. L. 12. de tut. dat.

#### *De pupillis.*

#### §. V.

Interdum autem et pupilli curatores accipiunt,  
ut puta si legitimus tutor non sit idoneus: quo-  
niam habenti tutorem , tutor dari non potest.  
Item si testamento datus tutor , vel a Praetore  
aut Praeside , idoneus non sit ad administratio-  
nem , nec tamen fraudulenter negotia administret,  
solet ei curator adiungi. Item loco tutorum , qui  
non in perpetuum , sed ad tempus a tutela excu-  
santur , solent curatores dari.

I *Habenti tutorem tutor dari non potest* ) Huius  
regulae passim traditae , L. 27. de test. tut. L. 9. C.  
qui dar. tut. L. 9. C. qui pet. tut. ratio esse videtur,  
quod tutor et personae et universo pupilli patrimonio  
da-

datus intelligatur , de quo proinde iure nihil nisi volente eo minui possit. Patitur autem non unam exceptio- nem. L. 21. §. ult. de excus. L. 39. §. 8. de adm. tut. L. 17. de tutel. L. 12. L. 15. eod. et passim tit. C. in quib. caus. tut. hab.

2 Curator adiungi ) L. 10. §. ult. de excus. L. 13. de tutel. L. 2. C. in quib. caus. tut. Legitimo tu- tori etiam suspecto : L. 9. de susp. tut. alibi tamen tu- tor appellatur. L. 12. de tutel. L. 15. et 17. eod.

### *De constituendo actore.*

#### §. VI.

Quod si tutor vel adversa valetudine , vel alia necessitate impediatur , quo minus negotia pupilli administrare possit , et pupillus <sup>1</sup> vel absit , vel infans sit ; quem velit <sup>2</sup> actorem , periculo ipsius tutoris , Praetor , vel qui provinciae praeerit , de- creto <sup>3</sup> constituet.

1 *Vel absit , vel infans sit* ) Nam praesens et fandi potens pupillus , ut dominus , auctore tute pro- curatorem constituere potest. L. 24. de adm. tut. L. 11. C. de proc.

2 *Actorem* ) Pomponius adiutorem tutelae vocat. L. 13. §. 1. de tutel.

3 *Constituet* ) Id est , decernet editum et nomina- tum a tute , et ob hanc causam etiam periculo tu- toris. *Diit.* L. 24. de adm. tut. *diit.* L. 13. §. 1. de tutel.

## TITVLVS XXIII.

## DE CVRATORIBVS.

## §. CCLIII.

**Q**Vae haec tenus pertractavimus, ad solam tutelam pertinent. Sequitur iam *curatio* vel *curatela*. *Cūrare et procurare* saepe sunt synonyma, quemadmodum et *curator* et *procurator*. *Procurare* autem et *curare* est negotia aliena administrare vel bonorum alterius curam suscipere; veluti apud Plaut. *Epidic.* act. I. scen. 2. vers. 27.

*Quod ad me attinuit, ego curavi: quod mandasti mihi,  
Impetratum est*

*Idem in Mostell. act. I. scen. I. vers. 24.*

*Haec cine mandarvit tibi, quum peregre hinc iit, senex?  
Hoccine modo hic rem curatam offendet suam?*

et alibi passim. Vnde et a Corn. van Bynkershoek *Obs.* 2. cap. 20. animadversum est, procuratores Caesaris etiam *curatores Caesaris* dictos. Add. *L. I. C. si tut. vel cur. inter.*

## §. CCLIV.

Ex hac vocis significatione iam statim fluit definitio *curatoris* et *curatelae*. *Curatela* nimurum est *potestas administrandi bona et rem familiarem eorum, qui rebus suis ipsi superesse nequeunt*. Dico 1) *potestas*, non *acquisitiva*, qualis est patris in filios, domini in servos; sed *directive*, qualis omnibus rerum alienarum administratoribus competit. Dico 2) *administrandi bona et rem familiarem*. Quemadmodum enim tutor personam pupilli tuetur, adeoque tutela est vis et *potestas* ad tuendum eum, qui per aetatem ipse se defendere nequit, *L. I. ff. de tut.* ita *curatela* est *potestas admini-*

nistrandi res vel bona. Addo 3) qui rebus suis ipsi superesse nequeunt. Ergo curatores dantur iis, qui quidem plena sunt personae et perfectae, id est, puberes, sed tamen ob aliud impedimentum res suas ipsi curare non possunt, quales sunt *minores, furiosi, prodigi, perpetua valetudine oppressi, absentes, cet.*

## §. CCLV.

Ex hac porro definitione per se patet, quaenam sit inter tutorem et curatorem differentia. Videbimus illas omnes. 1) Tutor primario datur personae, secundario rebus: curator primario rebus, secundario personae. (§. CXCIX.) Pupillus enim est persona veluti dimidia, et hinc integranda et supplenda per tutorem eiusque auctoritatem: at pubes est persona plena et perfecta, adeoque opus non est, ut supplementum accedat per tutorem. Quia tamen non semper est paterfamilias bonus et frugi, hinc ei adiungendus curator, qui bonis administrandis invigilet, detque operam primario, ne ea quidquam detrimenti capiant, quamvis secundario etiam personae assistat. En primum discrimen, de quo evolvendae leges allegatae, et simul repetenda, quae supra diximus. (§. CCXXXVI.) 2) Tutor interponit auctoritatem, quia veluti personam auget et defecatum impubertatis supplet, *L. 32. §. 2. ff. de adq. vel amitt. possess.* curator autem, quia puberum personae nihil deest, non auctoritatem, sed *consensum* interponere dicitur. Vnde in *ff. tit. 8. lib. 26.* inscribitur: *de auctoritate et consensu tutorum et curatorum*, ut adeo auctoritas ad tutores, consensus ad curatores pertineat. 3) Tutorem habenti tutor dari non potest, at curator tamen dari potest, e. g. si lis inter tutorem et pupillum oriatur; tunc enim interea datur curator in litem, quia tutor in rem suam auctor fieri non potest. (§. CCXLIII.) *L. 27. ff. de test. tut. L. 21. §. ult. ff. de excus. L. 39.*

## §. CCLVI.

Sed iam quotuplex sit curatela , disquirendum erit. Tutelam supra divisimus in testamentariam , legitimam et dativam : (§. CC. CCI. ) an et curatelae totidem sunt species ? Resp. minime. Datur quidem *curatela legitima* , quae proximis agnatis vel cognatis defertur. Datur etiam *dativa* , quae a magistratu mandatur. Ast *testamentariae* plane non est locus. Nam 1) lex XII. Tabb. parentibus quidem permiserat *legare vel testamentum condere suae rei* , (§. CC. ) Vlpian. *Fragm. tit. 11. §. 14.* non autem de curatela suae rei. 2) Absurdum videbatur , patrem de curatela disponere in id tempus , quo filius ipse possit condere testamentum. Quemadmodum ergo substitutio pupillaris cessat pubertate , quia pater non potest filio heredem instituere in id tempus , quo ipse filius testari et heredem constituere potest ; L. 14. ff. de *vulg. et pupill. substit.* ita et tuto rem dare potest ad tempus pubertatis , non autem curatorem post pubertatem , quia tunc filius ipse testamentum condit , adeoque provisio paterna eo usque pertin gere non potest. Est itaque curatela vel *legitima* vel *dativa* : *legitima* est , quae competit ex lege proximis agnatis et cognatis ; eaque est vel *furirosorum* vel *prodigorum* : *dativa* , quae defertur a magistratu ; estque vel *minorum* , vel *morbo impeditorum* , vel *absentium* , quae omnia hic occupare voluimus , quamvis §. CCLXXIII. demum ea de re in libello disseruerimus.

I. Prima species curatelae legitimae est *curatela furiosorum*. Legibus enim XII. Tabb. cautum fuerat , ut furioso curatores essent proximi agnati et gentiles. Cicer. *Quaest. Tusc. lib. 3. cap. 6. \*\** Quinam sint

\*\* Adhuc tamen quaeri potest , utrum ex verbis Decem vi-

Agnati , quinam gentiles , hic non repetimus. Rem totam explicavimus supra §. CCXII. ostendimusque , agnatos esse omnes eiusdem cognominis , gentiles omnes eiusdem nominis , e. g. Cicerones omnes , Ciceronis erant agnati ; omnes Tullii , eiusdem gentiles ; illi enim ex eadem cum illo familia , (*de la misma rama*) hi ex eadem gente (*de la misma casa*) prōdierant. Qui ergo in furorem incidebat , illi curator adiungebatur frater : si fratrem non haberet , patruus ; si patruus non adesset , alii remotiores , eodem modo , uti supra de tutela legitimorum ostendimus ; (CCXII. CCXIII.) ubi etiam observavimus , hodie ob Nov. 118. cap. 4. inter agnatos et cognatos non esse differentiam , adeoque illi non modo , sed et hi ad curatelam vocantur. Sunt , qui curatelam furiosi hodie legitimam esse negant , ob L. 6. et L. 13. ff. *de curat. furios.* ubi magistratus furiosis curatores dicuntur dare cognita causa. Si itaque magistratus dant , sane non erunt curatores legitimi ? Sed responsio latet in illa ipsa *lege* 13. ubi additur : praetorem non facile praeteritum propinquos , qui habiles sint. Legitima ergo recte vocatur et hodie haec curatela , (1) quia est ex leg. XII. Tabb. (2) quia iisdem competit , quibus lex defert successionem ab intestato. Quod autem magistratus iure novo curatores furiosis cau-

virorum , an ex eorumdem interpretatione , nata sit prodigorum curatio. Verosimile tamen est , eum morem iam ante leges XII. Tabularum Romae viguisse. Moribus sane ista furiorum prodigorumque curatio tribuitur. L. 1. ff. *de curat. furios.* et apud Paul. *Recept. Sent. 3. tit. 4. §. 7.* Quod quum intelligi haud possit de moribus post ea tempora demum receptis , (siquidem Vlpiian. *dit. L. 1. de cur. furios.* hanc curationem quidem ex XII. Tabulis arcessit , sed initium tamen eiusdem tribuit moribus ) procul dubio iam sub regibus , furiosis dati sunt curatores. Est ea sententia Iac. Cuiacii , Iac. Gothofredi , aliorumque viorum doctorum , quam male impugnat V. C. Ian. a Costa *ad S. 1. Inst. de I. N. G. et S. 3. Inst. hoc tit.* Vid. Schulting. *ad Paul. loc. cit.*

sa cognita dare coeperint , id inde factum , quia saepe propinqui cognati alicuius bonis inhiantes , eum furiosum esse dicerent , eoque colore bona eius invaderent tamquam curatores legitimi. Cuius rei lepidum exemplum exstat in Plaut. *Menaech.* act. 5. scen. 2. vers. 75. seqq. ubi mulier eiusque pater Menaechmum Sosiclem habent pro furioso , quum esset satis sanus : imo et ad medicum illum rapi iubent , ut ibi curetur , quum ipso medico magis saperet. Ne itaque ita illuderetur aliorum simplicitati , praetor quidem promisit , agnatos se admisurum esse ad curatelam furiosorum , sed non nisi causa cognita , si scilicet sibi prius liquido constet , furere illum , cuius curatela ambiunt. Ceterum obiter noto , apud Latinos inde natum esse elegans proverbium , *ad agnatos et gentiles remittendus* , quo utebantur , si quem non sanæ mentis esse significarent.

## §. CCLVII.

II. Sequitur altera legitimae curatelae species , puta *prodigorum*. Nam et hi aequa sub curatione agnatorum et cognatorum erant , ac furiosi , quia et ipsi furiosum rerum suarum exitum facere dicebantur. *L.* 12. §. 2. ff. de tut. dat. Vnde omnia hic repetenda , quae §. CCLVI. diximus. Est et haec curatela ex XII. Tabb. non quod expresse in illis mentio istius fieret , sed quod per interpretationem extensivam ex illa eliceretur a ICtis. Nimirum ICti existimabant , ratione oeconomiae nihil interesse inter furiosum et prodigum. Quum ergo curator detur furiosis , quia male res suas disperdunt , talem etiam merito dandum prodigis ; quia , *ubi eadem ratio , ibi eadem iuris dispositio esse debet*. Id modo explicandum superest , quinam sint *prodigi*? Respondeo , distinguendum esse prodigos iuridice et moraliter tales. *Morales* dicuntur *prodigi* , quicumque impensarum nec modum nec finem faciunt , adeoque abliguriunt bona sua.

Sed

Sed in hoc sensu hic non accipimus vocabulum. Si enim omnes prodigi huius generis acciperent curatores , verendum esset , ut satis multi futuri sint , quibus curatores constitui possint. At *iuridice prodigi* vocantur , quibus a praetore bonis interdictum. Cognita enim causa ubi praetor reperiebat , aliquem esse prodigum , decretum interponebat , cuius formulam elegantissimam nobis servavit Paulus *Recept. Sent. lib. 3. tit. 4. §. 7.* *Quando tibi bona paterna avitaque , nequitia tua , disperdis , liberosque tuos ad egestatem perducis , ob eam rem tibi ea re commercioque interdico.* Eo facto statim sub cura agnatorum ac gentilium esse incipiebat prodigus.

### §. CCLVIII. CCLIX.

*Dativae curatelae species prima est curatela minorum.* An ergo et his curatores dari iusserat leg. XII. Tabb. ? Minime , idque ob duplarem rationem. Nam (1) eo tempore , quo XII. Tabb. condebantur , severa erat et accurata Romanorum disciplina , et hinc tam frugi et boni adolescentes , ut iis non opus videretur curatoribus ; quod sequiore aevo aliter se habere cooperat , postquam luxus inolevisset. (2) Quia tantum furiosi et prodigi accipiebant curatores , curatela quodammodo videbatur ignominiosa. Hinc nolebant veteres legislatores ingenuorum adolescentum pudorem suggillare , eosque veluti eodem loco et numero habere cum furiosis et prodigis. Ignominiae huius , quam curatelae adhaesisse diximus , vestigium exstat in L. 2. ff. si a par. quis manum. ubi iniquum esse dicitur , *ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem.* At procedente tamen tempore e republica fore creditum est , ut minoribus succurreretur , quia lubrico aetatis facile labi possint ac decipi. Et hinc lata lex *Laetoria* , antiquior temporibus Plauti , qui eam *quinam vicennariam* appellat in *Pseud. aff. I. scen. 3. vers. 69.* Ea ita-

itaque lege 1) finiti anni maiorenitatis , ut maiorennes haberentur , qui maiores essent 25. annis. L. 2. C. Theod. de donat. 2) Introductum est beneficium restitutiois in integrum in gratiam minorum ex contractu aliove negotio laesorum. Plaut. Rud. act. 5. scen. 3. vers. 25. Priscianus lib. 8. pag. 794. et lib. 18. pag. 1164. 3) Etiam cautum est , ut minoribus 25. annis volentibus ( invitis enim curatorem obtrudere ignominiosum videbatur ) curatores causa cognita darentur. Attamen ne sic quidem satis consultum videbatur minoribus. Nam (1) non omnibus dabatur curator , sed pentibus : (2) non dabatur ille , nisi causa cognita. Hinc Marcus Antoninus , Imper. demum statuit , ut omnes adolescentes curatores acciperent , etiam causis non cognitis. Vid. Iul. Capitol. in vita M. Anton. cap. 10. quem locum in ipso libro nostro in scholio huic §. subiecto interpretati sumus. \*\* Ex eo itaque tempore demum omnes minorennes curatores acceperunt.

\*\* Verba Iul. Capitolini haec sunt. *De curatoribus vero, quum ante non nisi ex lege Laetoria , vel propter lasciviam , vel propter dementiam , darentur , ita statuit , ut omnes adulti curatores acciperent , causis non redditis.* Iuvabit hunc locum a plerisque male intellectum , et qui me quoque hucusque decepit , expendere paulo accuratius. Paucissimi enim , si nonnulli , vident , quid sanxerit Marcus Antoninus , qua in re eius constitutio a lege Laetoria discreparit. Lege XII. Tabularum soli furiosi et prodigi accipiebant curatores. Hinc ignominiosa quadammodo erat curatio , et proinde invitis minoribus curatores non obtrudebat lex Laetoria , sed parentibus eos causa cognita dari iubebat. Quamvis enim vulgo ex loco hoc Iulii Capitolini colligant , lege Laetoria tantum adolescentibus dementibus et lascivis , datos esse curatores , ut ipse quoque in antecedentibus editionibus scriperam : facile tamen patet , ita nihil novi sanxisse legem Laetoriam , quum iam pridem furiosis et prodigiis prospectum esset XII. Tabulis ; nec dubitari posset , quin adolescentibus lascivis et dementibus huiusmodi curatores dari deberent , quum et maiores 25. annis in curatione sint , si dementes vel lascivi esse viderentur. Itaque non est

## §. CCLX.

Sed hic tamen non leve dubium oritur. Nam omnes ex constitutione Marci Anton. Imp. accipiunt curatores, et tamen expresse dicit Iustinianus §. 2. *Inst. hoc tit.* eos non invitatos accipere, sed petentes, quod et repetitur in L. 13. §. 2. ff. *de tut. et cur. dat.* L. 2. §. 4. et 5. ff. *qui pet. tut. et cur.* Sed respondeo, utrumque consistere posse. Nam curatores non dantur minoribus nisi potentibus et desiderantibus: sed Marcus Antoninus elegans adinvenit medium cogendi iuvenes, ut petant. Non prius enim accipiunt rerum suarum administracionem, nec prius tutela finita creditur, quam curatorem petant. L. 1. §. ult. ff. *de min.* L. 33. §. 1. L. 28. §. 1. L. 31. ff. *de admin. tut.* Si itaque iuvenes tutela volunt liberari, (quod sane volunt omnes) debent petere curatores. Et sic curator datur potentibus, et tamen etiam omnibus. Observanda haec sunt probe, quia Raevardus lib. 1. var. cap. 17. Dn. Thomasius in *Annot. ad Inst.* et alii hic gravissime insectantur Tribonianum, quod scripscerit, adolescentes curatores non accipere invitatos. Quasi vero probabile sit, Tribonianum ius suorum temporum adeo ignorasse, ut nesciverit quidem, an curatores omnibus adolescentibus dentur, nec

est hic sensus Iulii Capitolini. Potius inter se contendit iura de curatione, ante Antoninum recepta, et quae ab isto Imperatore sint invecta. *Antea*, inquit, curatorum non nisi tria genera erant, *quum non nisi ex lege Laetoria minoribus potentibus*, et causam probantibus, *vel secundo propter lasciviam prodigis*, quibus Praetor bonis interdixerat, *vel propter demen-tiam furiosis et mente captis curatores darentur*. Quid vero Marcus Antoninus? Is ita statuit, ut non solum petentes, sed omnes adulti curatores acciperent, etiam non redditis causis. Ex hac demum paraphrasi perspicue patet, quid lex Laetoria, quid M. Antoninus Imper. iusserit, quidque sibi velit Iulius Capitolinus.

Tom. I.

XX

ne?

ne? Id quod sane hodie ne stupidissimus quidem notariorum ignorat, an Triboniano ignotum fuisse dicamus?

### §. CCLXI. CCLXII.

Paragraphum CCLXI. iam supra explicavimus cum §. CCLVI. Ergo superest tantum, ut videamus, 1) quis curatores constituat? 2) quomodo curatela finiatur? 3) quae actio adversus curatores detur finita curatela? 4) quid sit actor, et quomodo a curatore differat.

I. Curatores itaque dant, quicumque dant tutores. Hinc olim curatores dabant in urbe praetor, cum maiore parte tribunorum plebis, in provinciis praesides. Postea et alii magistratus speciali lege hanc potestatem acceperunt, ceu diximus §. CCXXXII. Ex eodem fluit, omnes, qui tutores esse possunt, posse etiam curatores dari, adeoque et filiosfamilias, modo sint maiorennes. Sed id quaeritur: an qui tutor sit, cogi possit, ut et curatelas suscipiat? Negatur in §. 18. *Inst. de excus. tut.* et ratio est, quia incivile est, amicum duplicitate gravare, quem sufficiat, eum in paucis gratificare. At hodie tamen fere ubique receptum est, ut, qui tutor fuit, et curatelas continuet usque ad tempus maiorenitatis.

### §. CCLXIII.

II. Ad quaestionem, *quomodo finiatur tutela?* facile respondetur. Nam 1) ex parte eius, cui curator datus, curatela finitur, quoties causa, ob quam datus, cessat. Sic e. g. cessante furore cessat curatio furiosi; cessante prodigalitate, morbo, minorenitate, cessat curatela prodigorum, aegrotantium, minorum. *Cessante enim causa cessat effectus.* 2) Ex parte curatoris curatela finitur, (a) per excusationem, e. g. si curator probet, se reipublicae absentem curatelae praeesse non posse.

Per

(b) Per remotionem , puta , si curator non ex fide gerat , et hinc tamquam suspectus removeatur. Sed de his sit. penult. et ult. dicemus.

## §. CCLXIV.

III. AEque facilis est quaestio , quae *actio adversus curatorem competitat finita iam curatela?* Responsum , *actio tutelae* , de qua supra ( §. CCLII. ) diximus , verum non directa , sed *utilis*. Quemadmodum itaque finita tutela agit pupillus adversus tutorem , ut rationes reddat , et reliqua restituat ; et contra , tutor adversus pupillum , ut se indemnem praestet : *L. i. pr. seq. ff. de tut. et rat. distrah.* ita et curatela finita agit minorenris adversus curatorem , ut rationes reddat , et reliqua restituat ; et contra , curator adversus minorenem , cuius res curavit , ad consequendam indemnitatem. *L. 3. C. de adm. tut.* Haec facilia. Sed id unicum adhuc dispectionem nostram meretur , cur haec actio dicatur *utilis* , quum altera , quae inter tutorem et pupillum competit , dicatur *directa*? Semel hoc monendum , quod saepius recurret. Quaecumque actiones *ex ipsis verbis* legis fluunt , dicuntur *directae* , quae a ICtis per interpretationem inventae sunt , quia non quidem ex verbis , sed tamen *ex ratione legis* fluunt , illae dicuntur *utiles* : quae denique a praetore praeter verba legis inducuntur , illae vocantur *actiones in factum*. Cuius rei elegans exemplum est in §. ult. *Inst. de L. Aquil.* ubi describitur actio ex lege Aquilia *directa* , *utilis* et *in factum*. Quia itaque leges XII. Tabb. mentionem quidem fecerant *actionis tutelae* , de curatoribus autem ne verbum quidem adiecerant , hinc ICti putarunt , eam actionem tutelae accommodari etiam posse curatoribus , quia , *ubi eadem est ratio , ibi eadem est iuris dispositio*. Et hinc eam actionem vocarunt *actionem tutelae utili*em.

## §. CCLXV.

IV. Reliqua est quaestio , *quid sit Actor?* Actor alias significat eum , qui in iudicio actionem instituit. Sed hic plane alio sensu accipitur. Est enim hic *actor mandatarius tutoris vel curatoris*. Quemadmodum enim, qui ipse in iudicio vel extra iudicium res suas administrare nequit , suas vices demandat *procuratori* : ita tutor vel procurator tunc vices demandat *actori*. §. ult. *Inst. hoc tit.* Videri haec possent subtiles verborum captiones. Nam quid interest , sive procuratorem vocemus , sive actorem? Resp. Omnino interest multum. 1) Procurator enim , ut infra doccebimus , fiebat dominus litis , ergo a solo domino constitui poterat. L. I. ff. de *procur.* Atqui tutor et curator non sunt domini, sed administratores , ergo procuratorem constituere nequibant , sed actorem. Observandum itaque vocabulorum discriminem. Dominus constituit *procuratorem* , universitas *syndicum* , tutor vel curator *actorem*. 2) Procurator simpliciter personam suam legitimat *mandato domini* : at actor *duplici indiget legitimatione*. Primo enim producit mandatum actorium a tutele vel curatore datum , deinde *tutorium* , seu instrumentum , quo tutor vel curator a magistratu est constitutus.

## TITVLVS XXIV.

DE SATISDATIONE TVTORVM  
VEL CVRATORVM.DIG. LIB. XXVII. TIT. VII. COD. LIB. V.  
tit. 42. et 57.*Qui satisdare coguntur.*

**N**E tamen pupillorum pupillarumve , et eorum, qui quaeve in curatione sunt , negotia a curatoribus tutoribusve consumantur , vel deminuantur: curet Praetor, ut et tutores et curatores <sup>1</sup> eo nomine satisdent. Sed hoc non est perpetuum. Nam tutores <sup>2</sup> testamento dati satisdare non coguntur: quia fides eorum et diligentia ab ipso testatore approbata est. Item <sup>3</sup> ex inquisitione tutores vel curatores dati satisdatione non onerantur : quia idonei electi sunt.

<sup>1</sup> *Eo nomine satisdent*) Id est , pupillum vel adulatum datis fideiussoribus securum faciant. *L. 1. ff. qui satisd. cog.* hoc enim est satisdare. Graec. ιγγίας μεγίχιον. Praetoriae stipulationes , qualis haec est , cautionem pignoratitiam regulariter non admittunt. *L. 7. de stip. praet.*

<sup>2</sup> *Testamento dati*) Ut et ex testamento confirmatione. *L. 3. de conf. tut.* Paternum testimonium pro satisdatione sufficit. *L. 7. §. 5. C. de cur. fur.* Neque enim tutor a patre , nisi spectatae fidei et diligentiae eligi solet. *L. 36. de excus.* Excipe casus *L. 8. cum 2. seqq. de conf. tut.*

<sup>3</sup> *Ex inquisitione*) *L. 4. C. de tut. qui sat. non ded.*

*ded.* Et regula est , ubi locus est inquisitioni , cessat satisdatio. *L. 8. de cur. fur. L. ult. §. 7. de adm. rer. ad civ. pert.* Fides enim inquisitionis pro vinculo cedit cautionis , ut ait Papinian. *L. 13. §. 2. de tut. dat.*

*Quatenus satisdatio in iis , qui satisdare non compelluntur , locum habere possit.*

### §. I.

Sed si ex testamento vel inquisitione duo pluresve dati fuerint , <sup>1</sup> potest unus offerre satisdationem de indemnitate pupilli vel adolescentis, et contutori suo vel concuratori praeferri , ut solus administret : vel ut contutor aut concuratur satis offerens praeponatur ei , ut et ipse solus administret. Itaque <sup>2</sup> per se non potest petere satisdationem a contutore suo vel concuratore: sed offerre debet , ut electionem det concuratori vel contutori suo , utrum velit , satis accipere , an satisdare. Quod si nemo eorum satis offerat: <sup>3</sup> si quidem adscriptum fuerit a testatore , quis gerat, ille gerere debet. Quod <sup>4</sup> si non fuerit adscriptum: quem maior pars elegerit , ipse gerere debet , ut edicto Praetoris cavetur. Sin autem ipsi tutores dissenserint circa eligendum eum vel eos, qui gerere debent , <sup>5</sup> Praetor partes suas interponere debet. Idem et in <sup>6</sup> pluribus ex inquisitione datis comprobandum est : id est , ut maior pars eligere possit , per quem administratio fiat.

*1 Potest unus offerre ) Vnius ex pluribus tutoribus satisdationi non obnoxiiis provocatione fieri potest, ut ceteri satisdationi subiificantur , aut huic parato satisda-*

dare, administratio committatur. *L. 17. et 2. seqq. de test. tut.* Cuius instituti rationem pete ex *L. 3. §. 6.*  
de adm. tut.

2 *Per se non potest*) *L. 7. ff. rem pup. salv.* Sed ita, aut satisda, aut satis accipe.

3 *Si quidem adscriptum*) *Dicit. L. 3. §. 1. de ad- min. tut.* Male huic primum locum defert Hotoman, quod praeter textum evincit ipsa ratio. Bachov.

4 *Si non fuerit adscriptum*) Aut adscriptus gerere nolit. *Dicit. L. 3. §. 7.*

5 *Praetor partes suas interponere*) Id est, causa cognita statuere, quis tutelam geret. *Dicit. L. 3. §. 7. L. 14. §. 1. ff. de solut.* Sorte rem hic dirimi non placet, quia vertitur praeiudicium alterius. Accurs.

6 *Pluribus ex inquisitione*) Ex interpretatione Edisti, et Oratione DD. fratrum. *L. 19. §. 1. ff. de test. tut.*

*Qui ex administratione tutelae vel curationis tenentur.*

## §. II.

Sciendum autem est, non solum tutores vel curatores pupillis, vel adultis, ceterisque personis ex administratione rerum teneri: sed etiam in eos, <sup>1</sup> qui satisdationem accipiunt, <sup>2</sup> subsidiariam actionem esse, quae ultimum eis praesidium possit afferre. Subsidiaria autem actio in eos datur, qui aut omnino a tutoribus vel curatoribus satisdari non curaverunt, aut <sup>3</sup> non idonee passi sunt caveri. Quae quidem tam ex prudentum responsis, quam ex Constitutionibus Imperialibus etiam <sup>4</sup> in heredes eorum extenditur.

1 *Qui satisdationem accipiunt*) Magistratus intel- li-

lige, qui satisdationem exigere debuerant. *Tit. ff. et C. de magistr. conv.*

**2** *Subsidiariam actionem*) Quae ex re ipsa nomen accepit, quia in subsidium pupillis et adultis datur, excussis prius administratoribus eorumque fideiussoribus. *L. 4. et 5. C. dict. tit. L. 46. §. pen. ff. de adm. tut.*

**3** *Non idonee passi caveri*) Vtrum satisdatio exacta non sit, an minus idonea exacta, nihil interest. *L. 6. ff. qui sat. cog.*

**4** *In heredes extenditur*) Ita tamen, ut heres magistratus non nisi ex dolo et lata culpa defuncti teneantur. *L. 4. ff. de mag. conv. L. 2. C. eod. Basilic. lib. 38. tit. 8. n. 16.*

*Si tutor vel curator cavere nolit.*

### §. III.

Quibus Constitutionibus et illud exprimitur, ut nisi caveant tutores et curatores, <sup>1</sup> pignoribus captis coérceantur.

**1** *Pignoribus captis*) Quod si in contumacia perseverent, removentur a tutela ut suspecti. *L. 3. C. de susp. tut.*

*Qui dicta actione non tenentur.*

### §. IV.

Neque autem Praefectus urbi, neque Praetor, neque Praeses provinciae, neque quisquam alias, <sup>1</sup> cui tutores dandi ius est, hac actione tenebitur: sed hi tantummodo, <sup>2</sup> qui satisdationem exigere solent.

I Cui tutores dandi ius ) κατ' έξοχη, ius plenum et liberum, quale, praeter memoratos, illi omnes habent, quibus provinciae regendae commissae. L. 1. de tut. dat. L. 1. §. 1. ff. de mag. conv.

2 Qui satisdationem exigere ) In urbe Scriba, in provinciis Duumviri. L. ult. C. dict. tit. L. 3. §. ult. ff. de pecul. οι τερπητοί, οι ἐκδικοὶ τὰς πόλεας. Theoph.

## TITVLVS XXIV.

## DE SATISDATIONE TUTORVM

VEL CURATORVM.

## §. CCLXVI.

P ergimus ad quaedam quae tutoribus et curatoribus communia esse diximus; qualia sunt *satisfatio*, de qua hoc titulo; *excusatio*, de qua sequente, et *specti crimen*, de quo titulo ultimo agitur. Hoc ergo titulo dispiciendum, 1) quid sit *satisfatio*? §. 266. 2) cur tutores satisdent? §. 267. 3) qui satisdent? §. 268. ... 270. 4) quae sint huius *satisfationis effecta*? §. 271. 272.

*Satisfare* aliquando generaliter accipitur, aliquando specialiter, aliquando specialissime vel strictissime. *Generaliter* *satisfatio* dicitur omnis cautio, sive fiat fideiussoribus, sive pignoribus, sive iureiurando, sive nuda promissione, e. g. in L. 61. ff. de V. S. L. 49. ff. de solut. *Specialius* hoc vocabulum accipitur pro cautione per fideiussores et pignora; quae cautiones alias quoque *idoneae* appellantur. L. 59. ff. §. ult. mand. *Specialissime* autem *satisfatur* per fideiussores; L. 1. ff. qui *satisf. cogantur* et in hoc ultimo sensu hic accipitur vocabulum, adeoque non aliam cautionem praestare possunt tutores et curatores, quam *fideiussoriam*,

Tom. I.

Yy

id-

idque ob duas rationes. Nam 1) haec cautio est praetoria, et a praetore exigi iubetur. Cautiones autem praetoriae semper praestandae sunt datis fideiussoribus, *per L. 7. ff. de stip. praet.* quae lex maxime notanda. 2) Incertum est, quanti interfuturum sit pupilli, id est, quantum damnum ei illatus sit tutor. Hinc si pignora mille florenis aestimata dentur, et postea tutor damnum det decem millium, parum sane pupillo hac cautione pignoratitia prospectum esset. Itaque opus est fideiussoribus, qui in omnem eventum caveant, et promittant, *rem pupillo salvam fore.*

### §. CCLXVII.

Ex his ergo facile etiam patet, quam ob causam inventa sit haec satisatio. Nam 1) tutor, quamvis personae detur primario, tamen et res pupilli administratur: curator autem primario rebus datur. Atqui generalis illa regula est, ut, qui administrant res alienas, et rationes reddant et satisdent. Et hinc et administratores vel procuratores rerum fiscalium, conductores praedium, imo et usufructuarii cavere iubentur; quia rebus alienis utuntur. Ergo et tutores et curatores. 2) Accedit specialis favor pupillorum. Interest enim reipublicae, eos, omni auxilio destitutos, vigilantia magistratum res suas salvas habere. Id vero fieri non posset, nisi satisdare iuberentur tutores et curatores.

### §. CCLXVIII. CCLXIX.

Sed tamen quum non omnes tutores vel curatores promiscue satisdare cogantur, quaestio iam tertia incidit, *quibus hoc onus incumbat, vel non incumbat?* Hic nostro more praemittimus axioma generale, ex eoque dedinde speciales conclusiones elicimus. *Axioma generale est: Omnes tutores vel curatores tenentur satisdare,*  
*in*

*in quos cadit ulla suspicio.* Nam id ex fine huius satisdationis, de quo §. CCLXVII. diximus, patet. Ideo satisdatur, ut pupillo res salvae sint. Si ergo nullum periculum sit, ne tutor vel curator res pupilli intervertat, cessante causa merito etiam cessat effectus, nempe satisdatio. Ex hoc axiomate (1) discimus, qui non satisdant, (2) qui satisdare cogantur.

I. Non satisdare coguntur (1) tutores testamento dati. Cur? Quia pater videtur in morem et fidem illius, quem liberis tutorem dedit, diligenter inquisivisse, eiusque fidem et industriam perspectam habuisse. *L. 7. §. 5. C. de cur. furios.* Quum itaque in hos nulla cadat suspicio, sane per axioma nostrum merito ab hoc onere satisdationis liberantur. (2) Dati a maioribus magistratibus, veluti praetore, Coss. praesidibus provinciarum. Ratio est, quia hi maiores magistratus non solent tutores nisi cum inquisitione dare. Si ergo diligenter in eorum mores inquisiverant, sane diligenter et fide digni reperti sunt. *L. 13. §. ult. ff. de tut. dat.* Si tales reperti, nulla in eos cadit suspicio. Ergo secundum axioma nostrum non opus est cautione.

II. Contra facile apparet etiam, qui satisdare cogantur. Nempe (1) omnes legitimi. *L. 5. §. 1. ff. de leg. tut.* Hi enim nec a testatore eliguntur, nec a magistratu: sed immediate a lege vocantur, non quod reliquis sint diligentiores, sed quod sanguine proprieores. Ergo in eos cadit suspicio; imo eo magis cadit, quod sunt proximi heredes, et hinc facile hereditatem habere malunt, quam exspectare. (§. CCX. seq.) Hinc secundum axioma nostrum satisdare coguntur. (2) Dati a magistratibus minoribus. Nam hi veluti tutores dant non cum inquisitione. Quia ergo sic nec fides datorum tutorum vel curatorum explorata est, hinc in eos cadit suspicio; ergo satisdare iubentur. (3) Etiam testamenti, legitimi, et dativi, qui se administrationi offerunt. *§. 1. Inst. hoc tit.* Non enim presumuntur se oblati-

ros fuisse , nisi lucrum captarent . Qui hoc captant ex re pupilli , in eos cadit suspicio , ergo tenentur satisdare . Habetis totam rem eiusque nexus cum principio . Sed hic elegans incidit inspectio , si plures sint tutores , vel testamento dati , vel legitimi eiusdem gradus , ( nam hos omnes a lege simul vocari , supra §. CCXII. diximus ) an tunc omnibus permittenda sit administratio , an ex pluribus unus , et quisnam potissimum praeferrendus ? Recte censuerunt ICti , non expedire pupillo plures tutores simul administrare . Nam plerumque huiusmodi administratio per plures sparsa negligentiam et confusionem parit . L. 3. §. 6. ff. de admin. tut. Hinc distinguitur , utrum modica sit tutela , an diffussior : sin diffussior , tunc dividi potest administratio , ita ut unus e. g. rebus Hollandicis praesit , alter praediorum Frisiorum curam gerat , tertius pecunias pupilli senori locet , cet . Sin modica est tutela et modicae pupilli facultates , tunc , pluribus datis tutoribus , uni defertur administratio . Dicit . L. 3. ff. §. 2. eod . Sed cui potissimum ? Primo omnium ei , qui se offert , quoniam is tenetur tunc ad culpam levissimam , L. 53. §. 3. ff. de furt . cuius rei rationem infra ( §. DCCLXX. ) reddemus . Deinde si nemo se offerat , praefertur is , qui a testatore est designatus , quia eius fidem et diligentiam quam maxime videtur approbasse . Porro nemine designato , ad eum pertinebit administratio , ad quem illam maior pars tutorum defert . Quum enim par sit ius omnium , nihil aequius videtur , quam ut plurium suffragiis electus reliquis anteferatur . Denique nec contutoribus eligentibus praetoris est , interponere officium , et unum , quem aptissimum putat , designare . Multa enim hac in re relinquuntur magistratus officio arbitrioque , adeo ut nec testatoris voluntatem semper sequi , nec eum , qui se sponte offert , reliquis necessario praeferre teneatur , ob causas , quas affert Vlpianus dicit . L. 3. §. 3. de adm. tut. et L. 17. §. 1. et 2. ff. de test. tut. Quisquis autem ex plu-

pluribus contutoribus solus administrationem suscipit, reliquis, ut diximus, tenetur satisdare, rem pupillo salvam fore, sive sit testamentarius, sive legitimus, sive dativus. Sed posset quis obiicere, neminem per iura nostra alii posse stipulari, quam sibi, §. 4. *Inst. de inutil. stipul.* hic autem contutores ab eo, qui administracionem suscipit, stipulantur, rem pupillo salvam fore, adeoque non sibi stipulantur, sed alii, id est, pupillo: ergo stipulatio illa erit inutilis? Sed respondeatur, regulam illam veram esse, sed cum exceptione, *nisi stipulantis intersit.* §. 20. *Inst. eod.* ( conf. infra §. DCCCXVIII. §. DCCCXLVII. ) Atqui hic vel maxime interest contotorum, rem pupillo salvam fore. Ni- si enim salva sit, ipsi periculum simul sustinent, et actione tutelae tenentur ad damnum omne pupillo resarcendum. ( §. CCLII. )

## §. CCLXX.

Sed quaeritur, *quomodo* satisdant tutores? Resp. satisdare est cavere datis fideiussoribus. Ergo fideiussores dandi. Porro fideiussio est species stipulationis; quia, si per pactum nudum alterius obligationi quis accedit, non videtur *fideiussisse*, sed *constituisse*. ( §. DCCCLIV. ) Quum ergo fideiussio sit species stipulationis, unus necessario debebat interrogare: *Tunc fide tua promittis, rem pupillo salvam fore?* et alter congrue responde-re: *Fide mea promitto.* ( §. DCCCXI. ) Iam nullum est dubium, quis respondere teneatur congrue? nempe fideiussor tenetur. Ast id erat ambiguum, quis interro-gare deberet? Si pupillus fari posset, id est, si esset maior annis septem, ipse poterat interrogare, quia et sine auctoritate tutoris rem facere poterat meliorem. ( §. CCXL. ) At quid si fari non posset? si adhuc esset in-fans? Tunc sane nec tutor interrogare poterat, quia nondum erat tutor ante satisdationem, nec magistratus vel agna-

agnati , quia nemo poterat alteri stipulari. §. 4. *Inst. de inutil. stipul.* Quid ergo ? Respondebant veteres : 1) pro pupillo interrogare debere servum , quia servus stipulatione sua adquirit domino , eiusque stipulatio non nisi ex domini persona valet. (§. DCCCXXX.) 2) Si servum non haberet , emendum ei esse servum. 3) Si nec id fieri posset , tunc servum publicum interrogare debere *L. 2. ff. rem pup. salv. fore.* Si servus publicus interrogabat , satisdare dicebatur *τῷ ταβλαρίῳ* , tabulario , Theophil. *ad §. 3. Inst. de adopt.* Servi publici enim erant varii generis : alii erant apparitores magistratum , alii lectores , alii viatores vel nuntii , alii tabellarii , id est , ut hodie loquimur , servientes archivo. Et hic praecipue incumbebat , ut interrogarent pro pupillis ; ceu rem accurate exposuit Amaya , ICtus elegantissimus , *in Comment. ad Cod. lib. 10. tit. 69. L. 3.* Sed inquis , quo pacto servus publicus poterat stipulari , rem pupillo salvam fore ? sic sane ipse et alii stipulabatur , contra regulam §. 4. *Inst. de inutil. stipul.* Sed respondeo : servus publicus erat servus totius civitatis vel reipublicae , ergo et pupilli , qui erat istius reipublicae civis. Ergo non modo toti civitati poterat stipulatione sua adquirere , sed et singulis civibus , si iis nominatim stipularetur. Vedit hoc Iac. Gothofredus *Comment. ad L. 73. §. ult. de R. I.* Confer tamen *L. 3. ff. de stip. praet. et L. 1. §. 4. ff. ut legator.* Sed hodie his ambagibus non utimur. Nam si satisdatio exigitur , sufficit , si fideiussores vel chirographo suo caveant , vel praesentes ad acta declarant , se fideiubere. Solemnitatem enim illam stipulationum et responsionum , in foris nostris numquam recepimus.

### §. CCLXXI. CCLXXII.

Reliquum est , ut de effectu satisdationis tutorum videamus. Effectus hic est , ut tres actiones habeat pupillus

lus finita tutela ad rem suam consequendam , quae ipsi abest. Nam 1) *actionem tutelae* instituit adversus tutores , ut rationes reddant et reliqua restituant ; de qua actione supra ( §. CCLII. ) diximus. 2) Si hac actione non recuperat a tutoribus rem suam , habet *actionem ex stipulatu adversus fideiussores* , ut resarciant damnum a tutoribus datum. Perinde autem est , sive tutores non solvendo , sive in fuga sint , sive non facile ob absentiā conveniri possint. Et de hac actione agit totus *tit. ff. de fideiuss. et nominat.* 3) Si ne fideiussores quidem sint idonei , ab iisque pupillus rem suam servare non possit , tunc culpa cadit in magistratum , qui huiusmodi fideiussores parum idoneos admisit , et contra hunc datur *actio subsidiaria* , de qua agit *tit. ff. de magistr. conveni.* Datur itaque haec actio pupillo , qui finita tutela rem suam neque a tutore neque a fideiussoribus recuperare potuit ( hos enim prius convenisse debet , antequam magistratum pulset hac actione ). Datur non modo adversus personas , ( non adversus collegium ) quae tutorem sine idoneis fideiussoribus dederunt , verum etiam , si culpa lata intercesserit , adversus earum heredes , ( non adversus successores singulares ) ad damnum omne resarcendum. Sed rarior tamen haec actio est , nec magnum inde lucrum sperandum. Nam 1. semper pro magistratu militat praesumtio diligentiae , donec probetur contrarium , eaque probatio satis plerumque difficilis est. 2. Liberatur magistratus , si ostendat , eo tempore , quo se obligarint fideiussores , fuisse idoneos , et postea demum bonis lapsos , idque plerumque contingit. L. I. §. 13. *ff. de mag. conven.* 3. Hodie paucis locis recepta est satisdatio , adeoque et magistratui imputari nequit , si fideiussores non exegerit. 4. Generatim etiam ex regulis universalis prudentiae periculosum est , litigare cum magistratibus ; eamque in rem exstat elegans Thomasii diss. de exiguo usu doctrinae Inst. de actione adversus iudicem , qui litem suam fecerit.

## TITVLVS XXV.

DE EXCVSATIONIBVS TVTORVM  
VEL CVRATORVM.DIG. LIB. XXVII. TIT. I. COD. LIB. I.  
tit. 62. et seqq.*De numero liberorum.*

**E**xcusantur autem tutores et curatores variis ex causis: plerumque tamen <sup>1</sup> propter liberos, sive in potestate sint, <sup>2</sup> sive emancipati. Si autem <sup>3</sup> tres liberos superstites Romae quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in provinciis quinque, a tutela vel cura potest excusari, <sup>4</sup> exemplo ceterorum munierum: nam et tutelam et curam placuit <sup>5</sup> publicum munus esse. Sed <sup>6</sup> adoptivi liberi non prosunt: in adoptionem autem dati, naturali patri prosunt. Item <sup>7</sup> nepotes ex filio prosunt, ut in locum patris sui succendant: <sup>8</sup> ex filia, non prosunt. Filii autem superstites tantum ad tutelae vel curae munieris excusationem prosunt: defuncti autem non prosunt. Sed si in bello amissi sunt, quaesitum est an prosint. Et constat, eos solos prodesse, <sup>9</sup> qui in acie amittuntur: hi enim, qui pro republica ceciderunt, in perpetuum <sup>10</sup> per gloriam vivere intelliguntur.

<sup>1</sup> Propter liberos ) Ex Modestino L. 2. §. 2. et seqq. ff. hoc tit. L. 1. C. qui num. lib.

<sup>2</sup> Sive emancipati ) Diſt. L. 2. §. 3. L. 2. §. 5. de vac. mun. Credo quia haec immunitas non magis le-

levamentum oneris domestici, quam praemium πλευτιδιας.  
De iure trium liberorum vid. Duar. I. disp. 40.

3 *Tres Romae, in Italia quatuor*) L. I. C. qui  
num. lib. Quod de Roma et terra Italica hic dicitur,  
Schol. Theoph. transfert et ad novam Romam, την Κοινην  
ταυτησθαι, et Thraciam, την Θρακην.

4 *Exemplo ceterorum munerum*) Personalium scili-  
cet; nam a patrimonialibus numerus liberorum non ex-  
cusat. L. 2. §. 1. et 4. L. 10. et seq. ff. de vac. mun.

5 *Publicum munus esse*) L. I. §. 4. L. ult. §. 1.  
ff. de mun. et hon. L. 9. de his qui sui vel al. iur.  
Nempe ratione necessitatis: proprie enim reipub. munus  
non est. L. 6. §. 15. ff. hoc tit.

6 *Adoptivi liberi non prosunt*) L. 2. §. 2. de vac.  
mun. Ne simulata adoptio in ulla parte muneris publi-  
ci iuvaret. Tac. lib. 15. Annal. cap. 19. Olim proderant,  
quem morem reprehendit P. Scipio apud Gell. 5. cap. 19.

7 *Nepotes ex filio*) Videlicet de mortuo, L. 2. §.  
7. hoc tit. non ex emancipato: quia ille patri prodest.

8 *Ex filia non prosunt*) Quoniam duobus prodes-  
se non debent: prosunt autem patri suo.

9 *Qui in acie amittuntur*) L. 18. hoc tit. et ita ca-  
pe Modestinum in L. ult. de vac. mun. in bello amissus.  
Gell. 2. cap. 15. aut bello amisit. Non per causam bel-  
li, in obsidione forte: sed in acie, praelio, ει τη συμπλοκη  
diit. L. 18. Sallust. In eo bello trecenti milites desiderati.

10 *Per gloriam vivere*) Cicex. Philip. 9. cap. 2.  
pro Planc. cap. 37. Liv. lib. 25. cap. 38. Diod. Sic.  
lib. 15. αρι την τοιωτας αθηνατο μηδηα τελειωνται. in Les-  
bonact. hortat.

### *De administratione rei fiscalis.*

#### §. I.

Item Divus Marcus in Semestribus rescripsit,  
Tom. I. Zz eum,

eum, <sup>2</sup> qui res fisci administrat, a tutela vel cura, quamdiu administrat, excusari posse.

<sup>1</sup> *Semestribus*) Semestrium D. Marci crebra in libris nostris mentio: sic forte appellata, quae in semestribus consiliis ab eo constituta, exemplo, ut credibile, Augusti. Vid. Suet. *in Aug. cap. 35.* Dion. *lib. 53. cap. 21.* Add. Pet. Fab. *in praef. semestr.*

<sup>2</sup> *Qui res fisci*) Vel etiam rem privatam Principis. *L. 41. ff. hoc tit.* Referunt huc et alios *ex L. 10. C. eod. L. ult. C. qui dar. tut. L. 22. §. 1. L. 30. ff. hoc tit.*

### *De absentia Reipublicae causa.*

#### §. II.

Item qui <sup>1</sup> Reipublicae causa absunt, a tutela vel cura excusantur. Sed et si fuerint tutores vel curatores dati, deinde Reipublicae causa abesse coeperint, a tutela vel cura excusantur, <sup>2</sup> quatenus Reipublicae causa absunt; et interea curator loco eorum datur: qui si reversi fuerint, recipiunt onus tutelae. Nam nec anni habent vacationem, ut Papinianus libro 5. Responsorum scripsit: nam hoc spatium habent <sup>3</sup> ad novas tutelas vocati.

<sup>1</sup> *Reipublicae causa absunt*) *L. 1. C. si tut. reip. cau. L. 41. §. 2. ff. hoc tit.* Quinam reipub. causa abesse dicantur, disce *ex L. 32. L. 35. L. 38. ff. ex quib. cau. mai.*

<sup>2</sup> *Quatenus absunt*) Id est, quamdiu, *īas īī, mi-*  
*xīs īī*, aequum enim est tamdiu eos excusari.

<sup>3</sup> *Ad novas tutelas vocati*) Qui cum reip. causa ab-

abessent, ad novas tutelas vocati sunt, reversi anni vaccinationem habent: sed munus ante susceptum, statim resumi debet. *L. 10. pr. et §. 2. L. 45. ff. hoc tit. L. 2. C. si tut. reip. caus.*

### *De potestate.*

#### §. III.

Et qui potestatem aliquam habent, se excusare possunt, ut Divus Marcus rescripsit: sed susceptam tutelam deserere non possunt.

I Qui potestatem aliquam ) Videtur hoc verbum hic accipi in significatu excellentiori, et referri ad magistratus maiores: nam aedilitas a tutela non excusat. *L. 17. §. 4. hoc tit.* Modestinus tamen aperte testatur et τοὺς εραπηγὸν τῶν πόλεων habere remissionem. *L. 6. §. αφεῖται. 16. eod.* Qui autem ante se miscuerunt, excusare se propter potestatem postea adeptam non possunt. *Dicit. L. 17. §. 5.*

### *De lite cum pupillo, vel adulto.*

#### §. IV.

Item propter litem, quam cum pupillo vel adulto tutor vel curator habet, excusari non potest: nisi forte de omnibus bonis, vel hereditate controversia sit.

I Nisi forte de omnibus bonis ) Aut maxima eorum parte. *L. 20. L. 21. eod.* Quo casu etiam utile pupillo nolentem se excusare a tutela removeri. *Dicit. L. 20.*

*De tribus oneribus tutelae vel curae.*

## §. V.

Item <sup>1</sup> tria onera tutelae <sup>2</sup> non affectatae , vel curae , praestant vacationem , quamdiu administrantur : ut tamen plurium pupillorum tutela vel cura eorumdem bonorum , veluti fratrum , <sup>3</sup> pro una computetur .

<sup>1</sup> *Tria onera tutelae* ) *L. 2. §. ult. L. 3. L. 4. hoc tit. L. un. C. qui num. tut.*

<sup>2</sup> *Non affectatae* ) Nam affectatae in numerum tutelarum non cedunt. *L. 15. §. 15. eod. et dict. L. un. v. c. tenuissimae , quae ambiri solent , ut μέρος χάραγμα , numerus trium expleatur. Dict. L. 15. §. 15.*

<sup>3</sup> *Pro una computetur* ) E. g. si tres sint consortes , una tutela habetur : si tres dissortes , tutelae tres. *L. 3. L. 31. §. ult. eod. ubi Paulus scribit , etiam unam tutelam sufficere debere ad excusationem , si tam diffusa sit , ut pro pluribus cedat.*

*De paupertate.*

## §. VI.

Sed et <sup>1</sup> propter paupertatem excusationem tribui , tam Divi fratres , quam per se Divus Marcus rescripsit , si quis imparem se oneri iniuncto possit docere .

<sup>1</sup> *Propter paupertatem* ) Desumtuſ hic locus *ex L. 7. et L. 40. §. 1. ff. hoc tit.*

*De*

*De adversa valetudine.*

## §. VII.

Item <sup>1</sup> propter adversam valetudinem , propter quam ne suis quidem negotiis interesse potest , excusatio locum habet.

<sup>1</sup> Propter adversam valetudinem ) L. 10. in fin. L. 40. L. pen. §. ult. ff. hoc tit. L. un. C. qui morb.

*De imperitia literarum.*

## §. VIII.

Similiter eos , <sup>1</sup> qui literas nesciunt , esse excusandos , Divus Pius rescripts : <sup>2</sup> quamvis et imperiti literarum possint ad administrationem negotiorum sufficere.

<sup>1</sup> Qui literas nesciunt ) Id est , ἀγέλληματοι , οὐαλφάναι , qui nec legere , nec scribere didicerunt , ut in L. 3. §. 2. ff. de accus. L. 21. L. 30. C. de testam. Colum. 1. de Re Rust. 8. Suet. in Claud. cap. 41. Excusatio hic admissa propter rationum conficiendarum et reddendarum difficultatem. Quod si tutela sit εὐπελὴς , modica et expedita , haec excusatio recipi non debet. Ita sume L. 6. §. ult. hoc tit.

<sup>2</sup> Quamvis imperiti literarum ) Axioma discretum est , quamvis imperiti literarum non sint negotiorum expertes , tamen a tutela sunt excusandi. Cui per conexum contradicere videtur Paulus dicit. L. 6. §. ult. Solve ex iis , quae praecedunt.

D<sup>e</sup>

*De datione propter inimicitias, et de tute,  
qui testatori consensit.*

§. IX.

Item, si <sup>1</sup> propter inimicitias aliquem testamento tutorem pater dederit, hoc ipsum prae stat ei excusationem: sicut per contrarium <sup>2</sup> non excusantur, qui se tutelam administraturos patri pupillorum promiserant.

<sup>1</sup> *Propter inimicitias*) "Ιτα ὑπερβληθῆ ἐν χῶρᾳ τῷ πράγματι,  
ut subiiciatur litibus et negotiis. *Dicit. L. 6. §. διδασκ.*  
*17. hoc tit.*

<sup>2</sup> *Non excusantur*) Quamvis alias excusare possent. *L. 15. §. 1. eod. Fac. L. 29. in fin. ff. de test.*  
*tut.*

*De ignorantia testatoris.*

§. X.

Non esse autem admittendam excusationem eius, qui hoc solo utitur, <sup>1</sup> quod ignotus patri pupillorum sit, Divi fratres rescripserunt.

<sup>1</sup> *Quod ignotus patri*) *Dicit. L. 15. §. 14. Divi*  
*fratres, M. Antoninus Philosophus, et AElius Verus.*

*De inimicitiis cum patre pupilli vel adulti.*

§. XI.

Inimicitiae, quas quis <sup>1</sup> cum patre pupillorum  
vel

DE EXCVSAT. TVTOR. VEL CVRATOR. 367  
vel adulorum exercuit, si capitales fuerunt, nec  
reconciliatio intervenit, a tutela vel cura solent  
excusare.

I. *Cum patre pupillorum*) *Dict. L. 6. §. 17.* Paul.  
2. *sent. tit. 27. §. 1.* Idem est, si cum pupillis vel  
adultis; *L. 3. §. 12. ff. de susp. tut.* ubi *Vlpianus* ait  
etiam ob hanc causam removeri.

*De status controversia a patre pupilli illata.*

§. XII.

Item is, qui status controversiam a pupil-  
lorum patre passus est, excusatur a tutela.

I. *Qui status controversiam*) Τυτίς περ τύχης εἰπώμενος δελός μη εῖ. Schol. Theoph. quem pater pupilli in servitutem petiit: quod par interdum, ac si capitis accusasset. *L. 14. ff. de bon. lib.*

*De aetate.*

§. XIII.

Item maior septuaginta annis a tutela et cu-  
ra se potest excusare. Minores autem vigintiquin-  
que annis, olim quidem excusabantur: nostra  
autem Constitutione prohibentur ad tutelam vel  
curam adspirare; adeo ut nec excusatione opus  
sit. Qua Constitutione cavetur, ut nec pupillus  
ad legitimam tutelam vocetur, nec adultus: quum  
sit incivile, eos qui alieno auxilio in rebus suis  
administrandis egere noscuntur, et ab aliis re-  
guntur, aliorum tutelam vel curam subire.

1 *Maior septuaginta annis*) Non ingressus annum septuagesimum, sed egressus. L. 2. ff. hoc tit. L. 3. de iur. imm. Observa in immunitatibus coeptum annum pro completo non haberi.

2 *Nostra Constitutione*) L. ult. C. de leg. tut.

3 *Prohibentur ad tutelam adspirare*) Videtur Tribonianus errasse in explicatione iuris veteris, 1. quod putavit minorem 25. tutorem a magistratu dari potuisse, datumque necesse habuisse se excusare. 2. Quod credidit periculo minoris, cui legitima tutela erat, curatorem interim datum tutelam administrasse. Vid. nostra *in comment.*

### *De militia.*

#### §. XIV.

Idem et 1 in milite observandum est, ut nec volens ad tutelae onus admittatur.

1 *In milite*) L. 4. C. qui dar. tut. L. 8. C. de legat.

### *De Grammaticis, Rhetoribus, et Medicis.*

#### §. XV.

Item Romae 1 Grammatici, Rethores, et Medici, et qui in patria sua has artes exercent, et 2 intra numerum sunt, a tutela et cura habent vacationem.

1 *Grammatici, Rethores*) L. 6. §. 1. et seqq. hoc tit. et tit. C. de profess. et med. lib. 10.

2 *Intra numerum*) Qui in unaquaque civitate certo definitus erat. Did. L. 6. §. 2. et deinceps.

*De*

*Dé tempore et modo proponendi excusationes.*

§. XVI.

Qui autem vult se excusare , si plures habeat excusationes , et de quibusdam non probaverit , <sup>1</sup> aliis uti intra tempora constituta non prohibetur . Qui autem excusare se volunt , <sup>2</sup> non appellant , sed <sup>3</sup> intra quinquaginta dies continuos , ex quo cognoverint se esse tutores vel curatores datos , se excusare debent , cuiuscumque generis sint , id est , <sup>4</sup> qualitercumque dati fuerint tutores , si intra <sup>5</sup> centesimum lapidem sunt ab eo loco , ubi tutores dati sunt . Si vero ultra centesimum lapidem habitant , dinumeratione facta viginti millium diurnorum , et amplius triginta dierum : qui tamen ( ut Scaevola dicebat ) sic debent computari , ne minus sint <sup>6</sup> quam quinquaginta dies .

<sup>1</sup> Aliis uti non prohibetur ) Ex Marciano L. 21. §. ff. hoc tit. Excusatio species quaedam est exceptionis: nemo autem prohibetur pluribus exceptionibus uti. L. 5. ff. de except.

<sup>2</sup> Non appellant ) Hoc enim D. Marcus effecit , quum antea non minus a delatione tutelae , quam alterius muneric appellaretur. L. 1. §. 1. et 2. quand. app. Si tamen tutoris excusatio recepta non sit , appellare debebit. Dict. L. 1. §. 1. Graec. ad L. 4. ff. hoc tit.

<sup>3</sup> Intra quinquaginta dies continuos ) Proponendae excusationi quinquaginta dies continui constituti ; L. 13. §. 1. et seqq. ff. eod. peragendo negotio quatuor menses. L. 38. eod. Continui dies dicuntur ad differentiam utilium , e quibus subducuntur omnes , quibus experiundi potestas non est. L. 1. de div. et temp. praescr.

**4** *Qualitercumque dati*) Sive a magistratu, sive testamento, sive lege. Nam et legitimos tutores se excusare posse constat. *L. 3. §. 8. ff. de leg. tut. L. 1. C. eod. L. 9. C. qui dar. tut.* Et prius dixerat, *cuiuscumque generis.*

**5** *Centesimum lapidem*) Translatitium est, lapidem pro milliario sive mille passibus accipi.

**6** *Quam quinquaginta dies*) Vid. *L. 13. §. 1. et de inc. hoc tit. L. 3. de verb. sign.*

### *De excusatione pro parte patrimonii.*

#### §. XVII.

**1** *Datus autem tutor*, **2** ad universum patrimonium datus esse creditur.

**1** *Datus autem tutor*) Locus mutillus, et decerpitus ex Marciano *L. 21. §. 2. hoc tit.*

**2** *Ad universum patrimonium*) Et ideo pro parte bonorum excusare se non potest: cuius regulae exceptio traditur *in dict.* *L. 21. §. 2.*

### *De excusationibus propriis curatorum.*

#### *De tutelae gestione.*

#### §. XVIII.

Qui tutelam alicuius gessit, invitus curator eiusdem fieri non compellitur: in tantum, ut licet paterfamilias, qui testamento tutorem dedit, adiecerit se eumdem curatorem dare, tamen invitum eum curam suspicere non cogendum, Divi Severus et Antoninus rescripsérunt.

I Fieri non compellitur ) L. 2. C. hoc tit. Excipitur libertus , quem patronus liberis suis tutorem et curatorem dedit ; L. 5. C. eod. quod tamen tempera ex L. 14. §. 3. L. 24. ff. eod.

### *De marito.*

#### §. XIX.

Iidem rescriperunt , 1 maritum uxori suae curatorem datum , excusare se posse , licet 2 se immisceat.

I Maritum uxori suae ) Maritus uxori suae curator dari non potest , ne furiosae quidem , ne cohibeatur ratio administrationis. L. 2. C. qui dar. tut. L. 4. C. hoc tit. L. 14. ff. de cur. fur.

2 Se immisceat ) Quamquam regulariter , qui se miscuit administrationi , non excusatur. L. 17. §. 5. ff. hoc tit. L. 2. C. si tut. fals. all.

### *De falsis allegationibus.*

#### §. XX.

Si quis autem 1 falsis allegationibus excusationem tutelae meruerit , non est liberatus onere tutelae.

I Falsis allegationibus ) L. 1. L. ult. C. diff. tit. ubi etiam additur , ex eo tempore , quo datus est , tutelae obligatum esse.

## TITVLVS XXV.

DE EXCVSATIONE TVTORVM  
VEL CVRATORVM.

## §. CCLXXXIII. CCLXXXIV.

**P**raeter satisdationem et *excusatio* communis est *tutoribus* et *curatoribus*. Vnde et de hac agitur hoc sequente titulo. Iam tria praemittenda, 1) cur *tutoribus* et *curatoribus* concedatur, ut se excusent? 2) Quid *juridice* significet, *excusare*? 3) Quotuplices sint *excusationes*?

I. *Tutoribus* et *curatoribus* ideo *excusationes* quae-dam conceduntur, quia est munus publicum, (§. CXCVI.) et munera publica personalia omnes quidem tenebantur suscipere, sed quidam tamen erant *immunes*, e. g. milites: quidam *vacationem* habebant, veluti senes, veterani, legati; quidam *excusabantur*, si iusta causa iis esset in promtu, e. g. numerus liberorum. Hinc in libro 50. *Digestorum*, ubi materia de munib[us] publicis ex instituto exponitur, tituli occurrunt *de immunitate*, *de vacatione* et *excusatione* munierum. Quemadmodum itaque a reliquis munib[us] publicis excusabant iustae causae, ita et aequum videbatur, easdem a tutela excusare.

II. Observandum, vocabulum *excusare* aliud significare grammaticis, aliud ICtis. Grammaticis *excusare* est a causa dictum, adeoque idem significat ac *causam allegare*, *cur quis onus suscipere non teneatur*. At *Iureconsultis* *excusare*, est ob causam gravem aliquem vel liberare vel non admittere. Sic e. g. in L. I. §. 3. ff. de postul. dicit Ulpianus: *initium autem fecit praetor ab his, qui in totum prohibentur postulare, in quo edi-*

*edicto aut pueritiam aut casum excusavit*; ubi sane *excusare* idem est ac prohibere. Pueros enim et surdos non admitteret praetor, etiamsi vellent postulare, et tamen eos excusare dicitur. Eodem sensu in L. II. ff. *de decurion.* pueri dicuntur *a decurionatu ad tempus excusari*, id est, prohiberi; ubi quidem Cuiac. Obs. lib. 26. cap. 38. ingeniose legendum putat *excuriantur*, sed sine necessitate emendat textum satis integrum. Excusare ergo ICtis, et causas allegare significat et prohibere; quae significatio vocis tam est singularis, ut Theophilus et reliqui ICti Graeci, quum viderent, nullum in lingua sua esse vocabulum eiusdem significationis, latinum retinere malling, et inde fingerent graecum έξυπαντίαι. Quaedam praecclare in hanc rem observavit Bynkershoek Obs. 4. cap. II.

III. Iam facile intelligimus, *quotuplices* sint excusationes tutorum et curatorum. Dividuntur enim 1) *in voluntarias*, *quae oppositae prosunt*, e. g. numerus liberorum. Si allegetur haec causa, excusat: si non allegetur, etiam multorum liberorum parens cogetur tutelam suscipere. Et 2) *necessarias*, *quae etiam non oppositae prohibent a tutela*; e. g. lis cum pupillo. Nam si de ea constat, praetor tutorem non admittit, quamvis ipse tutelam velit suscipere. *De voluntariis* agitur a §. 275. ... 280. *de necessariis* §. 281. *de utramque allegatione* §. 282. ... 284.

### §. CCLXXV.

*Voluntariae excusandi causae iterum sunt triplices.* Aut enim admittuntur 1) ob *privilegium*, §. 275. ... 278. aut 2) ob *impotentiam*, §. 279. aut 3) ob *existimationis periculum*, §. 280.

I. *Ob privilegium excusantur 1) parentes plurium liberorum.* Et quidem Romae excusabant tres, in Italia quatuor, in provinciis quinque, modo essent *naturales*;

*les*, non adoptivi; *legitimi*, non spurii; *nati*, non nascituri; *superstites vel bello amissi*, non mortui. Nam et qui pro patria ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere dicuntur. Haec habes in *pr. Inst. hoc tit.* Sed quaeritur, unde hoc privilegium sit? Harprechtus, qui Commentario grandi 4. tomorum Institutiones illustravit, ad *pr. Inst. hoc tit.* dicit, esse hanc quaestio nem ex earum numero, quarum ratio reddi non possit. Lepide profecto? Est potius ex *lege Iulia et Papia-Poppaea*, quae A. V. C. 762. sub Augusto lata est a M. Papio Mutilo et Q. Poppaeo secundo consulibus suffectis. Dio Cass. lib. 56. cap. 10. Nimirum Romani, non ut reliquae gentes, libenter se nuptiis illigabant, sed ab iis liberorumque procreatione maxime abhorre bant. Causae maxime tres erant: (a) cupiditas vitae dissolutae et vagae Veneris; (b) luxus Romanarum feminarum, quas mariti vix satis splendide alere poterant; et (c) orbitatis honor. \*\* Qui enim non habebant uxores

\*\* Erant etiam qui philosophiae causa abstinebant a matrimonio, exemplo veterum, Thaletis, Pythagorae, Democriti, Platonis, Zenonis Cittiei, Epicuri. Ita sane et recentiores in orbe Romano philosophi sibi putabant faciendum, veluti Apollonius Tyanensis, Epictetus, Plotinus, Porphyrius, Proclus. Vid. Philostrat. *vit. Apollon.* 1. cap. 10. Marin. *vit. Procli* cap. 17. et ibi Cl. Fabric. Quae quum ita se haberent, non mirum profecto est, adeo abhorruisse Romanos a nuptiis, quaerendisque liberis, ut praemii essent ad coniugia ineunda invitandi. Evidem iam libera republica et poenas caelibatus, et foecunditatis praemia fuisse, certissimum est. Legum eiusmodi et a senatu et a populo conditrum meminit ipse Augustus oratione ad caelibes apud Dion. Cass. Hist. 56. cap. 6. Solebant et censores dare operam, ne caelibes essent in urbe, atque hinc multam exigere ab iis, qui, nulla ducta uxore, ad senectutem pervenissent. Ea multa dicebatur *aes uxoriū*. Festus *vōce uxoriū*: *Vxorium pependisse dicitur, qui, quod uxorem non habuerit, aes populo dedit.* Qua in re rigida in primis ac severa fuit censura M. Furii Camilli, et M. Postumii Albini Regillensis, A. V. C. 350. de qua Plutar-

et liberos , ii ab omnibus colebantur , ad honores pro-  
vehebantur , donis et beneficiis cumulabantur , quia unus-  
quisque se iis heredem futurum sperabat . Elegans et

tarch. *vita Camilli* pag. 129. et Valer. Max. 2. cap. 9. §. 1.  
Ita et anno 622. Q. Caecilius Metellus Macedonicus omnes  
uxores ducere coegerit liberorum quaerendorum causa , et tum  
habuit orationem , cuius partem servavit Gellius *Noct. Attic.*  
1. cap. 6. quaeque digna visa Augusto , quam in senatu re-  
peteret , quum suaderet legem Iuliam de maritandis ordinibus.  
Suet. *Aug.* cap. 89. Nonnumquam censores , caelibes etiam in  
quatuor tribus urbanas , ceteris in honestiores , maritos et pa-  
rentes in rusticas , tamquam nobiliores , descriebant. Liv. 45.  
cap. 15. Nec poenis tantum , sed et praemiis propositis , ea in  
re utebantur veteres , et in primis honoribus cives invitabant  
ad ducendas uxores , ceu patet ex insigni oratione P. Scipio-  
nis , Censoris , A. V. C. 554. apud Gell. *Noct. Attic.* 5. cap.  
19. ubi etiam ille pravus mos reprehenditur , quod filius ado-  
ptivus patri adoptatori inter praemia patrum prodesset.

At paulo post tamen et Iulio Caesari legibus promoven-  
da visa est πλευραία civium. Iam consulatu , quem cum Bi-  
bulo gessit , agrum Campanum divisit extra sortem 20. milli-  
bus civium , quibus terni , pluresve liberi essent. Suet. *Iul.*  
20. Appian. *de Bello civil.* 2. pag. 433. Postea , ubi bellum  
civile detonuerat , acto censu , tantam deprehendit in urbe so-  
litudinem , ut teste Appiano *de Bello civil.* pag. 492. dimidio  
minus capitum censeretur , quam ante bellum civile. Vnde de-  
nuo praemia proponenda existimabat iis , quibus plures essent  
liberi. Dio Cass. *Hist.* 43. cap. 25. Suet. *Iul.* cap. 42. Sed eo  
paulo post imperfecto , non diu admodum leges istae saluber-  
rimae viguerunt. At multo magis haec cura Augusti subiit ani-  
mum , qui tamen non nisi post multa molimina solitudini isti  
invenit remedium. Primum id egit A. V. C. 725. quo cen-  
sum cum Agrippa , tamquam Praefectus morum , egit. Grut.  
*Inscript.* pag. 230. Nam ex eo demum tempore , sexto inito  
consulatu potentiae securus , quae in triumviratu iussa fue-  
rant , abolevit , deditique iura , queis pace et principe uteren-  
tur. *Aetiora ex eo vincula , inditi custodes , et lege Papia Poppaea*  
*praemiis induiti.* Tacit. *Annal.* 3. cap. 28. Ex quibus tamen  
verbis , Lips. in *Excurs.* ad Tacit. *Annal.* lib. 3. lit. C. male  
colligit , iam sexto illo consulatu Augustum rogationem ad po-  
pulum tulisse. Incertum enim hoc esse ostendimus in *Comment.*

ad

prolixus ea de re locus exstat apud Plautum in *Milit. glor.* act. 3. scen. 1. vers. 91. seq. ubi Periplectomenes senex, interrogatus cur uxorem non duxerit, responderet:

*ad L. Iul. et Pap. lib. 1. cap. 3.* Saltim, si quid sexto consulatu egit Augustus, tum quidem nihil profecisse videtur.

Decennio post A. V. C. 736. denuo eamdem rem egit, lata celeberrima illa lege Iulia de *maritandis ordinibus*, qua et innuptis arctiores poenas statuit, et nuptiis, liberorumque procreationi proposuit praemia. Dio Cass. *Hist.* 54. cap. 16. Dici non potest, quantis cum difficultatibus tunc collectandum fuerit Augusto. Quamvis enim orationem Metelli, de qua supra, in Senatu haberet: Suet. *Aug.* 89. magno tamen patrum consensu ei occlamatum est, teste Dion Cassio *lib. 54. cap. 16.* At sequutum tamen SC. de ferenda lege, de quo Horat. *carm. saec. vers. 17.*

*Diva, producas sobolem, patrumque  
Prospere decreta super iugandis  
Feminis, proliisque novae feraci  
Lege marita.*

Sed licet tum Augustus tam certus esset de successu huius rogationis, ut legis huius in antecessum meminerit in luculenta Inscriptione apud Grut. pag. 328. 1. quam nos supplevimus, illustravimusque in *Comment. ad L. Iul. et Pap. ibid.* legem tamen perferre ne tum quidem potuit, prae tumultu recusantium. Sueton. *Aug. cap. 34.* Repetitis tamen aliquoties rogationibus, ita demum perlata est, ut ademta, lenitave parte poenarum, auctisque praemis, vacatio triennii concedetur. Sueton. *August. cap. 34.* Triennio vero illo circumacto, denuo biennii data est vacatio, adeoque lex illa de *maritandis ordinibus* demum anno 757. Sex. AElio Cato, et C. Sentio Saturnino Coss. perlata.

At vero quem A. V. C. 760. equites Romani magnopere de abroganda hac lege laborarent, paulo post Augustus insignes illas habuit orationes tam ad caelibes, quam ad coniuges, quas servavit Dio Cass. 56. cap. 2. seq. Suet. *August. 34.* ac tandem A. V. C. 763. ferri iussit legem *Papiam Poppaeam*, quae in iure nostro etiam *lex Iulia et Papia* appellatur, quia in eam Iuliae istae rogationes pleraque confluerant. Hucusque huius legis historiam breviter recensuimus: addere nunc operaepretium erit, ne fraus legi fieret, cautum fuis-

*Verum egone eam ducam domum?*

*Quae mihi numquam hoc dicat : eme , mi vir , lanam,  
unde tibi pallium,*

*Malacum et calidum conficiatur , tunicaeque hyber-  
nae bonae,*

*Ne algeas hac hyeme ? Hoc numquam verbum ex uxo-  
re audias,*

*Verum priusquam galli cantent , quae me somno su-  
scitet,*

*Dicat : da mihi , vir , calendis meam quod matrem  
iuverit:*

*Da , qui farciat , da qui condiat , da quod dem  
quinquatribus,*

*Praecantatrici , coniectrici , hariolae atque haruspici-  
cae:*

*Flagitium est , si nihil mittetur , quo superciliospi-  
cit!*

*Tum piatricem clementer , non potest , quin mune-  
rem,*

*Iampridem , quia nihil abstulerit , succenset ceraria.*

*Tum obstetrix expostulavit tecum , parum missum  
sibi.*

*Quid? nutrici non missurus quidquam , quae vernas  
alit?*

*Haec atque huius similia alia damna multa mulie-  
rum,*

fuisse a Marco Antonino , Imperatore , ut professio liberorum  
intradiem tricesimum fieret apud praefectum aerarii , alte-  
rumque exemplum tabularum domi , alterum apud aerarium  
adservaretur : id quod idem Imperator etiam in provinciis fie-  
ri iussit . Ita rem refert Iul. Capitolinus *vita Marc. Anton. cap.*  
*9.* Sed tamen iam ante ea tempora clarorum virorum ortus in  
acta publica referebantur , ut ex Sueton. *Tiber. cap. 5. et Ca-*  
*lig. cap. 8.* patet . Juvenal. *Sat. 9. vers. 82. seq.* Fortassis ab  
omnibus et ob liberales causas id fieri iussit Antopinus , quod  
antea illustriores tantum familiae facere consueverant.

*Me uxore prohibent, mihi quae huius similes sermones seruat.*

Habes insignem luxum, quo se deterreri dicit Periplectomenes a ducenda uxore, ne reginam huiusmodi domi alere cogatur. Sed paulo post vers. 110. et aliam causam addit:

*Quando habeo multos cognatos, quid opus sit mihi liberis?*

*Nunc bene vivo et fortunate, atque ut volo, atque animo ut lubet.*

*Mea bona mea morte cognatis dicam, inter eos partiam.*

*Illi apud me edunt, me curant; visunt, quid agam, ecquid velim.*

*Priusquam lucet, adsunt: rogitant, noctu ut somnum ceperim.*

*Eos pro liberis habeo: quin mihi mittunt munera.*

*Sacrificant? dant inde partem mihi maiorem quam sibi:*

*Abducunt ad exta: me ad se, ad prandium, ad coenam vocant.*

*Ille miserrimum seetur, minimum qui misit mihi.*

*Illi inter se certant donis: ego haec tecum mussito:*

*Bona mea inhiant, certatim dona mittunt et munera.*

En, quam coluerint heredipetae caelibes et orbos: et id plures deterrebat a nuptiis. Quum autem animadverteret Augustus, numerum civium ob istud caelibatus studium quotidie decrescere, legem illam tulit, qua caelibatum et orbitatem variis poenis coercuit, e. g. ut caelibes nihil ex testamento capere possent, orbi tantum dimidium: coniuges autem et parentes variis privilegiis ornavit, inter quae et hoc fuit, ut, qui tres haberent liberos Romae, quatuor in Italia, quinque in provinciis, ab omnibus muneribus publicis adeoque a tutela quoque immunes essent. Prolixe historiam et singula ca-

pi-

pita huius legis celeberrimae restitui atque exposui *in Comment. ad legem Iuliam et Pap. Popp.* ubi et de hoc privilegio egi *lib. 2. cap. 8.*

### §. CCLXXVI.

*Ob privilegium excusantur*, 2) qui rem fiscalem administrant, vel rem dominicam vel patrimonium Principis, item tributa et vestigalia, cet. Haec ut intelligamus, observandum, trium olim fuisse generum bona publica, ut etiamnum sunt in rebus publicis monarchicis: (1) *aerarium*, ad quod pertinebant omnia, quae in dominio erant reipublicae, quaeque ad conservandam rem publicam colligebantur, e. g. tributa, vestigalia, cet. (2) *Fiscum*, qui erat Principis tamquam Principis, ei- que a repub. assignatus, ut aulam suam sustineret, et eo pertinebant bona caduca, eruptitia, confiscata. (3) *Pa- trimonium Principis*, quod Princeps possidebat tamquam privatus, e. g. eius bona hereditaria, vel quae sibi sua pecunia emit. \*\* Quicumque itaque ex his tribus, id est,

\*\* Libera republica, redditus omnes publici influebant in aerarium At sub Imperatoribus separatae erant rationes fisci, atque aerarii. Hoc ad populum, ille ad Principem pertinebat. Hinc differentiam primus Augustus, vel certe Tiberius, reperit Sine sub Tiberio diversum a fisco fuisse aerarium patet ex Tacit. *Annal. 6. cap. 2.* A fisco iterum distincta erat *ratio Caesaris*, id est, privatum Principis patrimonium, de quo L. 6. § ult ff. *de iure fisci*. Vnde toties memorantur procuratores *benevolentum privati patrimonii*, et similes, apud Fabrett. *Inscr. cap. 3.* et Phil. a Turre in *Mon' in vet. Antiq. cap. 6.* Ast se- nescente iam sub Principibus imperio, nullum erat amplius inter fiscum et aerarium discrimen, nisi quod publica pecunia *sacrarum largitionum*, privatum Principis patrimonium *privata- rum rerum nomine* veniret. Vnde tituli *C. de Comit. sacr. larg.* et *de Com. rer. priv.*

AErario initio praegerant Quaestores, quos Tacitus *Annal. 11. cap. 22.* et Vlpianus *L. un. pr. ff de offic. quaest.* Grac- chani Iunii auctoritate, paene tam antiquos faciunt, quam

vel aerarium , vel fiscum , vel patrimonium Principis administrant , ii gaudent hoc privilegio , ut excusentur a tutela. Sed quaerere hic solent , sitne haec excusatio voluntaria , an necessaria ? Sunt , qui eam putant necessa-

ipsam urbem. Sed eosdem a Valerio Poplicola demum creatos , scribit Plutarchus *vit. Valer. Popl.* pag. 103. Imo Pomponius eos ipsis Tribunis plebis , AEdilibusque recentiores facit. *L.* 2. §. 22. *de orig. iur.* Sed quemadmodum de Pomponio hic non multum laboramus : ita Vlpiano facile conciliabis Plutarchum , si Quaestores iam sub regibus fuisse ; Valerium vero illum magistratum a Tarquinio Superbo abrogatum , restituisse reipublicae dixeris. Horum numerus varie postea auctus , ut vide-re est in Martini *Hist. iur.* cap. 4. §. 10. Ast A. V. C. 709. aerarii administratio , iubente Caesare , a Quaestoribus ad AE-diles translata. Dio Cass. 43. cap. 48. Augustus , ubi aerarium militare instituerat , eius curam demandabat viris praetoriis , quos primum a Senatu lectos , deinde sorte ductos , ac demum ab ipso Imperatore nominatos , constat. Suet. Aug. 36. Quaestoribus porro curam aerarii Saturni reddidit Clau-diuss. Suet. Claud. 24. Denique administratio aerarii iussu Ne-ronis fuit penes Praefectos aerario , qui tamen etiam de causis fiscalibus iudicabant. Gell. 13. cap. 24. Tacit. 13. cap. 28. Iac. Guther. *de offic. Dom.* Aug. 3. cap. 32. Quum vero ab Augusti temporibus duplex esset aerarium , *Saturni alterum* , ita dictum a templo Opis et Saturni , in quo custodiebatur , alterum *militare* : duo quoque erant Praefecti aerario , vel di-versa saltim officia , uni aliquando personae demandata. Exem-plum suppeditat marmor apud Gruter. pag. 1028. n. 5.

Fisco praeceperant Procuratores , Advocati , Patroni fisci , quo-rum passim in iure nostro mentio fit. Sunt etiam Praefetti fisci *Germ. Caes. Imp.* apud Grut. *Inscript.* pag. 498. n. 10. a com-men-tariis fisci Asiatici , apud Reines. *Inscr. 9. cap. 33.* procuratores fisci Asiatici apud eundem *Class. 9. cap. 60.* Imo creare Nerva coepit Praetorem fiscalem , qui de rebus fiscalibus ius diceret. *L.* 2. §. 32. *ff. de orig. iur.* Patrimonia Principum Procuratores Caesarum administrabant. Denique postremis temporibus fiscum Comes sacrarum largitionum ; patrimonium Principis Comes rerum privatarum administrabat , de quibus videndi Gutherius *de offic. Dom.* Aug. 3. cap. 16. 25. 32. et qui egregia multa hanc in rem collegit Gundlingius *Diss. de Principe herede cap. 4.*

riam

riam ideo, quod bona huiusmodi administratorum oppi-  
gnorata sint reipublicae vel fisco vel Principi, adeoque  
pupillis in illis competere non posset tacita hypotheca.  
Ergo dicunt, si vel voluerint tutelam suscipere, tamen  
ne potuisse quidem eos admitti. Sed haec ratio nihil  
quidem valet, olim autem apud Romanos istud fuit me-  
rum privilegium, mera excusatio voluntaria. Nam (1) in  
§. 1. Inst. hoc tit. dicitur, *eos posse excusari*, id est,  
si velint. (2) Apud Romanos non opus erat tacita illa  
hypotheca, quia tutor satis dare tenebatur, eaque satis-  
factione satis securus praestabatur pupillus.

## §. CCLXXVII.

Privilegium simile datum 3) *absentibus reipub. cau-  
sa*; quales sunt legati populi Romani, magistratus pro-  
vinciales et milites. Sed hic distinguendum inter tute-  
lam iam susceptam et suscipiendam. A suscepta o-  
mnino excusantur, non modo dum absunt, sed et in-  
tra annum, ex quo reversi sunt: qui annus in iure  
nostro dicitur *annus vacationis*. A suscepta autem ea-  
tenus excusantur, quatenus absunt, et interea eorum  
loco datur curator: sed reversi eam tutelam recipiunt,  
nisi trans mare absint reipub. causa, siquidem tunc et  
susceptam tutelam deponunt. Ita haec doctrina propo-  
nitur in §. 2. Inst. hoc tit. L. 10. pr. et §. 2. L. 12.  
§. 1. ff. eod. L. 11. §. 2. ff. de minor. Sed cessat hoc  
privilegium, (1) si finito officio diutius absint, quam par-  
est, e. g. si voluptatis et animi causa per varias terras  
oberrent: (2) si quidem obtentui sumant reipublicae emol-  
lumentum, sed revera sui commodi causa absint. Sole-  
bant enim veteres in repub. Romana, si in provincia ali-  
qua sibi negotium esset, *liberam legationem* impetrare,  
et tunc proficiscebantur sub schemate legatorum, sed  
revera sui commodi causa. Nam istam legatorum per-

so-

sonam tantum ideo adsciscebant , ut tanto reverentius ubique reciperentur , tamquam popul. Roman. legati. Exemplum habes apud Cicer. *Epist. ad famil. lib. 11. epist. 1. lib. 12. epist. 21. et ad Attic. lib. 2. epist. 4.* Tales autem non gaudere hoc privilegio , palam est *ex L. 1. §. 1. L. 4. L. 5. ff. ex quibus causis mai. 25. annis in integr. rest. L. 36. seq. ff. eod.*

### §. CCLXXVIII.

**Excusantur** porro ob privilegium simile *4) magistratus* , sed non omnes , verum , *qui cum potestate sunt* ; \*\* quod ita interpretatur Gellius *Noct. Attic. lib. 13. cap. 13.* qui habent ius prehendendi , quales erant consules , praetores , censores , dictatores , praefecti urbi et praetorio , non autem aediles , *L. 17. §. 4. ff. hoc tit.* multoque minus quaestores , et reliqui his minores , qui recensentur *in L. 2. §. 29. seq. ff. de O. I.* Sed postea id privilegium minoribus quoque magi-

\*\* Potestas vero diversimode accipitur ab antiquis. Nonnumquam magistratibus urbanis opponuntur potestates in provinciis , apud Suet. *Claud. 23. Iurisdictionem de fideicommissis quotannis* , et tantum in urbe delegari magistratibus solitam , in perpetuum , atque etiam per provincias potestatibus demandarunt. Nonnumquam etiam in ipsa urbe a magistratibus seiungebantur potestates. In urbe enim erant , qui ius dicerent , quamvis non essent magistratus ordinarii , veluti *Praefectus annonae, Praefectus vigilum* , quos magistratus ideo esse negat Pomponius, *L. 2. §. 33. ff. de orig. iur.* etiam hi dicebantur habere potestatem. Porro potestas distinguitur aliquando ab imperio , ad-eoque tribuitur iis magistratibus , qui neque vocationem , neque prehensionem habebant , veluti Quaestoribus. Nulla harum significationum hic invenit locum. Cum potestate enim hic esse dicuntur , quicumque sunt cum imperio , id est , maiores , vel maioribus auspiciis , et lege curiata creati. Gell. *N. A. Attic. 13. cap. 13. L. 1. pr. ff. si quis ius dicenti non obtemp.*

stratis videtur concessum , quia et duumviratus in municipiis excusavit temporibus Modestini , qui sub Alexandro Severo vixit . L. 15. §. 3. ff. hoc tit. L. 6. §. 16. ff. eod. Excusantur 5) literatores , \*\* Rhetores , Sophistae , Medici , Icti , sed non omnes et sem-

\*\* Grammatici , quos initio literatos , vel literatores appella-  
bant , serius Romae docuerunt . Ludimagistris , qui primis literarum elementis imbuebant pueros , semper quidem procul dubio usi fuerant Romani : sed ab his diversi grammatici erant , id est , poëtarum interpretes . Suet. de Illust. Gram. cap. 4. Vnde et in iure nostro a ludi literarii magistris discernuntur . L. 1. pr. et  
§. 6. ff. de extraord. cognit. Grammaticam olim Romae ne in usu quidem , nendum in honore fuisse , rudi scilicet ac bellicosa cum civitate , docet Sueton. de Illustr. Gramm. 1. ex quo etiam discimus , mediocre eius extitisse initium , profentibus eam artem non nisi semigraecis , imo et libertinae conditionis hominibus . Sane L. Titinius L. Amazon Grammaticus memoratur apud Reines . Inscr. Class. 1. cap. 228. M. Pompilius M. L. Fortunatus Gramm. apud Gruter. Inscr. pag. 1035. n. 6. ut alia iam exempla praetermittam , quae et ipse Suetonius suggerit . Primus hoc studium in urbem intulerat Crates Malleotes , qui missus ad Senatum ab Attalo Rege , inter secundum et tertium bellum Paricum , quum fracto crure decumberet , assidue disserendo , Romana ingenia excitavit . Sequuti eum sunt alii , praecipue post Q. Metelli tempora , post quae adeo sensim crevit grammatices honor , ut ne clarissimi quidem viri ab ea se abstinerent , et aliquando super viginti celebres scholae in urbe florarent . Sueton. de Illustr. Gramm. cap. 2. Sed plerique docebant privatim , aut certe magno virorum illustrium aere conducti . Primus centena in annum sestertia accepit Verrius Flaccus sub Augusto , et Tiberio . Suet. de Gramm. cap. 17. Postea sensim invaluit , ut et Grammatici publicis invitati stipendiis docerent ; AEt. Spartian. vit. Hadr. cap. 16. adeo ut stipendium eorum ordinarium temporibus Luciani essent  $\mu\pi\mu\alpha\mu\alpha\mu$  , id est , sestertia quadraginta , aurei quadrigeniti , vel mille coronati monetae Belgicae . Gronov. de Pecun. vet. 54. cap. 11. Imo et annona iis quotannis coepit distribui , quam aliquoties iis deminutram restitutamque esse , patet ex Symmachi 1. epist. 73. Cassiodor. Variar. 9. epist. 21. ut et L. 11. C. Theod. de Med. et professor.

per. Verum (1) si sint professores ; (2) si sint intra numerum , id est , ordinarii ; (3) si in patria doceant ; (4) si sint industrii. *L. 6. §. 6. seq. hoc tit. L. 6. C. de prof. et med.*

Sed de his quinque privilegiis omnibus notanda est

Serius multo , imo et difficilior Romae recepti sunt Rhetores , quippe quos A. V. C. 592. C. Fannio Strabone , et M. Valerio Messala Coss. SCto ; deinde A. V. C. 661. a C. Domitio Aenobarbo , et L. Licinio Crasso censorio edito , urbe expulsos esse constat. Sueton. *de clar. Rhet. cap. 1.* Postea et rhetoricam privatim docere coeperunt plures , quorum aliquot recenset Sueton. *de clar. Rhet. cap. 1. seq.* Primus , ut diserte notat Euseb. in *Chron. n. 2104* publice Romae docuit , salarymque e fisco accepit Quintilianus , idque sub Domitiano. At iam Vespasianum Latinis Graecisque rhetoribus annua centena , id est , aureos mille e fisco constituisse , tradit Sueton. *Vesp. cap. 18.* Posteriores Imperatores ea in re modo liberaliores , modo tenaciores fuerunt. Eadem paene Romae Philosophorum fata fuerunt. Ii quoque cum Rhetoribus pulsi A. V. C. 592. Idem saepius factum , cum antea , tempore Catonis , tum etiam sub Domitiano , Suet. *Domit. cap. 10.* sub quo Epictetus quoque Roma excedere iussus est. Interea tamen semper privatim floruit philosophiae studium. Primus philosophis stipendia et honores concessit Antoninus Pius; Iul. *Capitol. vit. Anton. cap. 11.* ut et post eum D. Marcus , qui , uti ipse serio philosophabatur , ita omnis generis doctribus annuam mercedem constituebat. Xiphilin. *cap. 71.* Hoc quoque salarym annum ordinarie 600. aureorum fuisse , ex Tatiano colligimus cum Casaub. *Not. ad Sueton. Vesp. cap. 18.* At nonnullis tamen minus datum est. Luciani enim tempore , ut alia exempla praetermittam , singula philosophorum genera acceperunt decem millia drachmarum , id est , 400. aureos , Lucian. *Eunuch. §. 3.*

Medicina Romae sero coli , et in aliquo pretio haberi coepit. Servos ac libertos artem hanc fecisse , negat quidem Carolus Sponius dans les recherches d' antiquité *Dissert. cap. 27.* sed eum artis suae amore falli , satis patet ex Sueton. *Calig. cap. 8.* Quintil. *Inst. 7. cap. 2.* Senec. *de Benef. 3. cap. 24.* Ipsi lapides nobis plura exempla servant , quae Gruterianus Index in titulo : *officia domus augustae et privatae* , facile unicuique sug-  
ge-

regula generalis , quod *privilegiatus contra aequae privilegium non utatur privilegio*. Itaque excusatur quidem miles , professor , administrator rei fiscalis : sed si pupillus sit militis filius , non excusabitur miles ; si professoris filius , non excusabitur professor : si administratoris filius , non excusabitur administrator. Vid. L. 17.  
§. 7. ff. hoc tit.

## §. CCLXXIX.

}

Vidimus , qui ob privilegium excusentur.

II. *Ob impotentiam* excusantur , quicumque videntur gerendae tutelae minus idonei , modo alioquin sint

geret. Imo et servas et libertas fecisse medicinam , patet ex marmoribus apud Gruter. Inscr. pag. 636. ubi occurrit *Iulia Q. L. Sabina medica* ; *Minucia* , *C. L. Aste* , *medica* ; *Sentia Elis* , *medica*. Tales etiam erant obstetrics , quae medicamenta dare solebant , L. 9. pr. ff. ad L. Aquill. veluti *suavitas* , *L. Agrepinae* , *obstetrix* , apud Grut. Inscr. pag. 636. n. 4. Ceterum primus medicos civitate donavit Iulius Caesar. Suet. *Iul. cap. 42*. Augustus vero Antonii Musae , liberti , opera e gravi ac periculoso morbo restitutus , Musae ius aureorum anulorum , universo medicorum ordini immunitatem dedit. Dio Cass. 53. cap. 30. Hinc multis Vespasiani , Hadriani , aliorumque rescriptis firmatum est illud privilegium L. ult. §. 30. ff. de mun. et bon. Postea quum nimis multi medicinam professi immunitate fruerentur , certum definiri numerum placuit. L. 6. §. 2. ff. de excus. Alexander porro medicis annonam addidit. Lamprid. *Alex. cap. 42*. Posteriores vero Imperatores eorum immunitatem auxerunt plurimis constitutionibus , quae exstant in C. Theod. tit. de Medicis et profess. Brisson. Ant. Sel. 2. cap. 3. qui etiam sequente capitite ostendit *χειροπηδίς* simul fuisse plerosque medicos. Celebres etiam fuere *iatraliptae* , seu medici unguentarii , de quibus Plin. Hist. Nat. 29. cap. 1. Add. AEgid. Menag. Amoenit. iur. civ. cap. 35. et V. C. Lampii Dissert. de privil. Medicorum cap. 1. De Iurisprudentiae studio , eiusque fatis in Romano Imperio nihil est , cur tyrones moremur ; abunde enim ex historia iuris unicuique innotescet.

Tom. I.

Ccc

vi-

viri boni et honesti ; siquidem alias excusatio foret necessaria et ne volentes quidem admitterentur. Tales causae sunt : (1) *tria onera tutelae*. Sed hic observandum, (a) computari tutelas omnes in una domo , adeo ut si e. g. pater unam , et singuli eius filiifamilias singulas tutelas gerant , id excuset. (b) Tutelas non tam numerandas , quam ponderandas esse. Hinc si una sit admodum diffusa , et una excusat. Si tres sint admodum faciles , ne hae quidem sufficient. (c) Tutelas non numerari secundum numerum pupillorum , sed secundum numerum rationum reddendarum. Hinc si quis e. g. quatuor fratrum tutelam gerit , non nisi unam gerere censetur. §. 5. *Inst. L. 31. §. 4. ff. hoc tit.* (d) Excusationi huic locum non esse , si pupilli sint proximi pubertati , ita ut tantum tempus semestre reliquum sit , intra quod tutela continuanda. *L. 17. pr. hoc tit.* (e) Non excusare tutelas honorarias , id est , cum nullo onere administrationis coniunctas. *L. 15. §. 9. ff. hoc tit.* Unde facile patet , hic quoque permulta relicta esse magistratum arbitrio. Excusat porro (2) *paupertas* , et quidem talis , ut si tutelam suspicere cogeretur , ei non tantum supererisset temporis , quo victum et amictum sibi possit quaerere. §. 6. *Inst. hoc tit.* Et olim quidem haec quoque excusandi causa erat voluntaria : at hodie procul dubio necessaria est. Quia enim non temere credi solet , nisi ei , qui bona immobilia possidet , facile est ad intelligendum , pauperes hodie non admissum iri , etiam si parati essent ad tutelam suscipiendam. Excusat ob eamdem impotentiam (3) *morbus* , non qualiscumque , e. g. febricula , cephalalgia , sed chronicus et ita lector affigens hominem , ut ne suis quidem rebus , nedum alienis superesse possit. §. 7. *Inst. hoc tit.* Obiter observandum , veteres huiusmodi morbum vocasse *sonticum*. Gell. lib. 16. cap. 4. lib. 20. cap. 1. L. 2. §. 3. ff. si quis caut. in iud. Excusantur (4) ob impotentiam illiterati , per quos hic non intelliguntur indocti , sed

ἀιαλφάβητοι, id est, legendi scribendique imperiti. Hi enim rationes conficere non possunt. Admittuntur tamen hi, (a) si tutela non admodum diffusa, et ipsi prudentes sunt. *L. 6. §. ult. ff. hoc tit.* (b) Si rationes reddi possint bacillis fissilibus; de quibus elegans exstat Sam. Stryckii *diss. de bacillis fissilibus.* Excusantur ob impotentiam (5) *septuagenarii*, quia ista aetas vacationem tribuebat ab aliis quoque muneribus publicis. Sed tamen stricte requiruntur anni 70. ut si vel dies desit huic aetati, locus non sit excusationi. *L. 2. pr. hoc tit.*

### §. CCLXXX.

Denique et ob *inimicitiam* cum patre pupilli excusantur a tutela, qui istam allegant. *§. 9. et 11. Inst. hoc tit.* Et id quidem videri posset christiana pietati adversari: siccine enim leges indulgent iis, quos ne mors quidem inimici placeat? Sed recte ad hunc *§. 11. notat* Vinnius, non eam esse iuris sententiam, sed ideo hoc privilegium his indulgeri, ut pudori eorum parceretur. Nam si tutelam subire cogarentur, facile adversus eos suspicio orietur, ac si parum candide versaturi essent in tutela. Ut ergo hanc sinistram opinionem evitare et existimationem suam tueri possint, lex eos excusat, si ve- lint.

### §. CCLXXXI.

Vidimus causas excusandi voluntarias, quae liberant ab hoc onere, si allegentur: sequuntur *necessariae*, (*§. CCLXXIV.*) quae etiam non oppositae prohibent a tutela. Quidquid enim homines ineptos reddit ad aliorum negotia gerenda, ob id nec ad tutelam admittuntur. Tales ergo sunt 1) *furo*, *dementia*, *surdities*, *caecitas*. Quamvis enim hi omnes, si testamento dati sint, non removeantur a tutela, sed interea alius detur

tutor , donec impedimentum cessen ; idque etiam 2) in *minorenibus* testamento datis obtineat , ( §. CCV. ) non admittuntur tamen ad tutelae administrationem , quamdiu sunt furiosi , dementes , surdi , caeci , minorennes; quia non possunt esse tutores , qui ipsi aliorum directioni , nempe curatelae , subsunt. 3) Eiusdem generis excusationem tribuit *militia*. Milites enim , ne si velint quidem , tutores esse possunt , ne negotiis huiusmodi similibus a signis abstrahantur. L. 4. C. qui *dari tut.* Neque tamen excusantur milites a tutela liberorum commilitonum , quia alii non sunt in promtu , qui huiusmodi liberis tutores dari possent. Excusat 4) *lis cum pupillo* , §. 4. *Inst. hoc tit.* non modo praesens , sed et futura vel imminens , Nov. 72. cap. I. 2. 4. adeo , ut si tutor datus litem huiusmodi dissimulavit , et tutelam receperit , is postea tamquam suspectus removeri possit. Excusat 5) *sacerdotium et monachatus* , Nov. 123. cap. 5. ut ne volentes quidem admittantur ; praeterquam quod presbyteri et diaconi ( non item Episcopi ) ad tutelam legitimam admittuntur. Cuius rei ratio fuit , ne sacerdotes rerum huiusmodi cura a cultu divino et studiis sacris , monachi a precibus et recitatione breviarii et horarum abstraherentur. Sed hodie et sacerdotes admittuntur , si tutelam velint suscipere , apud Protestantes. Imo et tenentur tutores esse , si iis demandetur tutela liberorum collegae vel clerici , modo possideant immobilia vel satisdent. Excusatur 6) etiam *maritus a cura uxoris minorennis*. L. 2. C. qui *dari tut.* L. 4. C. de *cur. furios.* Periculum enim erat , ne maritus saepe auctor fieret in rem suam , et uxori blanditiis persuaderet multa , quae ipsi haud parum detrimenti inferre possent. Sed hodie res aliter se habet plerisque locis. Maritus enim illis in locis , ubi feminae perpetuae curatelae subsunt , fere est ordinarius uxoris suae curator.

## §. CCLXXXII.

Cause omnes , quas hactenus recensuimus , sunt tutelae et curatela communes : ab utraque enim excusari quis potest ob istas causas. Ad curatela autem in specie pertinet , si quis antea pupilli cuiusdam tutor fuit: tunc enim non tenetur et curator fieri usque ad annos maiores nati. Sufficit enim amico in paucis gratificari, nec quisquam duplice onere gravandus. *L. 20. C. hoc tit.* Attamen hic locus est exceptioni , nempe in liberto , qui tutor a patrono datus et curatela omnino suscipere tenetur. *L. 5. C. hoc tit.* Tantam enim a liberto veteres exigebant pietatem et reverentiam , ut nullum onus satis grave eum posse suscipere existimarent pro libertate , quam debebat patrono , quippe quae est res inaestimabilis.

## §. CCLXXXIII. CCLXXXIV.

Vidimus hactenus excusationis causas : superest ut et modum videamus , quo proponi solent ; ubi observandum : 1) antequam opponantur , tutores datos esse , ad coquere a die illo usque ad tempus sententiae , nisi absolvantur , omne periculum ad illos spectare. *L. 31. pr. ff. hoc tit. L. 1. C. si tut. vel cur. fals. all.* Quum enim praevideri non possit , excusationes , quas allegavit , idoneae futurae sint nec ne : interea merito protatore habetur , donec appareat , utrum eius cause per sententiam probentur , an reiiciantur. Si vero pro tuto re habetur , sane et omne periculum ad eum pertinet. Vnde dedi id consilium , ut tutor datus ipse statim administrationem suscipiat , ne alterius mala administratio ipsi fraudi et detimento sit , sed alleget tamen causas excusationis addatque protestationem , se administracionem non animo tutelam subeundi , sed salvis excusatio-

tionibus suis suscepturum. 2) Observamus , excusationes veluti per modum exceptionis opponi. Quemadmodum itaque pluribus quidem uti possum exceptionibus , sed ita tamen , ut simul omnes statim post litis contestationem opponam , *L. 5. L. 8. de except.* ita et omnes causae excusationis semel et simul allegandae. *L. 13. §. 8. hoc tit.* 3) Tutori extra Romam dato spatiū tantum concessum temporis , ut singulis diebus 20. lapides vel millaria absolvere possit , et iis praeterea adiici triginta dies , intra quos Romae eas causas opponat. *§. 16. Inst. hoc tit.* Id quod tamen hodie parum utilitatis habet , 1) quia magistratum nostrorum territoria non solent adeo ampla esse , ut tutores ex locis dissitis dentur. 2) Quia si dentur ex loco aliquo extero , ( id quod faciunt nonnumquam summa dicasteria et curiae provinciales ) tunc plerumque terminus ipsis præfigitur arbitrio iudicis , quo adesse , et vel confirmari vel causas idoneas excusandi allegare debeant. 3) Observamus , excusaturum se tutorem non debere appellare ad superiorem iudicem , sed statim causas suas coram eodem magistratu , a quo datus est , opponere , *§. 16. Inst. hoc tit.* *L. 1. §. 2. ff. quando appell.* id quod iustum rationem habet. Nam (1) non prius locus est appellationi , quam quis gravamen habeat. Non autem magistratus nos gravat , dum nobis tutelam defert , sed dum iustas causas excusationis reiicit. (2) Semper adhuc nobis salvum esse beneficium appellationis , si causas nostras iustas reiecerit per sententiam vel decretum. Ceterum id hic ideo monent leges nostræ , quia alias res securis se habet in aliis muneribus publicis , quibus praeter ius et fas oneratis statim in promtu est appellatio- nis beneficium. *L. 1. §. 2. ff. quando appell.*

## §. CCLXXXV.

Adiecumus quaedam sub finem de usu hodierno hu-  
ius

ius tituli , observavimusque , 1) causas necessarias ubique hodienum omnes receptas esse. Fluunt enim ex ipsa recta ratione. Quis enim quaeso iudex admitteret ad tutelam furiosos , dementes , minores , nisi ipse sit furiosus ? 2) Causas , quae privilegio nituntur , hodie non ubique obtainere. Privilegium enim an et quibus concedere velit summa in reipublica potestas , eius in arbitrio positum est. Hinc e. g. liberorum numerus alibi plane non excusat , alibi non idem numerus. Rationes enim supra explicatae , ob quas Romani parentibus tot privilegia concedebant , (§. CCLXXV. ) ad nos non pertinent , quum in regionibus nostris non adeo abhorreant ab uxoribus ducendis procreandisque liberis , sed sponte et ultiro huic operam dent. Vnde ad singulorum locorum statuta respiciendum est. 3) Maritum fere ubique esse uxoris suae curatorem , iam supra (§. CCLXXXI.) observavimus. Quibus iungenda V. C. Everardi Ottonis diss. de tutela perpetua feminarum , quae inter eius Dissertt. selectas habetur. 4) Modum quoque procedendi hodie esse alium , iam ostendimus ad §. CCLXXXIV. ut adeo nihil hic addendum videatur.

## TITVLVS XXVI.

## DE SVSPECTIS TVTORIBVS

VEL CVRATORIBVS.

DIG. LIB. XXVI. TIT. X. COD. LIB. V. TIT. XLIII.

*Vnde suspecti crimen descendat.*

**S**Ciendum est , 1 suspecti crimen ex lege duodecim Tabularum descendere.

1 *Suspecti crimen* ) Ex Vlpiano L. I. §. 2. hoc tit.  
Cri-



*Crimen*, id est, criminationem, accusationem, ut in L. 7. ff. de accus. L. 5. ff. de calumn. L. 21. de SC. Sil. Theophil. *κατηγορίαν*.

*Qui de hoc crimine cognoscunt.*

### §. I.

Datum est autem ius removendi tutores suspectos, Romae Praetori, et in provinciis Praesidibus earum, et <sup>1</sup> Legato Proconsulis.

<sup>1</sup> *Legato Proconsulis*) Ius removendi suspectos tutores magistratibus competit vi suae iurisdictionis, et ideo ea mandata sive in specie sive in genere, transit in eum, cui mandata est. L. I. §. 3. et 4. *hoc tit.* Ergo et si praeses mandaverit; quod male negat Cuiac. per L. I. §. 11. ff. ad SC. Turp. nam ibi non excluditur, qui mandatam iurisdictionem habet, sed magistratus municipiorum.

*Qui suspecti fieri possunt.*

### §. II.

Ostendimus, qui possint de suspecto cognoscere: nunc videamus, qui suspecti fieri possint. <sup>1</sup> Et possunt quidem omnes tutores fieri suspecti, sive sint testamentarii, sive non sint, sed alterius generis tutores. Quare <sup>2</sup> et si legitimus fuerit tutor, accusari poterit. Quid si patronus? Adhuc idem erit dicendum: dummodo meminerimus, <sup>3</sup> famae patroni parcendum esse, licet ut suspectus remotus fuerit.

1 *Et possunt quidem omnes*) *Ex dict. L. 1. §. 5.*  
*hoc tit. add. L. 3. §. 2. et 3. eod.*

2 *Et si legitimus*) *Cui tamen potius curator ad-*  
*iungitur, quam ut notata fide removeatur. L. 9. ff.*  
*ead.*

3 *Famae patroni parcendum*) *Hoc idem vel ma-*  
*gis ad parentem pertinet. L. 2. L. 5. §. 1. L. 9. ff.*  
*de obs. par. et patron. praest. iunct. L. 9. hoc tit.*

*Qui possunt suspectos postulare.*

### §. III.

Consequens est, ut videamus, qui possint su-  
 spectos postulare. Et sciendum est, <sup>1</sup> quasi pu-  
 blicam esse hanc accusationem, hoc est, omni-  
 bus patere. <sup>2</sup> Quinimo et mulieres admittuntur ex  
 Rescripto Divorum Severi et Antonini: sed hae  
 solae, quae <sup>3</sup> pietatis necessitudine ductae ad hoc  
 procedunt: ut puta mater, nutrix quoque et avia:  
 potest et soror. Sed et si qua alia mulier fuerit,  
 quam Praetor propensa pietate intellexerit, sexus  
 verecundiam non egredientem, sed pietate pro-  
 ductam, non sustinere iniuriam pupillorum, ad-  
 mittet eam ad accusationem.

1 *Quasi publicam*) *Quia omnibus patet, quod pu-*  
*blicarum proprium. §. 1. infr. de publ. iud. Revera au-*  
*tem publica non est, sive finem sive formam et exer-*  
*citionem species.*

2 *Quinimo mulieres*) *In tantum pupillorum gratia*  
<sup>a</sup> *consuetudine iudiciorum recessum est.*

3 *Pietatis necessitudine*) *Apud Vlpian. L. 1. §.*  
<sup>7.</sup> *unde haec sumta, legitur, pietate necessitudinis.*



*An impubes vel pubes.*

§. IV.

<sup>1</sup> Impuberis non possunt tutores suos suspectos postulare : puberes autem curatores suos ex consilio necessariorum suspectos possunt arguere, et ita Divi Severus et Antoninus rescripserunt.

<sup>1</sup> *Impuberis non possunt* ) Ex Vlpiano L. 7. pr. ff. *hoc tit.* Idem traditur in L. 6. C. eod.

*Quis dicatur suspectus.*

§. V.

Suspectus autem est , <sup>1</sup> qui non ex fide tutelam gerit , licet solvendo sit , ut Julianus quoque scripsit. Sed et <sup>2</sup> ante quam incipiat tutelam gerere tutor , posse eum quasi suspectum removeri , idem Julianus scripsit , et secundum eum constitutum est.

<sup>1</sup> *Qui non ex fide* ) Non tantum , qui fraudulenter , sed etiam , qui negligenter , neque ea sollicitudine , qua oportet. L. 3. §. 5. iunct. §. ult. ff. eod. L. 5. C. eod.

<sup>2</sup> *Ante quam incipiat gerere* ) Puta si satisdare nolit , L. 1. L. 2. C. de tut. qui sat. non ded. aut contumax sit , L. 3. C. hoc tit. vel si ob ignaviam aut dolum non gesserit. L. 4. §. ult. ff. eod.

De

*De effectu remotionis.*

## §. VI.

Suspectus autem remotus , siquidem <sup>1</sup> ob dolum , famosus est : si <sup>2</sup> ob culpam , non aequa.

<sup>1</sup> *Ob dolum famosus* ) *L. 1. ff. de his qui not. infam.* Debet autem decreto causa significari ; alias integra existimatione tutela abibit. *L. 4. §. 1. et 2. ff. hoc tit.*

<sup>2</sup> *Ob culpam non aequa* ) Hoc est , segnitiem , inertiam , negligentiam , ineptiam , rusticitatem. *L. 3. §. ult. eod. Theoph. διὰ παθουματος.* Quid si tutoris lata negligentia arguatur ? non videtur salva existimatione abire , quia ista prope fraudem accedit : *L. 7. §. 1. eod.* in doli crimen cadit. *L. 1. §. 5. ff. de obl. et act. L. 32. ff. depos.*

*De effectu accusationis.*

## §. VII.

Si quis autem suspectus postulatur , quoad cognitio finiatur , interdicitur ei administratio , ut Papiniano visum est.

<sup>1</sup> *Interdicitur administratio* ) *L. eum quem 7. C. hoc tit.* Non expedit eum , qui in suspicionem vocatus , in administratione perseverare .

*Quibus modis cognitio finitur.*

§. VIII.

Sed si suspecti cognitio suscepta fuerit , posteaque tutor vel curator decesserit , extinguitur suspecti cognitio.

1 *Extinguitur suspecti cognitio*) Sed et si alio modo tutela finita sit , cognitio suspecti solvitur : *L. pen. ff. eod. L. 1. C. eod.* et si quid damni pupillus senserit , id sarciri potest actione tutelae. *Diit. L. 1. C. hoc tit.*

*Si tutor copiam sui non faciat.*

§. IX.

Si quis tutor copiam sui non faciat , ut alimenta pupillo decernantur ; cavetur epistola Divorum Severi et Antonini , ut in possessionem bonorum eius pupillus mittatur : et 2 quae mora deteriora futura sunt , dato curatore distrahi iubentur. 3 Ergo ut suspectus removeri poterit , qui non praestat alimenta.

1 *Copiam sui non faciat*) Latitans , dolo absens , non iusta de causa. *Ex L. 3. §. 14. L. 7. §. 2. ff. hoc tit.*

2 *Quae mora deteriora*) Aliis creditoribus in possessionem missis nuda tantum rerum debitoris custodia conceditur. *L. 12. ff. quib. ex caus. in poss.*

3 *Ergo ut suspectus*) Bene ergo. Nam si non potest

DE SUSPECT. TUTOR. VEL CURATOR. 397  
est removeri, non est cur pupillus mittatur in possessionem, aut bonis tutoris curator detur. Cuiac.

*Si neget alimenta decerni posse, vel tutelam redemerit.*

#### §. X.

Sed si quis praesens negat propter inopiam alimenta posse decerni, si hoc per mendacium dicat, remittendum eum esse ad Praefectum urbi puniendum, placuit: sicut ille remittitur, qui data pecunia ministerium tutelae adquisierit, vel redemerit.

1 *Alimenta posse decerni*) A Praetore scilicet cui ius alimentorum decernendorum pro modo facultatum pupilli competit. L. 3. ff. ubi pup. educ.

2 *Ad Praefectum urbi*) L. 3. §. 15. ff. hoc tit. Puniendum scilicet extra ordinem et poena corporali, ~~sis rō cōma~~; quod est meri imperii, qualem potestatem Praetor non habet, sed Praefectus urbi: unde et ad hunc remissio fit, ut et alias. L. 1. §. 7. ff. de offic. Praef. urb. L. 9. ff. de tutel.

3 *Data pecunia ministerium tutelae*) Cuiac. restituit: *data pecunia ministeriis, tutelam redemerit: ex dict. L. 3. §. 15. Ministeriis, id est, officialibus et ministris Praetoris.*

*De liberto fraudulenter administrante.*

#### §. XI.

1 *Libertus quoque, si fraudulenter tutelam filio-*

liorum vel nepotum patroni gessisse probetur,  
ad Praefectum urbi remittitur puniendus.

1 *Libertus quoque*) Ex Vlpiano L. 2. ff. hoc tit.  
L. 10. C. de adm. tut.

*Si suspectus satis offerat: et quis dicatur suspectus.*

### §. XII.

Novissime autem sciendum est, eos, qui fraudulenter tutelam administrant, 1 etiam si satis offerant, removendos esse a tutela: quia satisfactio tutoris propositum malevolum non mutat, sed 2 diutius grassandi in re familiari facultatem praestat. Suspectum 3 etiam eum putamus, qui moribus talis est, ut suspectus sit. Enimvero tutor vel curator, 4 quamvis pauper est, fidelis tamen et diligens, removendus non est quasi suspectus.

1 *Etiam si satis offerant*) Expedit enim pupillo rem suam salvam tenere, quam habere cautionem. L. 5. ff. hoc tit. Fac. L. ult. C. in quib. caus. in int. rest.

2 *Diutius grassandi*) Ex Callistrato L. 6. ff. hoc tit.

3 *Etiam eum*) L. 8. ff. eod. Vet. suspectum enim eum. Theoph. γάρ. Suspectum mores faciunt, non tenues facultates.

4 *Quamvis pauper*) Numquam paupertatis occasione suspectus postulari, aut ut suspectus removeri debet vir alioqui fidelis et diligens. L. 5. C. eod. Sed potest curator ei adiungi, si substantia pupilli periclitetur; L. 6. C. eod. aut removeri ex eo capite, quod non satisfat. L. 2. C. de tut. qui sat. non ded.

TI-

## TITVLVS XXVI.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS  
VEL CVRATORIBVS.

## §. CCLXXXVI.

**V**ltimus hic titulus superiori ideo iungitur, quia et *remotio suspecti tutoris* est modus finiendi tutelam aequae ac excusatio. (§. CCLI.) Est autem eo nomine prodata actio singularis, quae vocatur *actio suspecti tutoris*, item *crimen suspecti tutoris*, de quo hoc titulus disputatur. Quomodo haec actio ab aliis, quae ex tutela nascuntur, differat, satis accurate explicavimus ad §. CCLII. Nimirum *actio suspecti tutoris* omni tempore institui potest, tum ante tutelam, tum ea iam suscepta: *actio tutelae* non nisi finita tutela et rationibus nondum redditis: *actio de distrahendis rationibus*, iam redditis sed male compositis et redditis. Iam de prima actione, nempe suspecti tutoris. Vbi (1) videbimus, quid sit tutor suspectus et crimen suspecti? §. 287. 288. (2) qui actionem hanc instituant? §. 289. 290. (3) contra quos illa institui possit? §. 291. (4) ad quid agatur? §. 292. 293. (5) quomodo haec actio cesseret? §. 294. et (6) ecquis eius sit usus? §. 295.

## §. CCLXXXVII. CCLXXXVIII.

1. Quaeritur, quinam tutores dicantur suspecti? et quid sit crimen suspecti? *Suspecti* vocantur omnes tutores, qui *non ex fide* gerunt, sive dolo malo id faciant, sive culpa, sive solvendo sint, sive non. §. 5. *Inst. hoc tit.* Quemadmodum enim sola paupertas neminem facit suspectum, si alias sit vir bonus et diligens; ita et divitiae non tollunt suspicionem. Posset quidem aliquis ex-

sti-

stimare , tutorem locupletem ideo non suspectum esse, quia , si vel maxime negligenter tutelam administret et damnum inferat pupillo , tamen illud facile possit resarcire. Sed ICti aliter ratiocinantur , nempe , *satius esse ab initio intacta iura servare , quam vulnerata causa remedium quaerere ;* quae verba sunt elegantissima *L. ult. C. in quibus caus. rest. in inter. non est nec.* Ex eo iam facile patet , quodnam sit *crimen suspecti:* nempe accusatio quasi publica tutoris vel curatoris non *ex fide gerentis , ad remotionem poenamque aliquando extraordinariam infligendam , si scilicet tam insignis pel- luceat tutoris malitia , ut ea poena corporis afflictiva vel supplicio capitali videatur coercenda , v. g. si insidias struxerit vitae pupilli ;* cuius rei insigne exemplum apud Sueton. *Galb. cap. 9.* Descendit haec accusatio tutorum suspectorum ex LL. XII. Tabb. *L. I. §. 2. ff. hoc tit. Iustinian. pr. Inst. hoc tit. Vid. Iac. Gofthfred. Tab. VII.* qui ita conceptam fuisse putat legem decemviralem : *Si tutor dolo malo gerat , vituperato; quandoque finita tutela escit , furtum duplione luito;* ex quorum prima parte crimen suspecti , ex posteriore actionem de distrahendis rationibus descendere docet.

### §. CCLXXXIX. CCXC.

2. Iam ergo et alteram quaestionem facile expendemus , quis possit tutorem suspectum accusare ? Quia enim haec accusatio est quasi publica , ut in definitione vidimus , omnino cuivis licere debebit hanc accusationem instituere. Non enim dicitur quasi publica in *L. I. §. 6. ff. hoc tit.* quia hic de animadversione et disciplina publica agitur ; ( tutoris enim malitia non tam securitatem reipublicae , quam rem familiarem pupilli turbat, adeoque potius ad causas privatas pertinet ) neque etiam ideo hoc nomen habet , quod ob crimen suspecti iudicium publicum et criminale instituatur ; ( nam potius

co-

coram praetore agitur, qui non gaudebat mero imperio, sed tantum iurisdictione civili) verum ideo hoc nomen habet, quia unusquisque ex populo, etiamsi eius non videatur interesse, hanc accusationem recte instituere poterat. §. 3. *Inst. hoc tit.* Hinc etiam non dicitur vere publica accusatio, sed *quasi publica*, uti in iure nostro dantur *quasi contractus*, *quasi delicta*, *quasi possessiones*, *quasi traditiones*, quas loquutiones omnes a stoicis esse, qui frequente illa particula *ωνει* vel *quasi* utebantur, in nota \* §. CCCIII. subiecta exemplis docuimus. Possent ergo tutorem suspectum postulare omnnes, etiam quorum non interest, quia interesse reipublicae videtur, rem pupillo salvam esse; unde et feminae recte accusant, quas alias nec postulare pro aliis posse, nec accusare, *ex L. 2. ff. de R. I. et L. 1. L. 2. de accusat.* discimus. Sed pupilli favor hic vincit hanc regulam, modo femina accusatrix verecundiam sexus non egrediatur. §. 3. *Inst. hoc tit.* Imo observandum, personas quasdam teneri, suspectos tutores accusare, adeo ut nisi id fecerint, ipsae poenis dignae videantur. Tales sunt *contutores*, qui, nisi tutorem male gerentem accusent, ipsi omne damnum ferant. *L. 3. pr. hoc tit.* *Liberti*, quos reverentia erga patronum excitare debebat, ne tutorem in bonis liberorum patro- ni grassari paterentur, *L. 3. §. 1. eod.* et personae coniunctae, in primis *mater*. Non tamen potest ipse pupillus, quia impuberis non habent personam standi in iudicio, et nec pro se nec pro aliis postulare possunt: imo ne puberes quidem, si sint minorennes annis 17. *L. 1. §. 3. ff. de postul.* Si autem hos annos egressi sint, tunc recte possunt hos curatores accusare, modo id faciant cum consilio necessariorum. *L. 7. pr. ff. §. 4. Inst. hoc tit.* Denique et ex officio potest *magistratus* inquirere in tutores suspectos, quamvis nemo accuset; quod hic singulare est. *L. 3. §. 4. eod.* Apud Romanos enim magistratus quidem aliquando ex officio

Tom. I.

Eee

in-

inquirebat , sed in delicta et crimina publica , non in utilitatem privati . L. 3. et 13. ff. de offic. praesid.

### §. CCXCI.

Vidimus , qui possint accusare suspectos : proximum est , 3 ) ut doceamus , qui accusari possint ? Et hic respondemus , ex definitione §. CCLXXXVII. omnes , qui non ex fide gerunt , sive sint testamentarii , sive legitimi , sive dativi . Nec interest , an satisfactionem offerat suspectus , ob rationem supra (§. CCLXXXVII.) allegatam , quia melius est , ab initio iura sarta tecta servare , quam vulnerata causa remedium querere . L. 5. L. 6. ff. hoc tit. Quamvis autem haec vera sint , non tamen facile tutores legitimi removentur . Sunt enim proximi agnati vel cognati pupillorum . Iam remoti sunt infames , et ista infamia tunc in ipsum pupillum quodammodo redundaret , si mater eius vel pater eius vel alius proximus agnatus infamia notaretur . Hinc sanguini haberi solet honor , et non removeri tutor legitimus , sed ei adiungi curator , qui tutelam administret . L. 9. ff. hoc tit. Sic enim fit , ut tutor ille non possit pro luctu in bonis pupilli grassari , et ipse tamen salvam habet famam et existimationem .

### §. CCXCII. CCXCIII.

Vidimus , adversus quem instituatur haec accusatio : Sequitur 4 ) ad quid instituatur ? Respondemus ex definitione nostra , (§. CCLXXXVII.) ordinarie ad remotionem , extra ordinem aliquando ad animadversionem extraordinariam , si nimis insignis quaedam tutoris malitia pelluceat . De utroque videbimus . Datur ordinarie ad remotionem : ubi is ordo observatur , ut (1) simul ac accusatio ista instituta sit , ei interdicatur administratione ; id quod pragmatici vocant suspensionem . Non

Non ergo statim *removetur*, (haec enim est poena, a qua non inchoandum) sed *suspenditur*, id est, interdictur ei administratione, ne scilicet interea, dum lis servet, eo magis in bona pupilli grassetur. §. 7. *Inst. hoc tit.* Hinc (2) sequitur causae cognitio, ex qua apparet, vel illum non male egisse; quo casu suspensio vel interdictum tollitur, et tutor absolvitur, salvo regressu contra eum, qui calumniose accusavit: vel illum non ex fide gessisse, et tunc plane *removetur*, modo cum infamia, modo sine illa; *cum infamia*, si condemnatur ob dolum vel culpam latam. §. 6. *Inst. L. ult. C. L. 7. §. 1. ff. hoc tit.* (Culpa enim lata in his semper pro dolo habetur, *L. 226. ff. de V. S.* etiam in causis famosis, *L. 11. §. ult. ff. de his qui not. infam.* etiam in hac causa, *dit. L. 7. §. 1. ff. hoc tit.*) *Sine infamia* si tantum ob culpam levem *removetur*. *L. 3. §. ult. ff. hoc tit.* Aliquando nec dolus, nec culpa, sed contumacia tutoris palam sit, eoque casu ille nec *removetur*, nec infamis sit, sed pupillus in bona eius mittitur; veluti si alimenta pupillo non decernat. *L. 3. §. 14. L. 7. §. 2. ff. hoc tit.* Ita ordinarie proceditur. Aliquando *extra ordinem* punitur tutor, si insignis eius malitia appareat, e. g. si libertus fuerit tutor, et tamen tutelam non ex fide gesserit. Eius enim delictum auget insignis ingratitudo erga patronum. Simile quid obtinet, si e. g. appareat, tutorem insidias vitae pupilli struxisse; cuius rei exemplum iam supra *ex Sueton. Galb. cap. 9.* vidimus. Ceterum omnibus his casibus dicitur, tutorem a praetore remittendum esse ad praefectum urbi extra ordinem puniendum. *L. 1. §. ult. ff. et §. 10. 11. Inst. hoc tit.* Ratio in promtu est. Quia enim praetor tantum iurisdictionem civilem exercebat, non autem ius gladii vel merum imperium, quod erat penes praefectum urbi, vid. *L. 1. ff. de offic. praef. urb.* consequens erat, ut remitteretur a praetore ad praefectum urbi, qui solus poterat animadverte.

tere in facinorosos. Idque et hodie est observandum, quoties in iurisdictione civili aliquid incidit, quod poenam corporis afflictivam videtur mereri. Tunc enim magistratus, qui iurisdictionem tantum civilem habet, semper debet remittere reum ad eum iudicem, qui criminalem habet animadversionem. Haec de modo procedendi.

Obiter adhuc notandum, ea, quae de suspensione supra diximus, etiam in aliis causis locum habere. Quoties enim adversus eum, qui in officio publico, maxime sacro, est, accusatio criminalis instituitur, toties is statim suspendi ab officio solet, donec innocentiam suam demonstravit. Cum scandalo enim coniunctum videretur, e. g. ministrum Ecclesiae sacra peragere, dum de adulterio vel alio huiusmodi crimine adversus ipsum inquiritur. Dico autem, statim suspendi *ab officio*. Est enim suspensio duplex, *vel ab officio*, quando salarium quis retinet, sed officium administrare prohibetur: *vel a beneficio*, si et salario interea privatur. Illa locum habet ob institutam accusationem vel inquisitionem, adeoque ob solam suspicionem delicti: haec autem in poenam infligitur, si delictum non sit ita comparatum, ut quis plane possit officio publico privari.

### §. CCXCIV.

Sequitur 5) quaestio, quando cesset vel finiatur accusatio? quia enim famosa est, hinc quodammodo restringitur, et non uno casu plane cessat. Hinc statim exspirat 1) *morte rei*, modo sententia nondum lata. §. 8. *Inst. hoc tit. L. pen. ff. hoc tit.* Ratio est, quia hoc iudicium datur ad remotionem cum infamia adeoque ad poenam. Mortuus vero nec removeri, nec infamis fieri, nec puniri potest. Posset quidem aliquis existimare, sed interesse tamen pupilli, ut damnum a tute mortuo datum ipsi resarciantur. Sed respondetur: eius re-


restitutionem repetere potest *actione tutelae*, quam et adversus heredes tutoris et adversus eiusdem fideiussores eorumque heredes in subsidium dari, §. CCLXXI. seq. ostendimus. Satis ergo prospectum est pupillo, ut non opus sit, accusationem etiam adversus mortuum continuari. 2) *Finita tutela ante sententiam*. Quomodo enim removeri cum infamia potest a tutela, qui iam tutor esse desiit? *L. pen. ff. L. I. C. et §. 8. Inst. hoc tit.* Nec tamen prohibetur pupillus, finita tutela adversus hunc hominem *actione tutelae* experiri, ad damnum omne dolo culpave etiam levi datum resarcendum. Hanc enim actionem et finita tutela competere, satis iam supra explicatum est, §. CCLII.


### §. CCXCV.


Nihil superest, quam ut quaedam de usu huius tituli subiiciamus. Olim frequentissimas fuisse tutorum suspectorum accusations, et suo tamen tempore eas rarius institutas ipse observat Vlpianus, quem temporibus Severi et Antonini Caracallae floruisse novimus, in *L. I. pr. ff. hoc tit.* Ratio procul dubio fuit, quia magistratus magis ex officio coepit vigilare, quum sciret, in subsidium actionem adversus se datum iri, si tutores male gererent, et fideiussores idonei esse coeperint. Hinc sane ex eo tempore non putarunt exspectandum, donec aliquis tutores suspectos postularet, sed ipsi in tutorum mores inquisiverunt et eos statim removerunt, si quid suspicionis emergeret. Et inde non mirum, accusations illas quasi publicas tutorum suspectorum a temporibus Vlpiani factas esse rariores.


F I N I S.














VI  
INST  
THE

18

VINNIUS  
INSTI TUTION  
IMPERIALIV

L.

Universitat de València

Biblioteca Històrica

A-31

71